5.14.03.

From the Library of

Professor William Henry Green

Bequeathed by him to

the Library of

Princeton Theological Seminary

BS2335
.R815
1815
v.5

W. Henry Green

Princeton Aug. 1846

Presented by my uncle

A. W. Green Esq.

D. IO. GEORGII ROSENMÜLLERI

SCHOLIA

IN

NOVUM TESTAMENTUM.

TOMUS V.

CONTINENS

PAULI EPISTOLAS AD TIMOTHEUM, TITUM, PHILEMONEM, ET HEBRAEOS; EPISTOLAM IACOBI, UTRAMQUE PETRI, EPISTOLAS IOANNIS, EPISTOLAM IUDAE ET APOCALYPSIN IOANNIS.

EDITIO SEXTA

AUCTIOR ET EMENDATIOR.

POST AUCTORIS OBITUM

CURAVIT

D. ERN. FRID. CAR. ROSENMÜLLERUS,
LITTERAR. OO. IN UNIVERS. LIPS. PROF. ORD.

CUM PRIVILEG. REG. SAXON.

NORIMBERGAE,
IN OFFICINA FELSECKERIANA.
MDCCCXXXI.

SCHOLIA

IN

EPISTOLAM I. AD TIMOTHEUM.

An Timothei Patria fuerit Lycaonia Asiae minoris provincia, et in ea urbs vel Derbe, vel Lystra, ut vulgo credunt, id quidem non satis constat. Derbenum eum fuisse, aliqui colligunt ex Act. XX, 4. Hoc autem certum est, patrem eius, cuius nomen ignotum, paganum, matrem vero, Eunicem, et aviam Loidem, Iudaicae primum, deinde vero christianae religioni fuisse addictas, Actor. XVI, 1–3. 2 Tim. I, 5. Paulus eum sibi itineris comitem adscivit, sed antea propter Iudaeos, illas regiones inhabitantes, circumcidi iussit, sperans, ipsius opera multos ex Iudaeis nondum conversos, ad Christum posse converti, quorum nonnulli rigidioribus sententiis occupati, consuetudinem eius sermonemque declinaturi fuerant, si scissent incircumcisum, vid. not. ad Actor. XVI, 3. Circumcidi Timotheum Paulus iussisse videtur etiam propter Iudaeo-Christianos in Lycaonia, qui adhaerebant Iudaicis ritibus. Itaque eum solenni ritu ad munus doctoris evangelici initiatum (1 Tim. IV, 14. VI, 12. 2 Tim. I, 6.) secum duxit, atque pariter ut Lucam, Silam etc. in omnibus fere iti-

neribus perpetuum habuit comitem, et multorum periculorum socium, tandemque praefecit ecclesiae, quae erat Ephesi, 1 Tim. I, 3. ut non tantum coetui Christianorum praeesset, sed et Presbyteros constitueret, eosque manuum impositione ordinaret, 1 Tim. V, 19. 22. Quum autem Ephesi essent, qui Timothei auctoritatem agnoscere nollent, Paulus hanc Epistolam scripsit, quae non tantum Timotheo, sed et Ephesiis scripta esse, recte dici potest, ut mox patebit legenti Epistolam. Instruit vero Apostolus Timotheum ad rem apud Ephesios bene gerendam, ostendit quid docere, quid vitare, quid sequi debeat, quomodo agendum cum variae conditionis hominibus, secus docentes redarguit, et varia praecepta dat. De Epheso vid. Prolegomena in epistolam ad Ephesios, et cf. notata ad Actor. XIX.

De tempore, quo scripta sit epistola, et unde sit missa, certo non constat. *Bensoni, Michaelis,* aliorumque sententia, qui eo ipso anno, quo Paulus Epheso in Macedoniam profectus est, anno sexagesimo aerae vulgaris scriptam esse existimant, nititur locis 1 Tim. I, 3. Actor. XX, 1. Sed repugnare videtur, quod Timotheus iam post tres menses iterum comitatus est Paulum, Act. XX, 4. Verosimilior est eorum sententia, qui hanc epistolam anno 65 demum scriptam esse, post *Usserium, Io. Parsonum, Clericum,* putant. Vid. *Guil. Paley,* in *horis Paulinis, Beweis der Glaubwürdigkeit der Geschichte und der Aechtheit der Schriften des Apostels Paulus* etc. cum notis Henkii. Helmst. 1797. 8. p. 278. sq. Qui plura desiderat, adeat Prolegomena a *Io. Henr. Heinrichs, annotationibus ad Pauli epistolas ad Timotheum, Titum et Philemo-*

nem praemissa. Goetting. 1798. et *I. A. L. Wegscheiderum: der erste Brief des Ap. Paul. an den Timoth. neu übers. und erkl. mit Bezieh. auf die neuesten Untersuch. über die Authentie desselben*, Gött. 1810. in Prolegg. Authentiam Epistolae in dubium vocavit *F. Schleiermacher* in libro sub hac epigraphe: *Ueber den sogenannten erst. Br. d. Paul. an den Timoth., ein kritisches Sendschreiben* etc. Berl. 1807. Qui tamen gravissimis argumentis refutatus est a *H. Planckio* in: *Bemerkk. über d. erst. Paulin. Br. an d. Timoth., in Bezieh. auf das krit. Sendschreiben* etc. Gött. 1808. coll. *Wegscheidero* l. c. et *Beckhaus* in Spec. *Observatt. crit. exegett. de vocc. ἅπαξ λεγγ. in prima ad Timoth. Ep. obviis*, Lingae, 1810. — Cf. et *H. G. van den Es: Pauli ad Titum Epist. cum eiusd. ad Timoth. Epist. composita.* Lugd. Bat. 1827.

CAP. I.

1. Κατ' ἐπιταγὴν θεοῦ, σωτῆρος ἡμῶν) *Ex mandato Dei, sospitatoris nostri.* Dei et Iesu Christi auctoritate se esse constitutum Apostolum, statim ab initio Epistolae dicit Paulus, quo maior sit dictis eius auctoritas. Nonnullae Editiones cum codicibus quibusdam habent: θεοῦ πατρὸς καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Mutarunt, qui meminerunt, nomen σωτῆρος plerisque in locis tribui Christo. Sed tribuitur idem nomen etiam Deo Patri, qui Christum ad salutem nostram misit. Luc. 1, 47. 1 Tim. IV, 10. Tit. II, 10. Iudae v. 25. Loca V T. in quibus Deo id nomen tribuitur citavit Grotius. Dicitur autem Deus σωτὴρ, quia malis liberat, et ex-

hibet bona, non huius tantum sed et futurae vitae. Itaque non male σωτῆρος vertas *sospitatoris*. τῆς ἐλπίδος ἡμῶν) *Qui nobis spem salutis fecit.* Ἐλπὶς, *auctor spei.* De eodem Col. III, 4. ἡ ζωὴ ἡμῶν, et Eph. II, 14. ἡ εἰρήνη ἡμῶν.

2. Τιμοθέῳ, γνησίῳ τέκνῳ ἐν πίστει) *Discipulo genuino in doctrina christiana.* Ad Τιμοθέῳ *Wegscheiderus* subaudiendum putat χαιρεῖν scil. εὔχεται. Τέκνον appellat Timotheum, quia erat eius *discipulus* in religione. Nam apud Iudaeos haud raro doctores comparari solent cum parentibus, 1 Cor. IV, 14. 15. Discipulus *genuinus* est, qui doctoris doctrinam sincere amplexus et tuitus est. Nam γνήσιος metaphorice est verus, qui vere talis est, qualis esse debet, interdum etiam *carus*, *dilectus;* nam τὸ γνήσιον *amorem* etiam et *benevolentiam* notat 3 Macc. III, 13. Quum Timotheus a prima aetate commendatus Paulo fuerit a matre, ut eius exemplis instrueretur, 2 Tim. III, 10. videtur ei adfuisse, ante quam is Lystram veniret, quanquam ibi primum Timothei meminit Lucas, Act. XVI, 1 sqq. Πίστις, fides doctrinae Christi habita, religio, cui fides habetur. De vocibus χάρις, ἔλεος, εἰρήνη vide initia praecedentium epistolarum.

3. Καθὼς παρεκάλεσα—ἑτεροδιδασκαλεῖν) *Quemadmodum proficiscens in Macedoniam te hortatus sum, ut Ephesi permaneres: ita nunc etiam te hortor, ut denunties nonnullis, ne diversam a nostra doctrinam tradant.* Iubet Apostolus Vs. 3. sqq. perversos quosdam legis Zelotas coërceri, eaque occasione praecipuum legis usum obiter exponit. Oratio est el-

liptica, in sequenti membro supplenda. Quid autem supplendum sit, dubitant interpretes. Nonnulli supplent: οὕτω καὶ νῦν παρακαλῶ, ἵνα παραγγείλῃς. Alii ante verba, ἵνα παραγγείλῃς, subaudiri volunt: *ita facito*, vel *vide*, vel βλέπε, *cura*. Alii aliter. Vid. *Wolf.* in *Curis* ad h. l. Τισὶ, *quibusdam*, quos nominare haud opus erat, quia Timotheus eos noverat. Terent. Eunuch. III, 2. *Quod quidam fecit;* ubi Donatus: *quidam recte* etc. *et contemtum indicat hoc verbum.* Notat autem Paulus doctores christianos, nimium studiosos legis Mosaicae, ut ex sequentibus apparet. Tales in omnes fere coetus christianos se insinuare conabantur, ut ex epistolis Pauli, Petri et Ioannis constat, nec equidem video, cur Esseni potissimum sint intelligendi. Cf. notata ad Coloss. II, 18. Ἑτεροδιδασκαλεῖν, alia tradere, quam quae Paulus docuerat, docere falsa, vel quae non pertinent ad religionem, sed ab ea sunt aliena.

4. Μηδὲ προσέχειν — ἀπεράντοις) *Nec attendant fabulis et genealogiis inutilibus.* Προσέχειν est *animum attendere, operam dicare et studium.* Μῦθοι, *fabulae*, i. e. *res leves et inanes*, similes fabellarum, *figmenta.* Exempli loco nominantur γενεαλογίαι et quidem ἀπέραντοι, *infinitae*, vel ut alii malunt, *inutiles*, αἳ οὐδὲν περαίνεται, veluti οὐδὲν χρήσιμον, *utilitatem nullam* habentes, ut Chrysostomus explicat. Πέρας est *finis, scopus*, unde περαίνω, *scopum attingo, prosum*, et ἀπέραντον, *quo nihil efficitur.* Hinc λόγοι ἀπέραντοι philosophis sunt Syllogismi in quibus conclusio non sequitur ex praemissis, quos λόγοις περαντικοῖς opponit Diogenes Laërtius, L. VII.

c. 1. §. 49. At λόγους ἀπεράντους vocant quoque quoslibet *sermones fictos et inutiles*. Sic Strabo L. II. sententiam eorum, qui Tanaim ab occasu per Borysthenem et Hypanim in Maeotim fluere perhibebant, πλαστὸν καὶ ἀπέραντον λόγον vocat. Quaenam sint istae nugae et genealogiae, quarum studium reprehendit Apostolus, de eo interpretes valde dissentiunt. Nam alii eorum intelligunt fabulosas angelorum et aeonum genealogias, quas finxerunt sibi olim Esseni; alii fabulas Cabbalisticas, alii Gnosticorum nugas, alii genealogias proprie sic dictas. *Iudaeos* fuisse, qui hic reprehenduntur, patet ex Vs. 7. ubi vocantur νομοδιδάσκαλοι. Hos magno studio stemmata familiarum suarum confecisse, et in hac re laudem et gloriam quaesivisse, verum quidem est. Sed non apparet, quomodo Paulus hoc ut ἑτεροδιδασκαλίαν reprehendere potuerit, nisi dicas, Iudaeos per has genealogias se iactare voluisse adversus reliquos Christianos ex gentibus, quasi iis essent meliores; hoc enim adversatur religioni Christianae, quae non quaerit, utrum aliquis natione sit Iudaeus an ethnicus. Nec eorum sententia est contemnenda, qui eos hic reprehendi existimant, qui fortassis studio genealogico abusi sint, ad conficiendas falsas tabulas genealogicas, e quibus, quod Iesus a Davide genus derivare nequeat, demonstrare conabantur. Videtur Paulus Ex-Iudaeos in Christiano coetu ab hoc studio avocari voluisse, procul dubio ideo, quod omnis illa genealogiae Iudaicae ratio, Messia iam nato, in fumum abiisset, nulli amplius usui futura, imo etiam incerta esset, et impedito scrutinio obnoxia. Ex aliorum sententia Paulus intelligit αἰώνων γενεαλογίας, quibus operam dabant Orientales philosophi, inprimis Iudaei graece

loquentes, vel Alexandrini. Vid. *Grotius* ad h. l. et *Vitringa* in *Observatt. sacr.* T. I. pag. 339. Quicquid sit, videmus inde, iam Apostoli aevo fuisse, qui pro religione inutiles quaestiones proponerent. Tales omnibus temporibus fuerunt, et nunc etiam sunt doctores; qui utinam perpenderent, quam graviter peccent, quod summa religionis optimae et utilissimae neglecta, auditoribus commenta humana, nihil ad virtutem et salutem profutura, inculcare solent. *αἵτινες— οἰκοδομὴν* (vel *οἰκονομίαν*) *θεοῦ τὴν ἐν πίστει*) *Οἰκοδομὴν* praeter Codicem Claromont. a prima manu habent Syr. Erp. Iren. gr. apud Epiph. Vulg. clar. boern. Hilarius, Ambrosiast. Iren. int. Aug. Pelag. *Οἰκονομίαν* ver' Cod. Al. Augiensis, Boerner, graeco-lat. aliique plurimi. Ed. Copt. Syr. p. Ar. pol. Syr. in m. Chrysost. Theodoret. Damasc. et alii. Utra harum lectionum sit vera, difficile dictu est. Mihi tamen *οἰκοδομὴν* praeferenda videtur, quia testes pro ea sunt vetustiores, et haec lectio contextui est aptior. *Quae efficiun quidem disceptationes, non autem eam mentis mendationem, quae Deo placet, et ex religione fitur. Pricaeus* explicat: *μᾶλλον ἢ οἰκοδομὴν ἐν τῇ εἰς τὸν θεὸν πίστει*, ut vox *θεοῦ* non subiective sedobiective sumatur. Tum vero scribendum fuisset: *οἰκοδομὴν τὴν ἐν πίστει θεοῦ. Οἰκοδομὴ, ὠφέλεια*, Rom. XIV, 19. et h. l. *mentis emendatio.* Si alteram lectionem praeferas, *οἰκονομία* erit ministerium, quod Deo praestamus, ut religionis doctores. Non efficiunt illae disputationes *οἰκονομίαν θεοῦ*, i. e. non efficiunt, ut sis idoneus minister Dei *ἐν πίστει*, in tradenda religione. *Πίστις* et hic est religio. *Ζητήσεις* hic sunt quales 2 Tim. II, 23. *μωρὰς καὶ ἀπαιδεύτους ζητήσεις* vocat Apostolus

noster. Μᾶλλον ἤ hic ponitur pro καὶ οὐ, ut et 2 Tim. III, 4. *Suidas* de voce μᾶλλον: Τίθεται ποτε θετικῶς καὶ ἀναιρετικῶς· ὡς ὅταν λεγωμεν, ὅτι μᾶλλον ἡ ἀρετὴ ὠφελεῖ ἤ βλάπτει· σημαίνομεν γὰρ ὅτι ὠφελεῖ, βλάπτει δὲ οὔ. *Storrius*, qui (in dissert. exeget. in epistolarum Pauli minorum aliquot loca p. 42.) lectionem οἰκονομίαν praefert, ita sensum constituit: *μῦθοι* isti inutilesque *γενεαλογίαι faciunt, ut altercentur potius quam fideliter dispensent res in domo Dei.* Cf. c. III, 15. Post ζητήσεις supplet αὐτοῖς, quem dativum cogitatione adiungendum, ad superius τισὶ (Vs. 3.) spectare et formulam: ζητήσεις (αὐτοῖς) παρέχουσι μᾶλλον ἢ οἰκονομίαν θεοῦ τὴν ἐν πίστει, converti posse putat in hanc: ζητοῦντας αὐτοὺς ποιοῦσι μᾶλλον ἢ οἰκονόμους θεοῦ πίστους. Οἰκονομία θεοῦ, administratio, quae *Deum spectat*, dispensatio rerum, quae *Deo sacrae*, divinae sunt.

5. Τὸ δὲ τέλος — πίστεως ἀνυποκρίτου) *Scopus autem religionis* (institutionis in religione) *est amor, qui oritur e sincero animo, et bona mente, et fide non simulata.* Παραγγελία, *praeceptum*, religio, quae varia praecepta complectitur, vel etiam *institutio*, nam παραγγέλλειν saepe est *docere, instituere.* Τέλος, *finis, scopus*, quem religio in his terris intendit. Ἀγάπη de amore Dei et proximi dicitur. Matth. XXII, 37—40. Καθαρὰ καρδία, *animus sincerus*, malitiae omnis, scelrisque expers. Συνείδησις ἀγαθή, *mens bona.* Συνείδησις h. l. vix esse potest *conscientia*, vel iudiciun de nostris recte factis; ex hac enim non oritur amor Mens bona autem non differt ab animo sincero. Πίστις ἀνυπόκριτος, *fides haud simu-*

lata, non fucata, sincera, ex certa persuasione veritatis oriunda.

6. Ὧν τινες — ματαιολογίαν) *A quibus quidam aberrantes, deflexerunt ad vaniloquium.* Ἀστοχεῖν est *a scopo, a consilio et officio* aberrare. Genitivus ἧς respicit ad virtutes com. 5. commemoratas. Hae sunt τέλος, *scopus* totius doctrinae christianae. Ab hoc scopo aberrabant isti fallaces doctores, dum neque ipsi animi puritatem fideique integritatem servabant, neque doctrina sua aliis haec praecipue inculcare studebant. Ἐκτρέπεσθαι, *deflectere de via*, h. l. *aliorsum deflectere.* Antoninus de rebus suis L. I. §. 7. τὸ μὴ ἐκτραπῆναι εἰς ζῆλον σοφιστικὸν, *quod ad ambitionem sophisticam non declinaverim.* Ματαιολογία est fere, quam supra Vs. 4. μύθους, et infra VI, 20. βεβήλους κενοφωνίας vocat, *vaniloquium*, ut et hic Vulgatus vertit.

7. Θέλοντες — διαβεβαιοῦνται) *Volunt esse*, existimari, *legis doctores, quum tamen non intelligant, nec quid dicant, nec quid argumentis confirment*, quae studiose contendunt esse verissima. Διαβεβαιοῦσθαι, *pro certo affirmare*, et quidem argumentis. Νομοδιδάσκαλοι, *legis* (Mosaicae) *doctores.* Intelliguntur hic doctores Iudaici, vel potius christiani Iudaizantes, perversi legis zelotae, qui sibi persuadebant, se intelligere legem Mosis, quum tamen non intelligerent. Legem dicebant observatu necessariam, et eam non observabant. Affirmabant multa, quae ex nullo habebant certo sensu aut revelatione.

8. Οἴδαμεν, *concedimus, largimur.* Καλὸς ὁ νόμος, Rom. VII, 12. 14. 16. Intelligenda est lex Mosaica. Haec in se et ex Dei consilio est semper utilis, sive bene sive male ea utantur homines. Hoc autem loco Apostolus de doctore christiano loquitur, et dicit, in erudiendis ad pietatem hominibus legem Mosaicam usui esse posse, ἐάν τις αὐτῷ νομίμως χρῆται, si quis recte eo utatur, uti nunc lex illa usurpanda est; si quis usum eius et finem semper consideret, et inculcet; si doctor perpendat, severam illam legis Mosaicae disciplinam non pertinere ad probos Christianos, qui sponte a vitiis abstinent sed ad improbos et malos, ut statim pluribus dicit Vs. 9.

9. Εἰδὼς — οὐ κεῖται) *Si hoc cogitaverit, probo viro legem non latam esse.* In explicando hoc loco mirifice a se invicem dissident et discrepant interpretes. Vid. *C. G. F. Walchii* Diss. *de lege iusto non posita.* Goettingae 1776. Sed omnia sunt facilia, si animadvertas, νόμον h. l. non esse in universum legem moralem de officiis agentem (haec enim viris etiam probis lata est), sed severam illam legis Mosaicae disciplinam cum suis poenis, e. g. non interficiendos esse parentes, non esse caedes patrandas, non committenda esse furta, adulteria etc. Tali enim lege non amplius opus est Christianis bonis, qui iam animo sunt emendati, a vitiis abstinent, et virtuti student. Lex Mosaica data est rudi populo, effrenem licentiam captanti velut in officio continendo. Νόμος τεθεὶς s. κείμενός τινι dicitur, *qui ad aliquem pertinet, sive in gratiam illius datus est.* Sic Dionys. Hal. Ant. L. XI. τοὺς ὑπὸ τοῦ δήμου τεθέντας ἐν ταῖς Φυλετικαῖς ἐκκλησίαις νόμους,

ἅπασι κεῖσθαι Ρωμαίοις ἐξ ἴσου, *leges a populo tributis comitiis latas, omnibus Romanis ex aequo latas esse debere.* Demosthenes adv. *Timocrat.* τῶν νόμων—οἱ κεῖνται τοῖς ἐννέα ἄρχουσιν, *legum, quae ad novem archontes pertinent.* Dictio autem, viro bono leges non esse latas, est dictio vitae communis, et fere in proverbium abiit. Vir bonus nempe sponte recte agit; ergo non opus habet lege. Sic Antiphanes apud Stobaeum: ὁ μηδὲν ἀδικῶν οὐδενὸς κεῖται νόμου. *Xenocratis* dictum de Philosophis refert Laërtius: Μόνοι ποιοῦσιν ἑκουσίως, ἃ ποιοῦσιν ἄκοντες οἱ λοιποὶ διὰ τὸν νόμον. Dio Chrysostomus Dissertatione LXXVI. εἰ γὰρ ἅπαντες ἦσαν ἀγαθοί, δηλονότι τῶν ἐγγράφων (νόμων) ἡμῖν οὐκ ἂν ἔδει. — Ἀνόμοις δὲ καὶ ἀνυποτάκτοις) *Improbis et immorigeris.* Ἄνομοι, qui nullam sibi ipsis figunt legem, nempe ex usu rationis; qui censent, legem non esse sequendam, qui legem non agnoscunt. Ἀνυπότακτοι sunt, quales *contumaces, refractarios, contemtores magistratuum ac legum eorumque per quos publica administrantur,* Seneca initio Epistolae 73. vocat. Chrysostomus Homil. 35. in Ioannem ait, leges humano generi impositas, ut freni ἀνυποτάκτοις ἵπποις, *ad irrationales eius impetus compescendos.* ἀσεβέσι καὶ ἁμαρτωλοῖς) *impiis et flagitiosis.* Hesychius: ἀσεβὴς, ἄθεος, ἁμαρτωλός. Sic et 1 Petr. IV, 18. ἀσεβεῖς et ἁμαρτωλοὶ iuncti. Ἀσεβέσι contrarii θεοσεβεῖς, καὶ τὸ τοῦ θεοῦ θέλημα ποιοῦντες, Io. IX, 51. Glossarium: *Noxius,* ἁμαρτωλός. Suidas: ἁμαρτωλοὶ, οἱ παρανομίᾳ συζῆν προαιρούμενοι, καὶ βίον διεφθαρμένον ἀσπαζόμενοι. — Ἀνοσίοις—ἀνδροφόνοις) In Glossario: *Sceleratus,* ἀνόσιος etc. In vetere Onomastico: *Nefarii,* ἀνόσιοι. Βέβηλος, *profanus.* Πατρα-

λῷης, μητραλῴης, *patricida, matricida;* nam ἀλοιᾷν, τύπτειν. Tales pro modo facinoris etiam apud Romanos puniti; L. I. ff. de obsequ. parent. etc. et a talibus apud ipsos inferos exactas poenas ille maximus Poëtarum memorat. Ἀνδροφόνοις, in quos lex Exod. XXI, 12. Deut. XIX, 11.

10. Πόρνοις—ἀντίκεινται) Ἀρσενοκοῖται, *qui cum masculis nefandam libidinem exercent.* In Glossis: ἀρσενοκοίτης, *masculorum concubitor.* Ἀνδροποδισταὶ, *plagiarii,* qui homines ingenuos et liberos alliciebant, eosque deinde in remotis locis ut servos vendebant. Servos etiam aliorum alliciebant, et uti suos vendebant. Maximum est furti genus, hominem liberum furari. Graviter puniebatur ex lege Mosaica, vid. Exod. XXI, 16. Deut. XXIV, 7. ψεύσταις, hominibus in mendaciis convictis, fraudumque et perfidiarum plenis, ut A. Gellius XIV, 2. loquitur. Ἐπιόρκοις, *periuris,* quales sunt, *qui nil metuunt iurare, nihil promittere parcunt.* Catull. Merito autem Apostolus *periuros* post *mendaces* posuit; a mendaciis enim ad periuria progressus facilis. Cicero in Orat. pro Q. Roscio: *Nihil interest inter periurum et mendacem: nam qui mentitur, peierare consuevit.* Ὑγιαίνουσα διδασκαλία, *sana doctrina,* est *doctrina vera, incorrupta, nullo vitio laborans.* Sic Plutarch. de liberorum educat. commendat παιδείαν ἀδιάφθορον καὶ ὑγιαίνουσαν, *institutionem incorruptam et sanam.* Λόγον ὑγιῆ, *sermonem verum* vocat Dionys. Hal. Ant. L. I. Idem L. II. habet δόξας οὐχ ὑγιεῖς, *falsas opiniones.* Haec aliaque scelera, inquit Apostolus, ita contraria sunt Evangelio, et offi-

ciis quae Evangelium praecipit, ut nemo Christianorum sit, qui ea non detestetur. Itaque non opus est lege Mosaica iis qui christianam religionem profitentur, et per eam emendati sunt. Sunt magis erudiendi ex Evangelio, quod nobiliorem sentiendi agendique rationem nobis commendat, et argumentis moventibus efficacissimis animos ad obsequium flectit.

11. Κατὰ τὸ εὐαγγέλιον — ἐπιστεύθην ἐγώ) *Quae* (doctrina sana) *continetur in Evangelio excellentissimo beatissimi Dei, cuius praedicatio mihi est concredita.* Κατὰ τὸ εὐαγγέλιον, refer ad verba τῇ ὑγιαινούσῃ διδασκαλίᾳ, et κατὰ τὸ εὐαγγ. pro ἐν τῷ εὐαγγελίῳ intellige. Δόξα, quidquid est laude dignum, et in suo genere praestans, excellens. Vocatur igitur εὐαγγέλιον τῆς δόξης, ob suam praestantiam. Μακάριος vocatur Deus, quia ipse sibi sufficiens est ad beatitudinem, nec indiget nostri. Ὃ ἐπιστεύθην ἐγώ, est loquendi genus graecum, de quo diximus ad Rom. III, 2.

12. Καὶ χάριν — εἰς διακονίαν) *Et gratiam habeo ei, qui mihi vires largitus est, Christo Iesu, Domino nostro, qui satis fidum me habuit, cui demandaret hoc munus. Vires, inquit, largitus est mihi Christus,* i. e. instruxit me, ut scirem quid docerem, et ut libenter et constanter docerem. Πιστὸς hic eodem sensu sumitur, quo Hebr. III, 2. — Θέμενος εἰς διακονίαν, i. e. ὅτι ἔθετό με εἰς διακονίαν, sc. τῆς καινῆς διαθήκης, ut 2 Cor. III, 6. Digressio haec a Vs. 12. ad 17. non cohaeret cum officiis, quae Paulus Timotheo in superioribus praescribit; sed quia prae-

stantiae religionis christianae mentionem fecerat, obiter commemorat vocationem suam, et felicem se praedicat, quod dignus esset habitus, cui Christus tantum munus doctoris evangelici concrederet, quod non amplius esset Iudaeus, sed Christi Apostolus.

13. Τὸν πρότερον—ὑβριστήν) Βλάσφημος, nempe κατὰ τῆς ὁδοῦ τῆς ἀληθείας, (2 Petr. II, 2.). Dicitur de contumeliosis vocibus, quae in Christum effunduntur. Et Paulus se ipsum significat ut talem, qui contumeliose dixerit de Christo. Διώκτης, Gal. I, 23., quibusvis iniuriis afficiens causam christianam. Cf. Actor. VIII, 3. IX, 2. — Ὑβριστής, *contumeliosus*, ignominiose et petulanter alios tractans, coll. Rom. I, 30. Talem igitur, cum se fuisse dicit Apostolus, ostendit magnitudinem beneficii divini e statu suo priori. ἀλλ' ἠλεήθην —ἐν ἀπιστίᾳ) Ἠλεήθην, *veniam peccatorum consecutus sum.* Ἀγνοῶν ἐποίησα, quia tum temporis nondum cognoscebam praestantiam divinamque auctoritatem religionis christianae. Ἐν ἀπιστίᾳ, i. e. ἐν χρόνοις τῆς ἐμῆς ἀπιστίας, quum nondum essem Christianus. Ita 2 Petr. II, 12. ἐν τῇ φθορᾷ αὐτῶν, *quum tempus exitii eorum advenerit.*

14. Ὑπερεπλεόνασε — ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ) *Sed non tantum hanc maximam benevolentiam mihi exhibuit Dominus noster, sed etiam ad religionem et amorem erga Christum me perduxit.* Ἡ χάρις, *beneficium*, de quo Vs. 13. sermo fuerat, nempe venia peccatorum. Πίστις, *religionis scientia* in universum. Ἐν Χριστῷ, *erga Christum*, ut 1 Io. IV, 9. Col. I, 3., vel amor, qualem postulat Christus; amor Christianus.

15. Πιστὸς — ἄξιος) *Certissima est doctrina, et quam amplectamur dignissima.* Πιστὸν, *certissimum*, de quo minime dubitandum. Ita Hesychius: πιστὴν γνώμην, βέβαιαν. Ἀποδοχῆς ἄξιον, dignum quod amplectamur. Hinc τὰ λεχθέντα ἀποδέχεσθαι, apud Plutarchum in Alexandri vita. Dicitur etiam ἀποδοχὴ *de laude, favore, reverentia*, ex usu verbi ἀποδέχεσθαι, quod saepe significat *laudare, comprobare aliquam rem.* Philo de praem. et poen. p. 912. B. μόνος δ' ἀποδοχῆς ἄξιος, ὁ ἀναθεὶς τὴν ἐλπίδα θεοῦ. — Ὅτι Χριστὸς—πρῶτός εἰμι ἐγώ) Io. I, 9. III, 31. Ἁμαρτωλοὺς σῶσαι, *ut saluti peccatorum consuleret.* Matth. IX, 13. XVIII, 11. Ὧν πρῶτός εἰμι ἐγώ, quorum peccatorum ego maximus, gravissimus sum, nempe respectu anteactae vitae, quum essem blasphemus et persecutor etc. Vult dicere, ut Luc. XIII, 2. ἁμαρτωλὸς παρὰ πάντας. Est autem dictum hyperbolice ex summa modestia.

16. Ἀλλὰ διὰ—αἰώνιον) *Sed propterea misericordiam* et veniam *consecutus sum, ut in me, tanquam enormi peccatore vim omnem suae lenitatis ostenderet Iesus Christus, quo exemplar essem omnibus deinceps suscepturis religionem christianam ad consequendam felicitatem aeternam.* ἵνα ἐν ἐμοὶ — μακροθυμίαν) Ἐν ἐμοὶ πρώτῳ scilicet ἁμαρτωλῷ, ex Vs. 15. Alii legunt πρῶτον, quod esset pro πρότερον. In me Christus prius quam in aliis, qui a me erant convertendi, ostendit summam suam lenitatem. Potest vero etiam sensus esse: *in me inprimis.* Est nempe in his verbis aliqua allusio: Ego sum peccator primus, ergo mihi primo condonavit. Τὴν πᾶσαν μακροθυμίαν,

summam lenitatem, ut apud Plutarchum in Aemilii vita, ἀλυπίαν πᾶσαν ἐνδείκνυσθαι. Sic 2 Tim. IV, 2. ἐν πάσῃ μακροθυμίᾳ. Πρὸς ὑποτύπωσιν — αἰώνιον) *Exemplo omnibus in eum credituris, ut vitam aeternam consequantur*, ut meo discant exemplo, se favore Christi donatum iri, modo ei nomen dederint. Ὑποτύπωσις hic sumitur pro exemplo. Simile Rom. IV, 23. 24., ubi de Abrahamo agitur. Hesychius, ex hoc Apostoli loco: πρὸς ὑποτύπωσιν, πρὸς σημεῖον. Vocula εἰς hic notat finem quo fides tendit, nempe ζωὴν αἰώνιον, 1 Petr. I, 9.

17. Τῷ δὲ — ἀφθάρτῳ) *Omnium vero temporum Regi immortali.* Erumpit animus in laudes Dei ob maximum hoc beneficium. Βασιλεὺς τῶν αἰώνων, Rex, qui per omnia tempora regnat, et cuius imperium non habet finem. Ἄφθαρτος, qui nullo modo interire potest, ὁ ἀθανασίαν ἔχων, infra c. VI, 16. Distinguit Deum hoc attributo Apostolus et a terrenis regibus, qui φθαρτοὶ dicuntur, et item a diis fictitiis. ἀοράτῳ, μόνῳ σοφῷ θεῷ) Ἀοράτῳ, qui non conspicitur nisi ex operibus, et per fidem, Rom. I, 20. Σοφῷ deest in plurimis et optimis codicibus, Versionibus et Patribus graecis et latinis; habent Arab. pol. Nyss. Naz. aliique. Legendum itaque videtur μόνῳ θεῷ. Ceterum bonum sensum habet recepta lectio, sive vera sit sive spuria, nam solus sapiens dicitur Deus, quia hominum sapientia nihil est ad divinam. *Phocylides:* εἷς θεός ἐστι σοφός, i. e. θεός μόνος σοφός ἐστι. Socrates in Platonis Phaedro: τὸ σοφὸν καλεῖν ἐμοίγε μέγα εἶναι δοκεῖ, καὶ θεῷ μόνῳ πρέπειν. — Τιμὴ καὶ δόξα, veneratio, grates, quae habentur.

18. Ταύτην—στρατείαν) Sensus est: *Hoc tibi quammaxime iniungo, ut secundum praedictiones praecedentes, te concernentes* (vel secundum priora monita ad te spectantia) *optime fungaris munere tuo.* Redit Paulus ad propositum, et hortatur Timotheum ad fidem et constantiam in perfungendo munere suo praestandam. Ἡ παραγγελία, *praeceptum, admonitio.* ἵνα transpositum est, ut sit constructio talis: ἵνα στρατεύῃ τὴν καλὴν στρατείαν κατὰ τὰς προαγούσας ἐπὶ σὲ προφητείας, verbis ἐν αὐταῖς redundantibus. Huiusmodi transpositio est etiam 2 Cor. II, 4. Col. IV, 17. Ἐν αὐταῖς, *iuxta illas praedictiones.* Ἐπί σε עליך *de te;* quod ad te pertinet. Vaticinia illa autem edita esse putant nonnulli a quibusdam Presbyteris, iisdemque etiam Prophetis, eo tempore, quum Paulus Timotheum constitueret Evangelistam. Προφητείας alii putant h. l. esse praedictiones et sermones illorum, qui praedicebant, hunc fore virum bonum et praeclarum. Sed προφητεῖαι possunt etiam esse *monita,* cum animi quadam commotione pronuntiata. Vid. *Noesselti* Disp. *de Spiritu s. primis Christianis ab Apostolis per impositionem manuum tradito* in exercitatt. ad sacrarum scripturarum interpretationem (Halae 1803.) p. 59. 65. 80. Στρατεύειν καλὴν στρατείαν non solum notat, omni conatu, et studio ardentissimo pietatis christianae officiis satisfacere, sed et munere suo strenue defungi; στρατεία enim speciatim munus notat, cui in militia aliquis praefectus est. Perapposite lib. de *Maccabaeis*, quem Iosepho tribuunt, c. 9. dicitur: ἱερὰν καὶ εὐγενῆ στρατείαν στρατεύσασθε περὶ τῆς εὐσεβείας, *defungamini strenue sacro et ingenuo de pietate certamine.*

19. Ἔχων—συνειδησιν) Ἔχων, pro κατέχων. Πίστιν καὶ ἀγαθὴν συνείδησιν, i. e. πίστιν ἐν καθαρᾷ συνειδήσει, infra c. III, 9., veram religionem, cum bona conscientia coniunctam. ἦν τινες — ἐναυάγησαν) *Quam nonnulli neglexerunt, et ad errores delapsi sunt.* Nempe morum perversitas saepe est caussa errorum, qui vitiositati patrocinantur. Ἀπώσασθαι, *reiicere, abiicere, repellere* bonam conscientiam, est, eam parvi facere et negligere. Noluerunt recta consilia sequi. Ἐναυάγησαν, proprie *naufragium fecerunt, περὶ τὴν πίστιν, quod attinet ad fidem*, i. e. a fide desciverunt, iacturam fecerunt τῆς πίστεως, a vero deflexerunt et in errores delapsi sunt. ναυάγειν metaphorice est *iacturam facere* alicuius rei. Diogenes Laërtius L. I, c. 1. §. 7. navem dicit περὶ τὴν Κώαν θάλασσαν ναυαγῆσαι. Apposite sensu improprio apud eundem auctorem L. V, c. 2. §. 14. dicitur: ἐν τοῖς ἰδίοις μάλα νεναυαγηκὼς, *qui magnam opum suarum fecit iacturam.*

20. Ὧν ἐστιν—Ἀλέξανδρος) *Hymenaeus* resurrectionem mortuorum in fine seculorum negavit, 2 Tim. II, 17. 18. Videtur resurrectionem allegorice intellexisse de propagatione Evangelii, per quam spiritualiter mortui ad vitam revocantur. An *Alexander* sit idem, cuius fit mentio 2 Tim. IV, 14. Act. XIX, 33. non liquet. Ὧν ἐστιν etc. Quum multi essent, insigniores enumerat. οὓς παρέδωκα τῷ Σατανᾷ) *Quos e coetu Christianorum exclusi.* Vide quae annotavimus ad locum 1 Cor. V, 5. Christiani in regno Messiae erant, sed impii, a religione alieni dicebantur communi usu in regno Satanae esse. ἵνα παιδευθῶσι μὴ βλασφημεῖν)

Ut discant falsa non disseminare, μὴ πονηροῖς λόγοις φλυαρεῖν, quod solent qui ab aliorum communione se separant, 3 Io. 10. et 2 Petr. II, 2. ubi et βλασφημεῖν, quod h. l. est *male de religione dicere, eam erroris accusare et mutare.* Ἵνα παιδευθῶσιν etc. est inter genera loquendi proverbialia. Phaedrus: *ne quis discat prodesse improbis.*

CAP. II.

1. Παρακαλῶ—ἀνθρώπων) Docet Apostolus, quae officia doctor religionis auditoribus debeat inculcare. Πρῶτον πάντων, hic ut Luc. XII, 1. et 2 Petr. I, 20. est sine ἀνταποδότῳ dictum, qua forma et saepe apud Lucretium vox *principio* occurrit. Alii: *inprimis.* Grotius: *Hoc primum, inquit, praescribo; nam praescribit deinceps et alia.* Δεήσεις, προσευχαὶ, ἐντεύξεις, pro Synonymis possunt haberi. Vulgo ita distinguunt, ut δεήσεις sint *deprecationes pro malis avertendis;* προσευχαὶ, *preces ad bona nobis obtinenda;* ἐντεύξεις *preces pro aliis.* ὑπ. πάντων ἀνθρ., ratione habita *omnium* hominum, sive infideles sint, sive inimici.

2. Ὑπὲρ—ἐν ὑπεροχῇ ὄντων) *Pro Regibus eorumque summis ministris.* Est autem h. l. βασιλεὺς κατ' ἐξοχὴν *Imperator Romanus.* Cyprianus ad Proconsulem: *Hunc* (Deum nempe) *deprecamur — pro nobis et pro omnibus hominibus, et pro incolumitate ipsorum Imperatorum.* Ὑπερέχειν vel ἐν ὑπεροχῇ εἶναι praecipue dicuntur Reges et Monarchae.

Hinc 1 Petr. II, 13. τῷ βασιλεῖ, ὡς ὑπερέχοντι. Hoc autem loco τοὺς ἐν ὑπεροχῇ ὄντας intellige summos Imperatorum ministros, qui gladii ius habeant in Provinciis. Hesychius: ἡγεμόνι ὑπερεχικῶς ἄρχοντι. Tertullianus in Apologetico: *Oramus etiam pro Imperatoribus, pro ministris eorum et Potestatibus.* Non summae autem tantum, sed et secundae potestates recte ὑπερέχειν dicuntur. Glossar.: ἐξοχή, ἡ ὑπεροχή, *excellentia, eminentia.* Post πάντων ἀνθρώπων hic diversos hominum status designare, minus erat necesse: frequenter autem apud utriusque linguae Scriptores a generalibus ad specialia descendi solet. ἵνα ἥρεμον — διάγωμεν) *Ut vitam placidam et tranquillam agamus,* tuti a barbarorum invasione et a latronibus. *Ut pace serena Publica securis exsultent otia terris.* Διάγειν ἐν ἡρεμίᾳ, Plutarchus in Timoleone dixit; et βίον μεθ' ἡσυχίας διάγειν in Othone. Hesychius: ἡσυχία, γαλήνη, ἡρεμία. Passim Scriptores laudant Reges, ob securitatem, non unius alteriusve, sed gentium, totorumque populorum, eorum beneficio adeptam. Ob meritum istud quietis, quo nil melius subditi, nil maius possunt populi capere, pro Regibus hic Paulus ait preces fundendas. ἐν πάσῃ — σεμνότητι) *Pie atque decore.* Σεμνότης, *decorum,* ubi omnia fiunt sicut decet, sine turpitudine. Hoc obiter addidit, ut officii sui Christianos admoneret. Non ideo, inquit, nos tranquillitatem et securitatem publicam optamus, ut ea abutamur ad commessationes et libidines; sed ad sacros coetus, ad probos pudicosque mores.

3. Τοῦτο γὰρ — θεοῦ) Hoc nempe, si preces pro omnibus hominibus fiunt, est pulchrum, vel salutare. Κα-

λὸν, *pulcrum, honestum*, quod nos decet, vel *utile, salutare*, ut supra I, 8. Ἀπόδεκτον ἐνώπιον αὐτοῦ est, quod Hebr. XIII, 21. ἐνώπιον αὐτοῦ εὐάρεστον. Hesychius, hunc Apostoli locum respiciens, ἀπόδεκτον, ἐπαινετὸν. Deus vult omnium hominum salutem, Vs. 4., decet igitur et nos omnibus hominibus bene precari, quod gratum, probatum est Deo. De voce σωτῆρος cf. supra c. I, 1.

4. Ὃς πάντας—σωθῆναι) *Qui omnes homines vult felices fieri.* Cf. 2 Petr. III, 9. Io. III, 17. καὶ εἰς — ἐλθεῖν) Ἀλήθεια hic est *religio*, ut saepius. Ut homines omnes felices reddantur, vult eos pervenire ad religionis christianae cognitionem. Debemus itaque et nos dare operam, ut omnibus innotescat veritas, et ei labori preces pro omnibus adiungere.

5. Εἷς γὰρ θεὸς) *Unus Deus*, sc. omnium hominum, cuiuscunque sint gentis et conditionis. Rom. III, 30. Unus hic omnium hominum creator et conservator vult etiam omnium hominum salutem et felicitatem. Quapropter instituit etiam modum procurandae veniae per Christi mortem. εἷς καὶ μεσίτης) Sicuti unus Deus, ita et non nisi per unum mediatorem salus; sic haec cum antecedentibus cohaerent. Μεσίτης, ὁ εἰρηνοποιὸς, (ut Suidas explicat,) qui amicitiam, pacem et concordiam restituit, et dissidentes reconciliat, *gutes Vernehmen wiederherstellt.* Hoc mediatoris munere functus est Christus, dum mortem toleravit ad veniam peccatorum, Vs. 6., et declaravit, Deum velle hominibus condonare propter mortem a se toleratam; per doctrinam suam effecit, ut homines favorem Dei opta-

rent, et quaererent; quod beneficium est generale, et totius humani generis donum. Rom. V, 10. 2 Cor. V, 19. Ἄνθρωπον hic intellige σχήματι εὑρεθέντα ὡς ἄνθρωπον. Phil. II, 8.

6. Ὁ δοὺς — πάντων) Ἀντίλυτρον (cf. Matth. XX, 28.) proprie est id, quo captivi redimuntur, pretium redemtionis, hinc quicquid sit, ut aliquis liberetur. Ipse se morti obtulit, ut nos liberaret. Sic factus est mediator Dei et hominum. τὸ μαρτύριον καιροῖς ἰδίοις) Non cohaerere videntur haec verba cum praecedentibus. Videtur igitur post πάντων periodus puncto esse finienda, et oratio sic continuanda: *Haec est doctrina temporibus suis reservata*, quae suo tempore in omni terrarum orbe tradetur, et nunc iam traditur per me et alios Apostolos. Μαρτύριον enim h. l. est *doctrina*, cuius brevem summam Apostolus modo proposuit. Μαρτύριον haud raro significare *doctrinam*, dubio caret, e. g. 1 Cor. I, 6. II, 1. 2 Tim. I, 3. etc. Alii alia ratione obscurum hunc locum explicandum censent. *Wegscheiderus* (l. c. p. 96.) verba τὸ μαρτ. καιρ. ἰδ. ad proxime antecedentia, praesertim tanquam Appositionem ad ἀντίλυτρον refert, illaque explicanda existimat ex locis parallelis Tit. I, 2. 3. ἐπ' ἐλπίδι ζωῆς αἰωνίου, ἣν ἐπηγγείλατο ὁ ἀψευδὴς θεὸς πρὸ χρόνων αἰωνίων, ἐφανέρωσε δὲ καιροῖς ἰδίοις τὸν λόγον αὐτοῦ, ἐν κηρύγματι ὃ ἐπιστεύθην ἐγὼ, et Gal. IV, 4. ὅτε δὲ ἦλθε τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου (i. q. καιροὶ ἴδιοι) ἐξαπέστειλεν ὁ θεὸς τὸν υἱὸν αὐτοῦ. Vocc. καιροῖς ἰδίοις Wegscheiderus vertit: *tempore destinato, per vaticinia indicato*, et sensum facit hunc: *Quod unus omnium sit Deus, et unus mediator, qui pro omnibus morti*

sese dedit, hoc tempore antea destinato testimoniis confirmatum, tanquam verum probatum et patefactum est.

7. Εἰς ὃ — ἀπόστολος) Ad quam doctrinam praedicandam et nunciandam ego constitutus sum. Sic 2 Tim. I, 11. — διδάσκαλος — ἀληθείᾳ) *Doctor gentium fidelis et verus,* πιστὸς καὶ ἀληθὴς, nil falsum, nil adulterinum admiscens, vel etiam: qui eos (gentes) instituat in religione vera, cui sit fides habenda.

8. Βούλομαι — τόπῳ) *Volo igitur viros, quocunque loco convenerint, preces dicere.* Ἐν παντὶ τόπῳ, ubiubi coetus christiani (Ephesi) celebrandi sint, ut recte monet *Heinrichs.* Est nempe hic sermo de precibus publicis, quas *viri* in coetibus sacris facere debent, non mulieres. Cf. Vs. 11. 12. Βούλομαι, tanquam Apostolus a Domino constitutus *praecipio.* ἐπαίροντας ὁσίους χεῖρας) Ἐπαίροντας, in coelum nempe. Apuleius de Socratis Deo: *Hic habitus orantium est, ut manibus in coelum extensis precemur.* Χεῖρες ὅσιοι, manus castae, quae nullo scelere sunt contaminatae (i. e. homines nullo scelere contaminati) autem sunt, quas καθαρὰς καὶ ἀμιάντους vocant ali Scriptores. Optime ergo *puras* vertebat vetus Interpres. Ita *puras manus* T. Livius dixit. Contrariae, *sacrilegae et impiae manus,* in Ciceronis Philippicis. Symbolico hoc ritu Apostolus ipsam rem significatam describit, nimirum puritatem animi et actionum, quam docet esse necessariam, ut religio nostra Deo accepa sit. Viri integri ad preces faciendas eligendi sunt χωρὶς — διαλογισμοῦ) Nec in proximum simultate peccantes, nec in

Deum diffidentia; id enim hic διαλογίζεσθαι. Vide Iac. I, 6. Matth. V, 24.

9. Ὡσαύτως—κοσμεῖν ἑαυτὰς) Repetendum est post ὡσαύτως καὶ verbum βούλομαι, ex comm. 8. et vertenda haec verba sunt ita: *Similiter etiam volo, mulieres vestitu mundo, cum pudore et modestia se ornare. Grotius* post ὡσαύτως καὶ τὰς γυναῖκας minus commode supplet: *precari volo.* Verum est quidem utriusque sexus preces Deum audire; sed preces publicas in coetibus sacris non debent facere mulieres. Καταστολὴ saepissime apud Graecos de vestitu. Hesychius: καταστολήν, περιβολήν. *Suidas:* καταστολή, στολή. Seneca Controvers. 2. 7. *Matrona — prodeat in tantum ornata, ni immunda sit.* Xenophon Memorabil. II. τὸ σῶμα τῇ καθαρότητι κεκοσμημένην, τὰ δὲ ὄμματα αἰδοῖ, τὸ δὲ σχῆμα σωφροσύνῃ. Αἰδώς, verecundia vultus, parciloquio comitata; σωφροσύνη, *modestia, castitas*, tam apertas actiones quam secretas complectitur. μὴ ἐν πλήγμασιν —πολυτελεῖ) *Non cincinnis, aut auro, aut margaritis, aut pretiosis vestibus.* Ἐν πλήγμασιν hic est, quod ἐν ἁπλοκῇ τριχῶν vocat Petrus 1 Ep. III, 3. Bene Versio vulgata: *non in tortis crinibus. Sic crines in nodum tortos* Martialis. Suidas de Caesyra Polystrati uxore: πολλοῖς ἐκέχρητο καλλωπίσμασιν — καὶ τοῖς τῇ κεφαλῇ πλέγμασιν. Ἢ χρυσῷ) In Epistolis Ovidianis: *Veste tegor vili, nullum est in crinibus aurum.* Ἢ μαργαρίταις, non ἐν λίθων διαυγίαις, ut apud Suidam quis locutus. Seneca matronarum Romanarum luxum exagitans, de Beneficiis VII, 9. *Video uniones, non singulos singulis auribus*

comparatos — iunguntur inter se, et insuper alii aliis superponuntur. Ἱματισμῷ πολυτελεῖ, qualis Luc. VII, 25. ἱματισμὸς ἔνδοξος. Quum autem haec sint adiaphora, i. e. nec bona nec mala in se, sensus est: mulieres non tam debere ornare se auro, quam recte factis, ut statim v. 10. dicitur.

10. Ἀλλ' ὃ πρέπει—ἀγαθῶν) Bene sensum expressit Syrus: *sed per opera bona* (nempe se ornent, ex praecedentibus), *ut decet feminas pietatem* (christianam sc.) *professas.* Ὃ πρέπει, pro ὡς πρέπει. Θεοσέβειαν ἐπαγγέλλεσθαι, *pietatem profiteri* hic, et γνῶσιν ἐπαγγέλλεσθαι infra VI, 22. locutiones sunt bene graecae. Sic Ioannes Antiochenus et Plutarchus, φιλοσοφίαν ἐπαγγέλλεσθαι. Anonymus apud Suidam, μαντικὴν ἐπαγγέλλεσθαι.

11. Γυνὴ — ὑποταγῇ) Ἐν ἡσυχίᾳ, *in silentio.* Non debent interrogare in publico conventu, si quid non intellexerint. Cf. 1 Cor. XIV, 35. Praeceptum hoc ex Synagoga est, ubi mulieres seclusum a virorum aspectu locum habent, et cum silentio, quae praeleguntur, aut dicentur, auscultant. Ἐν πάσῃ ὑποταγῇ, *cum summa obedientia.* In hac etiam re se postponant viris, nec iis obloquantur.

12. Γυναικὶ — ἐπιτρέπω) Virilibus officiis feminas fungi, prohibet et Romanum ius, L. I. ff. de postul. οὐδὲ αὐθεντεῖν ἀνδρὸς) *Non auctoritatem sibi sumere in virum,* nec sumere sibi munus, quod virorum est. Vocem αὐθέντου dicit Phrynichus iam suo tempore usurpari coepisse in significatu δεσπότου. Hinc αὐ-

θεντεῖν est *ἐξουσιάζειν*, *imperare alicui*, h. l. imperare viro, eo superiorem esse velle. In versu graeco: *γυναικὶ δ' ἄρχειν οὐ δίδωσιν ἡ Φύσις.* Apuleius 9. *Sed nec aequitas patitur, plus iuris habere uxorem quam maritum.* Similia praecepta habes in libro Hebraeo *Musar.* *ἀλλ' εἶναι ἐν ἡσυχίᾳ*) Sc. *βούλομαι, γνώμην δίδωμι*, aut quid simile. Volo *eam esse in otio*, i. e. non fungi publico munere. Vetat Apostolis, mulieres in publicis conventibus loqui, sed quietas adsidere iubet.

13. *Ἀδὰμ γάρ πρῶτος ἐπλάσθη*) Quod signum eminentioris in viro dignitatis, cf. 1 Cor. XI, 8. 9. Argumentum est *κατ' ἄνθρωπον*, quod apud Iudaeos valebat, non eodem modo apud nos.

14. *Καὶ Ἀδὰμ οὐκ ἠπατήθη*) Nempe *prior*, quod repeti debet *ἀπὸ κοινοῦ* ex superioribus: aut non fuit seductus a serpente. Argumentum ab imbecillitate sexus desumtum, cuius documentum ingens iam ab initio datum. Aequum autem est, id quod est imbecillius, parere valentiori. *ἡ δὲ γυνὴ—γέγονε*) *Ἐν παραβάσει γέγονε, in culpa fuit.* Sirac. XXV, 24. *ἀπὸ γυναικὸς ἀρχὴ ἁμαρτίας.*

15. *Σωθήσεται δὲ σωφροσύνῃ*) *Consequetur autem salutem cum procreatis libris, si permanserint in fide et amore et sanctitate vitae cum temperantia.* *Τεκνογονία* significare videtur *ipsam sobolem, progeniem, procreatos liberos*, ut hebr. יֶלֶד. Sic etiam Syrus intellexisse videtur. Confirmari videtur haec sententia eo, quod in plurali numero sequitur *ἐὰν μεί-*

νωσιν, cuius constructionis apta ratio potest reddi, si verbum referas ad mulierem et liberos procreatos. Διὰ autem cum Genit. interdum poni pro σὺν, ἐν, (ut Rom. II, 27. IV, 11.) vix est, ut moneam. Sensus igitur est, mulierem in matrimonio viventem, omnino salutis compotem fieri cum suis liberis, si eos sic educaverit, ut sint et maneant boni Christiani. Potest etiam τεκνογονία significare *liberorum educationem*, ut Apostolus dicere velit: mulierem eodem, quo maritus modo, conferre aliquid ad utilitatem publicam, et eandem cum marito felicitatem consequi, sapienti liberorum educatione; non debere mulierem salutem suam procurare docendo, sed potius liberos educando. Nam educatio parvulorum usque ad pueritiae annos ad matres paene solas pertinet. Alii μείνωσιν positum putant pro μείνῃ, per Numeri enallagen. Saepius nomina collectiva (qualis hic est γυνὴ) Praedicatum sequitur in Plurali. Vid. *Winer Gramm.* p. 144. Ed. sec. Qui voc. τεκνογονία simpliciter intelligunt de *liberorum procreatione* atque vertunt: *mulier consequitur salutem eo quod liberos parit*, respici putant ad Genes. III, 16.

CAP. III.

1. Πιστὸς ὁ λόγος) Certissimum ac verissimum est, quod dicam. Chrysostomus et Theophylactus haec ad proxime praecedentia retulerunt; sed connectenda sunt potius cum sequentibus. De muneribus ecclesiasticis exponere incipit et de iis, quae ad haec munera in hominibus requirantur. εἴ τις — ἐπιθυμεῖ) *Si quis Episcopi munus quaerit, gravissimam functionem optat.*

Ἐπίσκοπῆς ὀρέγεσθαι, ut apud Diodor. Sic. L. XIV. ἡγεμονίας ὀρέγεσθαι. Apud Plutarch. de amore fratr. πορφύρας καὶ διαδήματος ὀρέγεσθαι. Ἐπισκοπὴ inspectionem et praefecturam qualemcunque significat, et in specie ecclesiae inspectionem. Ἐπίσκοπος h. l. est quilibet doctor et antistes. Ἐπιθυμεῖ, *quaerit, optat.* Neque id tunc ambitionis erat, sed maximae fortitudinis, eo quod presbyteri munus non tantum cum gravissimis laboribus, sed et cum summis periculis esset coniunctum, ideo quod hi maxime ad poenas raperentur. Καλοῦ ἔργου dicit, non καλοῦ ἀξιώματος, ut ostendat, illud muneris non ob honorem expetendum, sed ob ministerium eius. Ἔργον h. l. *functio,* ministerium.

2. Δεῖ οὖν—ἀνεπίληπτον εἶναι) *Oportet episcopum talem esse, ut in eo nullus pateat reprehensioni locus.* Vocem ἀνεπίληπτος *e palaestra* sumtam esse, docet *Krebsius* ad h. l. Proprie enim dicitur de pugili, qui omnes corporis partes ita tutas ab adversarii ictibus praestat, ut feriri non possit. Hesychius: ἀνεπίληπτον, ἄμεμπτον, ἀκατάγνωστον. *Euripides* Oreste: ἀνεπίληπτον ἡσυχῆ βίον, ubi vetus Scholiastes: ἀναμάρτητον, ἀδιάφθαρτον, ἀβλαβῆ, οὐκ ἄξιον ἐπιπλήττεσθαι. —

Μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα) Non facile est intellectu, quis dicatur vir unius uxoris hic et Vs. 12. et Tit. I, 9. et quae sit *uxor unius viri*, c. V, 9. Omnino sensus esse videtur: Episcopum non decet vivere in *polygamia;* eam enim tum temporis non amplius fuisse usitatam, saltim inter Iudaeos, vix demonstrari poterit. De po-

lygamia simultanea veteres etiam, quorum sententiam *Theodoretus* probat, hunc locum interpretati sunt. Non obstat, quod cap. V, 9. etiam *unius viri uxor* commemoratur, ut ad illum locum ostendemus. Alii tamen putant, iuberi, ut episcopus tantum semel matrimonium ineat, neque secundas nuptias celebret. Pro hac sententia militat, quod nuptiae secundae apud omnes gentes minus honoratae essent; alicubi et poenis nonnullis coërcitae. Neque vero Christiani in ulla laudis parte cedere debebant gentibus, apud quarum multas ad feminina sacerdotia nonnisi admissae univirae, ut *Tertullianus* nos docet de *Monogamia*, et ad uxorem L. I. et exhortatione castitatis. Vide *Grotium* et *Wetstenium*. Caussae vero, cur iteratum matrimonium vituperandum esse putarent, fuerunt fere hae: Fidem defuncto coniugi datam fallere existimabatur superstes coniux, si ad secunda vota progrederetur; res periculosa esse videbatur, novercam introducere in familiam, eique liberos prioris coniugis tradere; denique etiam libidinosiorem eum putabant, qui alterum contraheret matrimonium. Sic Paulus se attemperaret moribus istorum temporum, nec scribere legem omni tempore observandam. Sed Paulum non improbasse secundas nuptias, patet ex Rom. VII, 2. 1 Cor. VII, 9., ut recte *Theodoretus* observat. Ex aliorum opinione a Paulo is dicitur esse aut fuisse vir plurium uxorum, qui post *repudiatam* uxorem duxerit aliam, seu quacunque de caussa, seu etiam propter prioris adulterium, quae est *Hammondi* inprimis sententia. Camerario μιᾶς γυναικὸς ἀνὴρ est periphrasis honesti mariti; qui caste cum uxore sua vivat, una contentus; et infra cap. V, 9. *uxor unius mariti* est, quae cum suo marito caste

vixit. Ceterum haec verba Apostoli non exigunt, ut Presbyter uxorem habeat, aut habuerit, sed id permisit, dum ne plures una habuerit. *νηφάλιον—διδακτικόν*) Νηφάλιος, *sobrius*, qui semper suae mentis est satis compos. Gellius XII, 18. *Apud Lacedaemonios, illos sobrios et acres viros.* Sic *virum sobrium* dixit Cicero in Orat. pro Coelio. Σώφρονα, *modestum*, ad vitae tenorem pertinet, κόσμιον ad mores. Κόσμιος, *ordinis studiosus.* Plutarchus Praecept. Polit. de Livio Druso: ἦν ἀνὴρ σώφρων καὶ κόσμιος. Herodian. I. κοσμίους τὸν τρόπον, καὶ σώφρονας τὸν βίον. Φιλόξενον, *hospitalem.* Erat et hoc Presbyterorum, advenientes aliunde Christianos domi suae excipere. Διὰ τὴν πρὸς τοὺς ξένους φιλανθρωπίαν, Galilaeorum (i. e. Christianorum) θρησκείαν magnum incrementum cepisse ait Apostata Iulianus. Διδακτικὸν, qui aptus sit aliis instituendis, vel etiam, qui doceat assidue, quod Vulgatus, qui *doctor* vertebat, sagaciter assecutus est.

3. Μὴ πάροινον—αἰσχροκερδῆ) Per πάροινον h. l. alii *vinosum, vinolentum*, alii petulantem, *iniuriosum* ὑβριστὴν intelligunt, cui posteriori significationi ipse contextus favet; in aprico enim est, πάροινον τῷ ἐπιεικεῖ, πλήκτην τῷ ἀμάχῳ, et αἰσχροκερδῆ τῷ ἀφιλαργύρῳ opponi. Πάροινος vocari posset *iniuriosus*, contumeliosus, etiam qui absque vino talis est. Hoc sensu Plutarchus Lib. an Seni ger. reip. Aridaeum regem hominem dicit fuisse, ὑπὸ τῶν ἀεὶ κρατούντων παροινούμενον, *ab iis, qui plus valebant, contumeliose tractatum.* Deinde παροινία auctore Hesychio, vel eo potius, unde is eam glossam hausit, est, ἡ ἐκ τοῦ οἴνου ὕβρις καὶ οἷα δήποτε ἁμαρτία. Cf. *Kypke*,

Krebs. Loesn. ad h. l. Μὴ πλήκτην, *non percussorem*, vel vehementem, non manu promtum, qualis ille apud Gellium, XX, 1. Plutarchus in Catone maiore τῇ χειρὶ πλήκτην. Aut, non qui acerba clamore corripiat et castiget, non μάχιμον, ut exponit Hesychius. Μὴ αἰσχροκερδῆ deest in codicibus plurimis, Versionibus et Patribus, probante *Griesbachio* omissionem. ἀλλ' ἐπιεικῆ, ἄμαχον, ἀφιλάργυρον) *Sed qui aliis facile cedat, lites fugiat, neque sit avarus.* Ἐπιεικῆ, cf. Eph IV, 5. Ἄμαχον, *non litigiosum*, ἀφιλόνεικον.

4. Τοῦ ἰδίου—προϊστάμενον) Τοῦ ἰδίου οἴκου i. e. τῶν οἰκείων, bonum et diligentem patremfamilias hunc decet esse. Male enim committuntur aliena ei, qui sua negligit. *Domum uniuscuiusque*, teste Seneca epist. 74. *Romani veteres pusillam rempublicam esse iudicaverunt*, et Chilo apud Plutarchum (Conviv. Sapient.) δεῖν βασιλευομένῃ πόλει τὸν οἶκον προσοικέναι dixit. Plutarchus in Coniug. praeceptis, ἦν ἡρμοσμένον τὸν οἶκον εἶναι δειπτῷ μέλλοντι καὶ ἀγορᾶν καὶ φίλους ἁρμόζεσθαι. — Τέκνα—σεμνότητος) Τέκνα ἐν ὑποταγῇ, i. e. ὑποτεταγμένα, ὑπήκοα. Ἐν πάσῃ σεμνότητι, *cum omni modestia.* Intelligenda est modestia *liberorum*, non parentum.

5. Εἰ δέ τις — ἐπιμελήσεται;) Εἰ δὲ hic valet εἰ γὰρ. Cicero ad Atticum X, 7. de Caesare: *Iam, quibus utamur vel sociis, vel ministris, si ii Provincias, ii Rempublicam regent, quorum nemo duos menses potuit patrimonium suum gubernare?* Augustus Caesar apud Senec. Clement. I, 9. ad Cinnam, qui

in se consilium inierat: *Quo hoc animo facis? ut ipse sis Princeps? domum tueri tuam non potes.*

6. Μὴ νεόφυτον) *Non novitium.* Syrus: *Ne sit puer, recens discipulatu suo.* Intelligitur recens factus Christianus. Sic et Gellii XVI, 7. *novitii ac semidocti;* metaphora a plantatione desumta. Φυτάριον de homine minus solide instructo dixit et Arrianus IV, 8. in Epictetum. ἵνα μὴ — τοῦ διαβόλου) *Ne superbia inflatus incidat in iudicium convitiatoris*, ne hominibus occasionem praebeat, male de se iudicandi. Τυφοῦσθαι est *vano stolidoque fastu laborare.* Ioseph. c. Apion. I, 3. πῶς οὖν οὐκ ἄλογον τετυφῶσθαι τοὺς Ἕλληνας ὡς μόνους ἐπισταμένους τὰ ἀρχαῖα; *quis igitur non videat, Graecos vano stolidoque fastu laborare, quasi soli rerum antiquarum cognitionem teneant?* Διάβολος significat *maledicum, calumniatorem, et κρίμα iudicium,* quod de alio statuimus. Alii intelligunt *Satanam*, et vertunt: *ne simili modo ut Satanas puniatur.* Sed prior interpretatio et rei et contextui est *aptior.*

7. Δεῖ δὲ—ἔξωθεν) Μαρτυρία, *laus.* Οἱ ἔξωθεν pro οἱ ἔξω, non christiani, Iudaei et Gentiles, Col. IV, 5. et alibi. ἵνα μή — τοῦ διαβόλου) *Ne ei macula gravis vitae praesentis aut prioris a calumniatoribus obiici queat.* Possunt tamen duae phrases distingui, ut ἐμπίπτειν εἰς ἐνειδισμὸν sit *incurrere in aliorum vituperium.* ἐμπίπτειν εἰς παγίδα τοῦ διαβόλου autem, *insidias diaboli experiri,* vel, quod magis placet, incidere in insidias, quae struuntur ab adversariis religionis christianae. Παγίς, *laqueus*, me-

taphorice est omne id, quod perniciem affert, sunt etiam insidiae, quae struuntur vitae, vel pietati, vel famae alicuius.

8. Διακόνους—προσέχοντας) Διακόνους ὡσαύτως, sc. χρὴ εἶναι. *Diaconi*, ministri, qui quamcunque operam praestabant, e. c. agapas curabant. Σεμνοὺς, *graves*, honesti homines, et qui decorum servant. Μὴ διλόγους, *non mendaces, non bilingues*, quibus non satis fides haberi potest. Virgilius: *Tyriosque bilingues.* Ubi Servius: *fallaces.* Μὴ οἴνῳ πολλῷ προσέχοντας, *non multo vino deditos.* Προσέχειν, *delectari aliqua re.* Philo de Prof. p. 472. E. ἑνὶ προσέχουσαν ἀνδρὶ, καὶ τὴν ἑνὸς ὁκουρίαν ἀγαπῶσαν, *uni deditam marito, et unius consortio contentam.* Plutarch. Quaest. οὐ θεμιτὸν τῷ ἱερεῖ μεθύσκεσθαι. — Αἰσχροκερδεῖς, qui ex negotiis non honestis turpem petunt quaestum.

9. Ἔχοντας—συνειδήσει) *Retinentes Christianam doctrinam, et puram conscientiam.* Ἔχειν h. l. pro κατέχειν. Μυστήριον τῆς πίστεως, idem quod Col. IV, 3. τὸ μυστήριον τοῦ Χριστοῦ, occulta religionis doctrina. Sic vocatur christiana doctrina, quia Paganis occulta fuit iis temporibus.

10. Καὶ οὗτοι—διακονείτωσαν) *Hi autem explorentur priusquam muneri admoveantur.* Non intelligitur exploratio scientiae, sed vitae. Vox δοκιμάζεσθαι desumta est ex iure Attico. Pollux. VIII, 6. Δοκιμασία δὲ τοῖς ἄρχουσιν ἐπηγγείλετο, καὶ τοῖς νεληρωτοῖς, εἴτ' ἐπιτήδειοί εἰσιν ἄρχειν, εἴτε μή. At mos ea voce

designatus, non apud Graecos tantum obtinuit, sed et Hebraeos Romanosque. Seneca Controvers. I, 2. *Ambitiosa lex est, ad sacerdotium notae sanctitatis admittit, inquirit in mores — in vitam.* Moris erat apud Christianos, ut a presbyterio publicarentur nomina eorum, qui ipsi huic muneri viderentur idonei, ut si quis in ecclesia haberet, quod culpet in iis, id proferat. Cf. *Grotium* ad h. l. ἀνέγκλητοι ὄντες) *Postquam apparuerit, nihil illis posse obiici.* Nam saepe *esse* dicitur id, quod palam apparet. Tum Diaconi munere fungantur, si reprehendi non possint.

11. Γυναῖκας — διαβόλους) Γυναῖκας, sc. αὐτῶν, Diaconorum. Chrysostomus, Theophylactus, et post eos recentiores *diaconissas* exposuere; sed de iis agitur infra c. V. Sunt igitur hic intelligendae uxores Diaconorum. Σεμνὰς, *graves.* Ita gravem feminam Apuleius in Apologia dixit. Μὴ διαβόλους, *non detrahentes*, ut Vulgata habet, non tales, quae alios obtrectant.

12. Διάκονοι — ἰδίων οἴκων) Cf. supra com. 2. 4.

13. Οἱ γὰρ καλῶς — ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ) *Qui enim laudabiliter perfunguntur ministerio, gradum sibi* (ad Episcopatum) *parant, et animum intrepidum in munere, quod ad fidem spectat*, seu, quod magis placet: sibi comparabunt *magnam auctoritatem per fidem suam*, vel in rebus ad religionem spectantibus. In voce βαθμὸν alludit ad secularem militiam. Hadrianus Imp. in sententiis excus. cum Glossariis; ἐὰν καλὸς στρατιώτης γένῃ, τρίτῳ βαθμῷ δυνήσῃ εἰς ταξι-

τᾶριον μεταβῆναι. Παῤῥησία non tantum est libertas, animus intrepidus in dicendo, sed etiam *fiducia aliis imperandi.* Sic Io. VII, 4. ἐν παῤῥησίᾳ εἶναι, nemo facta sua praeclara abscondet, et tamen cupiet *auctoritatem habere* in alios. Vid. *Bretschneideri* Lex. T. II. p. 242. Edit. secund.

14. Ταῦτά σοι—τάχιον) *Haec tibi scribo*, sc. aliquando restrictius, *quia spero, me brevi futurum tecum.*

15. Ἐάν δὲ—ζῶντος) Ἐὰν δὲ βραδύνω, *si quid intervenerit autem*, quod me cito affore prohibuerit. ἵνα εἰδῇς, ut his litteris monitus, noris ea, quae alioqui coram fueram dicturus. Οἶκος θεοῦ, statim explicatur per ecclesiam Dei; quae cur ita vocetur, patet ex Eph. II, 21. 22. Ἀναστρέφεσθαι, *versari, agere.*

16. Στύλος καὶ—μυστήριον) *Firmissimum fundamentum, quo utitur religio, et omnium confessione maximi momenti est haec* (olim) *recondita religionis doctrina*, quae nempe sequitur. Comma hoc parum commode cum praecedentibus verbis στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας connectitur, quanquam *Synedrium Magnum* hoc titulo passim honestari ait Lightfootus; idem vero multo incommodius a sequentibus divellitur. Nam particula καὶ, καὶ ὁμολογουμένως novae periodi initio non congruit. Deinde frequens est in hac epistola, Timotheum confirmante et excitante, praefandi formula, qua Paulus rem quampiam mox a se dicendam commendat ut *veram*, *bonam* et *salubrem*, e. g. c. I, 15. IV, 9. 6. Similibus loquendi mo-

dis utuntur Rabbini. Ita R. Levi Barcelonita rationem, quare liberationis Israëlitarum e servitute Aegyptiaca, tot signa memoralia in XV praeceptis ad Pascha concurrentibus assignentur, hanc affert: *quia fundamentum id magnum sit, et columna valida legis ac religionis Iudaicae.* Maimonides: *Fundamentum fundamenti, et columna sapientiae haec est* etc. Στύλος καὶ ἑδραίωμα per Hendyadin: *firmissimum fundamentum.* Ἀλήθεια, et εὐσέβεια, *religio*, quia et vera est, et ad pietatem ducit. Μυστήριον h. l. non est universa doctrina christiana (consideratur enim ut pars ἀληθείας); sed gravissima pars illius doctrinae. Μέγα, quod gravissimum est, maximique momenti. Ὁμολογουμένως, *omnium consensu et confessione.* Θεὸς ἐφανερώθη — ἐν πνεύματι) Pro θεὸς alii legunt ὅς, alii ὅ. *Erasmus* ad h. l. annotat: *Mihi subolet, Deum additum fuisse adversus hereticos Arianos. Camerarius: Non est autem diversus sensus, sive ὁ legatur, seu* θεὸς. Decidendi rationes de hac varietate Lectionis *Griesbachius* accuratissime exposuit. Codices variant, aliis legentibus ὅς, aliis θεὸς, paucis ὅ. Sed codices solos nihil decidere, omnibus notum est. E *Versionibus* sola Arabica polygl. legit θεὸς, ceterae omnes non θεὸς, sed pronomen ὅς sive ὅ. *Patres latini* omnes legunt *mysterium s. sacramentum quod manifestum* etc.; licet de Christo intelligant. A *Patribus graecis*, antiquissimis temporibus, rarissime excitatus est hic locus, ne contra Arianos quidem, initio controversiae Arianae. Sic Cyrillus Alex. non provocat ad hunc locum contra Iulianum, negantem, Iesum a Paulo unquam appellatum fuisse Deum; nec vocabulum θεὸς opponit Nestorio. Referunt quidem hoc dictum

ad Christum, sed ex hoc non sequitur, eos legisse θεὸς, nonnulli enim Christum ipsum μυστήριον nominare solebant. Θεὸς omnino legerunt Gregorius Nyss., Chrysostomus, Theodoretus, Damascenus, Oecumenius, Theophylactus. Ὅς legerunt Cyrillus Alex. et Theodoretus Mopsvest., Epiphanius, Gelasius Cyzizen. s. Macarius Hieros. apud Gelasium, teste Wetstenio. Praeterea Sermo inter opera Chrysostomi Tom. X. pag. 764. ὁμολογουμένως μέγα ἐστὶ τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον· ὤφθη ἀγγέλοις, ἐπιστεύθη ἐν κόσμῳ—αὐτῷ ἡ δόξα. Praeterea ὅς habuerunt codices eorum, qui Macedonium sub Anastasio Imp. ὅς in θεὸς mutasse narrarunt. Ὅ occurrit apud Gelasium Cyzic. in Harduini Collect. Concil. T. I. p. 418. et in Serm. de incarn. inter opera Chrys. T. VIII. p. 214. Apud Cyrillum Scythopol. legitur: ἐν Ἱερουσαλὴμ τὸ μέγα τῆς εὐσεβείας ἐφανερώθη μυστήριον ἐν σαρκὶ ἐφανερώθη· καλῶς τοῦτο λέγων, οὗτος ὁ ἡμέτερος λόγος. Licet ex unaquaque harum lectionum elici possit sensus bonus, imo isdem, videtur tamen ὃς praeferendum. Est enim haec lectio omnium difficillima, et ex ea vitio Librariorum facile oriri poterat ὅ vel ΘΣ. Si vera est lectio ὅς, colon ponendum est post μυστήριον, ut cum ὅς sensus incipiat, hoc modo: ὅς ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ, ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι, *qui conspicuus factus est in humana natura*, i. e. tanquam homo; *comprobatus est in Spiritu.* Si legas ὅ, ponitur neutrum pro masculino, et intelligitur Christus ipse, eodem sensu. Πνεῦμα h. l. potest esse ipse Spiritus sanctus (tum sensus est: *Filium Dei se esse ostendit eo, quod misit Spiritum)*; vel etiam dona miraculosa Spiritus. His enim Christus ἐδικαιώθη, *iustificatus* est, i. e. declaratum est,

Christum esse eum, qualem se haberi voluit, nempe filium Dei. Ipse Christus Io. XVI, 8. 10. simile quid dixit, verbis his: Ἐκεῖνος (Spiritus S.) ἐλέγξει τὸν κόσμον—περὶ δικαιοσύνης etc. convincet homines, me iustam caussam habere; me nempe esse eum, quem me esse dixi, filium Dei. Δικαιοῦσθαι nempe dicuntur ii, quorum caussa agnoscitur iusta, quique vel absolvuntur iudicis sententia tanquam insontes, vel quibus redditur quo erant fraudati. Cf. Rom. I, 4. ibique notata. Idem sensus est, si πνεῦμα sumas pro vi illa divina, per quam Christus miracula edidit. Πνεῦμα possit etiam esse ipsa *doctrina christiana*, ut saepe hoc vocabulum sumitur in N. T. libris. Tum sensus esset: Christi caussa defensa, s. divina, felicissimo successu se commendavit humano generi. Neque enim caussa cecidisse existimari poterat Iesus, dum eius divina veritas ubicunque terrarum uberrimo cum fructu divulgaretur, omniaque impedimenta ab hostibus obiecta superaret. Vid. *Noesselt*, Opusc. fasc. 2. pag. 51. s. Adde eiusd. Exercitatt. ad Sacrar. Scriptur. interpretationem p. 138. s. Sed de doctrinae profectu sermo est in verbis ἐκηρύχθη etc. Hoc autem inciso vocc. ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι opposita sunt phrasi ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ, quare per πνεῦμα h. l. intelligenda erit spiritualis, perfectior, sublimior Christi natura, i. e. sublimiores vires celsioris eius naturae. Sensus: Comprobatus est tanquam Messias, quem se esse dixit; Messiam eum esse, comprobatum est per sublimiorem naturam, scil. per eius facta insignia. ἄφθη ἀγγέλοις) *Conspectus est* (tanquam Messias) *angelis*, superioribus etiam naturis. Hoc de ascensu Christi in coelum nonnulli intelligunt. Minus commode; de illo enim

agunt verba ἀνελήφθη ἐν δόξῃ. Alii vertunt: *cognitus est angelis*, quia, ut Grotius monet, *videre* apud Hebraeos ad omnem cognoscendi modum transfertur. Post resurrectionem Christi, et Spiritus S. effusionem patuit angelis ratio et modus redemtionis humani generis, Eph. III, 10. 1 Petr. I, 12. Alii de angelorum ministerio in Evangeliis conspicuo cogitant. Alii haud male haec ad resurrectionem Christi referenda existimant. Sic *Wegscheiderus*, qui interpretatur: *Conspectus est ab angelis, quum resurgeret; ipsam resurrectionem angeli testificati sunt.* Aliis denique ἄγγελοι h. l. sunt *Apostoli;* illis enim Christus in vitam redux saepius apparuit, ut essent testes resurrectionis. Quae tamen explicatio minime probanda est. ἐκηρύχθη ἐν ἔθνεσιν) i. e. Maiestas pariter ac doctrina eius non inter Iudaeos tantum, sed et inter gentes alias praedicata est. ἐπιστεύθη ἐν κόσμῳ) *Fides ei habita est in terrarum orbe*, nempe a magna parte hominum. ἀνελήφθη ἐν δόξῃ) *Susceptus est in gloria*, i. e. insigni modo, gloriosissime, splendidissime. Δόξα potest etiam esse ipsa *maiestas divina*, et tota phrasis significare idem cum Marc. XVI, 19. ἐκαθίσεν ἐκ δεξιῶν τοῦ θεοῦ. Cf. Act. III, 21. *Zieglerus* existimat, Paulum hos Aphorismos opposuisse Encratitis, sed ad quos eorum errores respexerit, ignorare se fatetur. Vid. eius annotationes in h. l. in *Henkii neuem Magazin für Religionsphilosoph.*, *Exegese* etc. Tom. I, p. 491. sq.

CAP. IV.

1. Τὸ δὲ—λέγει) *Spiritus autem propheticus diserte dicit.* Πνεῦμα hic est *Spiritus*, qui est in Prophetis et Apostolis. Hesychius: ῥητῶς, φανερῶς, *manifeste, diserte.* Λέγει, sc. *per me*, Paulum. Revelavit mihi Spiritus propheticus. ὅτε ἐν ὑστέροις—πίστεως) Ἐν ὑστέροις καιροῖς h. l. non est temporibus ultimis, sed secuturis, quo sensu ἐν χρόνῳ ὑστέρῳ Plato in Phaedone dixit. Ἀποστήσονται τῆς πίστεως, deficient a christiana fide. Munit Timotheum adversus ea, quae ipso adhuc vivente, erant eventura, ut patet infra Vs. 6. προσέχοντες—δαιμονίων) *Ita ut operam dent fraudatoribus et doctrinis diabolicis.* Πνεύματα πλάνα, *doctores erronei*, a malo spiritu acti, qui alios a veritate ad errores seducunt; nam πνεῦμα interdum significat Doctorem, qui impulsu Spiritus se loqui perhibet, ut 1 Cor. XII, 10. Πλανός substantive est *erro, seductor, impostor;* sed usurpatur etiam adiective, ut in Epigr. πλάνα δῶρα. Διδασκαλίαι δαιμονίων *doctrinae diabolicae*, i. e. *falsae;* nam omnis error a diabolo repetitur, unde falsi doctores vocantur eius ministri, 2 Cor. XI, 15. Alii intelligunt *doctrinas de daemonibus.* Tales doctrinas, qui disseminarent, iam tum Ephesi fuisse videntur, Act. XIX, 13.

2. Ἐν ὑποκρίσει ψευδολόγων) *Propter simulationem falsorum doctorum.* Nam ψευδόλογος h. l. est falsus doctor. Quia nempe hi fraudatores bonam speciem prae se ferebant, ideo alii iis habebant fidem.

Beza censet, hoc loco esse ἀντίπτωτιν, pro ἐν ὑποκρίσει ψευδολόγοις, et sic etiam κεκαυτηριασμένοις etc. Sumit enim ψευδολόγων adiective, et refert ad πνεύμασι πλάνοις, ut τὸ ἐν ὑποκρίσει significet modum ψευδολογίας, quod nempe illa πνεύματα πλάνα per ὑπόκρισιν sanctae vitae et veracitatis doctrinae maxime mentiantur. Sed non opus est. κεκαυτηριασμένων (κατὰ) τὴν ἰδίαν συνείδησιν) *Qui habent conscientiam cauterio ustam*, i. e. inustam notis criminum, quorum sibi sunt conscii. Cauterio stigmata inuri solebant servis fugitivis, sacrilegis, aliisve facinorosis. Hinc improprie cauterio in conscientia inusti vocantur, conscientia vulnerati, et graviorum scelerum sibi conscii, talium praesertim criminum, quae quum ab hominibus non puniantur, poenam tamen divinam non effugiunt. Sensu non alieno ψυχαῖς καυτήρια προσάγειν, *animis cauteria admovere*, i. e. illos *vulnerare*, *excruciare* dicit Diodorus Sic. L. XX. c. 55. Claudianus: *Pectus inusta Deformant maculae vitiisque inolevit imago.*

3. Κωλυόντων — βρωμάτων) *Qui prohibent matrimonium inire, et iubent abstinere a cibis* etc. Ante ἀπέχεσθαι est Ellipsis participii κελευόντων, *iubentium (abstinere a cibis)*, aut ποιούντων, quod addit Syrus. Similis fere ellipsis 1 Cor. XIV, 34. Haec figura, Synesis dicta, in aliis quoque Scriptoribus reperitur. Sic Phaedrus: *Non veto dimitti, verum cruciari fame;* supple: *iubeo.* Oecumenius: οὐκ ἔστι σφάλμα καλλιγραφικὸν, τὸ ἀπέχεσθαι βρωμάτων, ὡς ἐνίοις ἔδοξεν, οὐδὲ παρόραμα Ἀποστολικὸν, ἀλλὰ καὶ ὀρθῶς. εἰς τὴν Ἀτθίδα συνήθειαν διαπεφρασμένον. ὥσπερ τὸ, ἐκώλυσεν αὐτὸν μὴ ποιεῖν τὰ ἄτοπα, οὐ λέγει,

ὡς εἰς ἀτοπίαν αὐτὸν προύτρεπεν etc. Erasmus Schmidius vult ἀπέχεσθαι positum esse pro τῷ ἀπέχεσθαι, *abstinendo a cibis; dum abstinentiam a cibis urgent, tanquam coelibatus altricem et conservatricem.* Βρώματα hic intellige ea, quae sunt ex animalibus. Eiusmodi doctrinis, de abstinentia a nuptiis et ciborum parte potissima iam tum quodammodo favebat Essenorum secta. Delapsi sunt etiam posthac Encratitae et aliae sectae in huiusmodi errores. Sed videntur hic intelligi Iudaizantes, quales Paulus descripsit Col. II, 18. sqq. Cf. ad istum locum notata. ἃ ὁ θεὸς—τὴν ἀλήθειαν) *Quos Deus creavit, ut percipiantur cum gratiarum actione a Christianis et ab iis qui veritatem agnoscunt*, eam nempe veritatem, quam statim Vs. 4. commemorat. Εἰς μετάληψιν est valde proprie dictum, nam μεταλαμβάνειν τροφῆς est *vesci*. Est etiam Hebraeorum mos vetus, ne cibus sumatur, nisi actis Deo gratiis, qui eos nostris usibus condidit.

4. Ὅτι πᾶν κτίσμα θεοῦ καλὸν) *Quicquid Deus creavit, est bonum.* Κτίσμα θεοῦ videtur poni pro: ὑπὸ θεοῦ ἐκτισμένον. Ita Ps. CL, 6. πᾶσα πνοὴ est, πᾶν πνοὴν ἔχον. Restringenda autem est Apostoli locutio ad rem escariam, πᾶν βρῶμα. καὶ οὐδεν—λαμβανόμενον) Proverbiale erat apud gentiles, nihil ex donis a Diis datis ἀπόβλητον, *spernendum* esse. Homer. Iliad. γ. Vs. 65. οὔτε ἀπόβλητ' ἐστὶ θεῶν ἐρικύδεα δῶρα. Fundatur veritas ista in verbis Dei ipsius, Gen. I, 30. Cf. Rom. XIV, 6. 14. 1 Cor. X, 30.

5. Ἁγιάζεται—ἐντεύξεως) *Est enim purum et licitum per doctrinam divinam et preces.* λόγος θεοῦ,

voluntas, decretum Dei. Ἁγιάζεσθαι, purum, licitum fieri. Cibi autem liciti sunt *per doctrinam christianam*, quae illud discrimen ciborum tollit, admonetque verum Dei cultum non esse in rebus exteris. *Preces* etiam faciunt, ut cibum quemvis, non in se noxium, sine metu sumere possimus.

6. Ταῦτα ὑποτιθέμενος τοῖς ἀδελφοῖς) *Haec Christianos docens.* ταῦτα referendum est ad omnia, quae antecesserant proxime, inde a Cap. III, 16. Ὑποτίθεσθαι est *docere, monere, instituere, praecipere*, sed amice et leniter, non severe et coacte, ut Iosephi et Philonis loca probant apud Krebsium et Loesnerum. Hesych.: ὑποτίθεται, συμβουλεύει, ὑποθήκη, παραίνεσις, διδασκαλία. Καλὸς—Χριστοῦ) Ἔσῃ, i. e. ostendes, te talem esse. ἐντρεφόμενος τοῖς λόγοις τῆς πίστεως) *Innutritus doctrinis fidei.* Ita apud Plutarchum in Pyrrhi vita: ἐντρέφεσθαι τοῖς ἔθεσιν, apud Arrianum IV, 14. in Epictetum: τοῖς διαλογισμοῖς ἐντρέφεσθαι. Sic Seneca c. 21. ad Polybium: *liberalibus disciplinis innutritus* et epist. 2. *ingeniis certis immorari et innutriri.* Cf. etiam Loesnerum ad h. l. καλὴ διδασκαλία, *praeclara doctrina.* ᾗ παρηκολούθηκας) *Quam es assecutus* nimirum sensu et intelligentia. Apud Platonem passim ἐπακολουθεῖν sic dicitur.

7. Τοὺς δὲ—παραιτοῦ) *Commenta vero profana et anilia aversare.* Affanias procul habe a te eorum, qui vel ex Paganismo vel Iudaismo ad Christi cultum transierunt. Nonnullis Apostolus respicere videtur ad *profanos* et aniles errores Essenorum; nam in numero fallacium doctorum, (Vs. 1—3. cap. I, 3—7.) fuisse ex-

istimant etiam, qui Essaicam disciplinam sequerentur, eaque de caussa magnam *pietatis* et *sapientiae* opinionem haberent. Tum sensus esset: Essenorum *profanas et superstitiosas ineptias aspernare.* Μῦθοι interdum etiam doctrinam falsam et spuriam significant, et opponuntur τῇ ἀληθείᾳ, 2 Tim. IV, 4. Cf. *Storrium* ad locum nostrum. Sed de Essenis res est incerta. Fabulas istas, vel inanes doctrinas, de quibus supra c. I, 4., vocat *profanas*, quia nulla Dei revelatione nituntur; deinde *aniles*, i. e. absurdas, non minus quam illas, quas aniculae puerulis recitant. Aniles ineptias dixit Cicero in Tusculanis. Tales apud Gellium XVIII, 7. *res inanes et frivolae, tanquam mulierum voces praeficarum.* Παραιτεῖσθαι est ἀποστρέφεσθαι. Γύμναζε—εὐσέβειαν) *Exerce te potius ad veram pietatem.* Γυμνάζειν proprie est exerceri in Gymnasiis. Inde coepit transferri ad omnia, quae agendo discimus. *Exercere se ad pietatem* commode dicitur; virtutes enim (i. e. habitus virtutum,) citra iugem et assiduam exercitationem nequaquam acquiruntur. Sic πρὸς ἀρετὰς γυμνάζεσθαι Arrianus III, 22. in Epictetum. Hesychius: γυμνάζεται, ἀσκεῖται. Γυμνασία, ἄσκησις, μελέτη.

8. Ἡ γὰρ σωματικὴ — ὠφέλιμος) *Corporea enim exercitatio ad breve tempus* (parum) *utilis est.* Per σωματικὴν γυμνασίαν nonnulli abstinentiam a coniugio, vino, cibis melioribus etc., alii vero corporalem exercitationem, qualis athletarum, pugilum etc. intelligunt; non ut Timotheum illi operam navasse, at Paulum ex occasione verbi γυμνάζειν metaphorice positi, de γυμνασίᾳ proprie sumta locutum existiment. Utrius-

que generis exercitatio intelligi potest. Oppositione et sententia non dissona apud Stobaeum Pythagoraeus ille, Serm. I. *ἰσχύειν τῇ ψυχῇ μᾶλλον ἢ τῷ σώματι αἴρουν.* Ὀλίγον pro ὀλίγα accipi potest, ut sensus sit: *Corporalis illa exercitatio ad pauca confert*, puta, futilis certaminis victoriam, paucorum dierum sermones, coronam frondeam, et similia; vel *πρὸς ὀλίγον*, ut Iac. IV, 14., intellige *χρόνον*. Ita sensus erit: ad modicum temporis spatium exercitatio corporis vitam et viriculas fovet, quum nempe senectus et mors vel robustissimos obruant. Seneca c. XI. Consolat. ad Marciam: *Quam bene* (homo) *lacertos exercuit cuiuslibet ferae pabulum, cuiuslibet victima.* Praefero tamen eorum sententiam, qui hoc referunt ad eorum superstitiosos mores, de quibus Vs. 1 — 3. et 7. sermo fuerat, ut sensus sit: illorum hominum *σωματικὴ exercitatio parum prodest*, (sic post ὀλίγον subaudiri posset *χρῆμα*,) et nomen exercitationis ad pietatem ne meretur quidem, *ἡ δὲ εὐσέβεια — ὠφέλιμός ἐστιν*) *Sed pietas*, quam unice commendo, abhorrens a profana superstitiosorum hominum ratione, ad omnes res, in omnibus negotiis et vitae casibus utilis est. Facit enim pietas permultum ad laetam atque tranquillam negotiorum administrationem, et reddit nos idoneos felicitati illi aeternum percipiendae. Possis etiam ad *πρὸς πάντα* subaudire *χρόνον*, *in omne aevum.* *ἐπαγγελίαν — μελλούσης*) *Cui praemia promissa sunt et huius praesentis et futurae vitae.* Τὴν νῦν ζωὴν exponas animi pacem et tranquillitatem, bona vitae huius etc. Luc. XVIII, 30. Matth. VI, 33. Seneca Epist. 79. Nulli non virtus et vivo et mortuo gratiam retulit, si modo illam bona secutus est fide.

9. Πιστὸς — ἄξιος) Cf. supra I, 15. Referunt quidam ad sequentia. Ego ad praecedentia referre malim. Omnino enim omnium Christianorum vel maxime interest scire, virtuti parata esse praemia.

10. Εἰς τοῦτο—θεῷ ζῶντι) Εἰς τοῦτο, in hunc finem, ut hanc felicitatem assequar. Κοπιῶμεν καὶ ὀνειδιζόμεθα, *perferimus labores ac contumelias.* Pro ὀνειδιζόμεθα alii legunt ἀγωνιζόμεθα, *molestias proferimus.* Ἠλπίκαμεν, enallage pro ἐλπίζομεν. Ideo libens, inquit Apostolus, laboribus maceror, obloquiis et conviviis laceror, quia in Deo confido, nimirum, vitae huius meae perpessitiae in illa altera rationem ab eo habitum iri. Cicero, ut nil maius tamen, aut optabilius existimans, ad nudam nominis immortalitatem acquirendam labores tolerandos dixit. Tusculan. I. *Nescio quomodo inhaeret in mentibus quasi seculorum quoddam augurium futurorum: quo quidem demto, quis tam esset amens, qui semper in laboribus et periculis viveret?* et in Catone maiore: *Quis tantos labores diurnos nocturnosque domi militiaeque susciperet, si iisdem finibus gloriam quibus vitam esset terminaturus?* ὅς ἐστι—πιστῶν) i. e. ὅς ἐστι σωτὴρ πάντων μὲν ἀνθρώπων, μάλιστα δὲ τῶν πιστῶν, *qui quidem omnibus hominibus, praecipue autem Christianis est salutis auctor.* De voce σωτήρ cf. c. I, 1. Vult quidem Deus omnes homines aeternum felices reddere, sed Christianos certissime felices reddet. Hierocles: μισεῖ μὲν οὐδένα ἄνθρωπον, τὸν δὲ ἀγαθὸν διαφερόντως ἀσπάζεται.

12. Μηδείς σου — ἐν ἀγνείᾳ) Μηδεὶς καταφρονείτω, *effice, ne quis contemnat* vel *contemnere*

possit propter tuam iuventutem; ne praebeas occasionem etc. Ἐν λόγῳ, ἐν ἀναστροφῇ, *non in doctrina solum, sed et vita et convictu*, Lactant. IV, 23. Homines malunt exempla, quam verba. Seneca Epist. 6. *Longum iter est per praecepta, breve et efficax per exemplа.* Ἐν ἀναστροφῇ, ἐν βίῳ, ἐν πολιτείᾳ, in *conversatione*, ut bene Vulgatus et Glossarium. *Im Umgang.* Ἐν πνεύματι, deest in multis codicibus et Patribus, et in versionibus antiquis plerisque. Si genuina verba sunt, intelligi videtur sublimior religionis christianae sensus. Adhortaretur Paulus Timotheum, ut huic sensui christiano accommodate vivat. Πίστις h. l. non est *fides*, ut ita dicam, *theoretica* solum, sed quae in *praxi* simul posita est, in omni vivendi ratione i. e. *certum et constans obsequium* religioni christianae praestitum; nam sermo hic est de officiis vitae communis.

13. Ἕως ἔρχομαι — τῇ διδασκαλίᾳ) Πρόσεχε τῇ ἀναγνώσει, *incumbe lectioni*, assiduus esto in legendis prophetis, psalmis, aliisque libris. Intellige lectionem privatam et in publicis conventibus. Ἕως ἔρχομαι, tum nempe ego te plenius instruam. Solatur eius laborem.

14. Μὴ ἀμέλει — τοῦ πρεσβυτερίου) Noesseltus (in *Exercitatt. ad sacrar. scripturar. interpretationem* p. 80.) haec verba ita vertit: *Noli non curare eam, quae tua est, dotem* (τὸ ἐν σοὶ χάρισμα), *quae data est tibi per vaticinationem* (διὰ προφητείας) *cum impositione manuum Presbyterii.* Χάρισμα h. l. idem est, quod πνεῦμα, quod in tali contextu usurpatur de

potestate, cuidam, tanquam Evangelicae doctrinae magistro, conferendi locum (cf. Act. XIII, 1—3. et apud *Noesselt* l. c. p. 78.), et de animi fortitudine, qua opus erat iis, qui locum doctoris recte tueri vellent. Hanc dotem Timotheo datam esse, ait Apostolus, διὰ προφητείας, per *vaticinationem*, sive denunciationem prophetarum, i. e. eorum doctorum, qui eum collocabant in ministri Evangelici loco, ad eamque rem inflammabant promissione, fore, ut ei necessaria ad locum cum dignitate sustinendum facultas, s. strenuus animus concederetur, 1 Tim. I, 18. Presbyteri autem, de quibus hic sermo, fuerunt doctores, et ipse etiam Paulus (2 Tim. I, 6.) qui Timotheo, quum constitueretur in ecclesia magister, manus imposuerant. Intelligitur praeterea, datum Timotheo χάρισμα non tam collatum esse, quam eius concedendi spem factam, (veluti 1 Io. V, 11.) nec verba μετὰ ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν tam significare id, quo ei hoc donum tribueretur, quam opportunitatem, s. sollemnem inaugurationem, in qua significatio huius exspectandi beneficii facta esset, quasi tu diceres: non *eo quod*, sed *quum* tibi manus imponerentur. Recte *Noesselt* (l. c. p. 83.) statuere videtur: in locis N. T. omnibus, qui tradunt, quosdam, suscepta fide christiana, per Apostolos, impositis manibus, quanquam et adhibita invocatione et accuratiore in doctrina christiana institutione, *Spiritu sancto* imbutos fuisse, nihil aliud quaeri et intelligi debere, quam effectam his omnibus singularem animorum concitationem, qua tanquam divini Numinis afflatu se senserint impulsi, ut illam doctrinam laeti ac imperterriti profiterentur. Cum manuum impositione preces ad Deum coniunctae

erant, velit ei, cui doctoris munus in coetu christiano esset demandatum, Spiritus sui dona concedere.

15. Ταῦτα μελέτα, ἐν τούτοις ἴσθι) *Haec meditare, in his totus esto.* Arrianus I, 1. in Epictetum: ταῦτα ἔδει μελετᾷν—ἐν τούτοις γυμνάζεσθαι. *Hesychius*: μελετᾷ, ἀσκεῖ, γυμνάζεται· μελέτη γὰρ ἄσκησις. Ἐν τούτοις ἴσθι, i. e. *in his totus occupatus esto.* Aelian. Var. Hist. L. IV, 8. ἐν τούτοις ἦν, et IX, 4. de Polycrate: ἐν Μούσαις ἦν. Horatius: omnis in hoc sum. ἵνα σοῦ—πᾶσιν) *Ut de profectu tuo inter omnes constet.* Προκόπτειν et προκοπὴ de discipulis dicuntur. Hoc loco dicitur de profectibus in munere recte administrando. Ἐν πᾶσι, *inter omnes, apud omnes.* Alii neutraliter accipiunt, *in omnibus rebus.*

16. Ἔπεχε — διδασκαλίᾳ) *Animum attende tibi ipsi,* quomodo vivas, *et doctrinae,* institutioni, quomodo doceas. Ἐπέχειν hic ponitur pro προσέχειν, animum intendere. ἐπίμενε αὐτοῖς) *His esto intentus.* Ἐπίμενε, hic est, quod 2 Tim. IV, 2. ἐπίστηθι, quod apud Hesychium ἐπίκεισο. Vulgatus *insta illis,* nempe tibi ipsi et doctrinae tuae. Cf. 2 Tim. III, 14. τοῦτο γὰρ—ἀκούοντάς σε) Tu ipse servaberis, et alios ad salutem aeternam adduces. Emendationem et salutem aliorum tuum lucrum facies. Aristoteles Nicomach. IX, 9. de viro bono: αὐτὸς ὠνήσεται τὰ καλὰ πράττων, καὶ τοὺς ἄλλους ὠφελήσει.

CAP. V.

1. Πρεσβυτέρῳ μὴ ἐπιπλήξῃς) *Noli provectiorem aetate* (durius) *increpare.* Vox πρεσβυτέρου h. l. non ad dignitatem et ordinem, sed ad aetatem refertur. D. Halicarnass. 2. Πρεσβυτέρους καὶ τοὺς γέροντας εἰώθασιν οἱ παλαιοὶ λέγειν. Μὴ ἐπιπλέξῃς, *ne increpa, ne graviter obiurga*, mone eum ea qua decet reverentia. ἀλλὰ παρακάλει ὡς πατέρα) Urbaniori modo, ut honorem seni debitum non violes. Sic πρὸς τοὺς γονέας καὶ πρὸς τοὺς πρεσβυτέρους σωφροσύνην Demosthenes contra Aristogit. coniunxit. Plutarchus de Apollonii filio: αἰδούμενος τοὺς πρεσβυτέρους — ὡς πατέρας. Cicero Famil. V, 8. de P. Crasso iuvene: *Me sicut alterum parentem observat.* νεωτέρους ὡς ἀδελφούς) Apte et hoc praecipit Paulus, quia iuvenis Timotheus; nam *frater* benigna appellatio parium inter se.

2. Πρεσβυτέρας — ἁγνείᾳ) *Matronas ut matres, virgines ut sorores, summa quidem castitate.* Vult idem discrimen aetatum in feminis observari, sed plus est cautionis, ne aut amori aut suspicioni qua pateat fenestra ex blanditiis. Quapropter addit Apostolus: ἐν πάσῃ ἁγνείᾳ, *cum summa castitate, ut nulla appareat libido.*

3. Χήρας — ὄντως χήρας) Beneficiis adiuva viduas etc. Nam recte τιμᾶν h. l. exponitur *sustentare, beneficiis adiuvare*, ut Matth. XV, 4. 5. quo sensu et Latini interdum hoc verbum usurpant. *Vere viduae*

hic sunt, non nomine tantum viduae, sed et congrua virtute conspicuae. Sic apud Hieroclem in Pythag. carm. ὁ ὄντως πατὴρ. Hesychius τὸ ὄντως, τὸ ἀληθῶς. Secundum alios *vere viduae* sunt aliena ope destitutae, quae nec liberos habent, nec cognatos.

4. Εἰ δέ τις — εὐσεβεῖν) *Si qua vidua autem liberos et nepotes habeat, discant prius hi pietatem exercere in suos.* Debent nempe liberi et nepotes alere matrem, nec turbare diaconos, et eleemosynas expetere. Ἔκγονα, τέκνα τέκνων, *nepotes.* Μανθανέτωσαν nonnulli pro μανθανέτω positum existimant, ut sit transitus a singulari ad numerum pluralem. Sed rectius de liberis viduarum haec intelliguntur. Nam εὐσεβεῖν τὸν ἴδιον οἶκον proprie est venerari, *colere familiam suam*, i. e. *sustentare*, ut τιμᾷν Vs. 3. Οἶκος, *familia*, et omnes qui ad eam pertinent, matres etiam et aviae. Paullo aliter, sed eodem sensu, Chrysostomus: μανθανέτωσαν δεῖν πρῶτον τὸν ἴδιον οἶκον εὐσεβεῖν, i. e. εὖ ποιεῖν τοὺς προγόνους, sciant, oportere primum omnium propriam cuiusque familiam pietatem colere erga maiores suos. καὶ ἀμοιβὰς — προγόνοις) Ἀμοιβὰς ἀποδιδόναι, *gratiam referre, beneficia rependere*, retribuere, quae pro beneficiis praestitis debentur. Sic apud Euripidem in *Oreste* Vs. 467. Orestes de avo suo et avia, qui parvulum se educaverant, dicit: οἷς ἀπέδωκ' ἀμοιβὰς οὐ καλὰς.

5. Ἡ δὲ ὄντως—καὶ ἡμέρας) *Quae autem vere est vidua et plane derelicta, in Deo debet spem reponere, et precibus assidue vacare.* Οὕτως χήρα est

vidua, quae non solum marito, sed etiam prole, quae ei succurrere possit, et omnibus aliis vitae adminiculis orbata est, ut statim explicatur. Nam adiectivum *χήρος*, *ἀπὸ τοῦ χηροῦσθαι*, quod est *destitui* et *orbari*, derivatur. *Μεμονωμένη*, *derelicta*, *ope destituta*, cognatis et liberis carens. Plutarchus de malignit. Herodis: *Μακεδαιμονίους μονωθέντας καὶ γενομένους συμμάχων ἐρήμους*, *derelictos et a sociis destitutos*. Terentius Andria: *Haec sola 'st mulier*; ubi Donatus: *Sine auxilio, sine defensoribus*. *Ἤλπικεν ἐπὶ τὸν θεὸν, καὶ προσμένει*, i. e. *ἐλπίζουσα ἐπὶ τ. θ. προσμένει* etc. Duplex Hebraismus; Praeteritum pro Praesenti et verbum cum copula vice Participii. *Νυκτὸς καὶ ἡμέρας*, *assidue*. Cicero Tuscul. 2. *Quae meditare quaeso dies et noctes*.

6. *Ἡ δὲ — τέθνηκε*) *Lasciva autem, (in deliciis agens,) viva instar mortuae est*. Glossarium: *Σπαταλῶ*, *delicias ago*. Aliud Glossarium: *Delicatus*, *σπάταλος*. *Deliciae*, *σπατάλαι*. Cf. Loesnerum. *Ζῶσα τέθνηκε*, mortua inter vivos vivit, nulla officia ab ea exspectari possunt; de hac desperandum est. Talis autem vidua ab eleemosynis excludenda, mortuae loco habenda est. Seneca Epist. 77. de luxuriosa vita: *Ista vita non mors est?* Epist. 60. *Hos itaque — animalium loco numeremus, non hominum: quosdam vero ne animalium quidem, sed mortuorum*. Et statim: *mortem suam antecesserunt*.

7. *Ταῦτα* scil. de viduarum sustentatione. *ἵνα ἀνεπίληπτοι ὦσιν*, scil. *χήραι*.

8. Εἰ δέ τις—ἀπίστου χείρων) Graviter accusat liberos et nepotes divites, qui sinebant ecclesiae oneri esse eos, quos ipsi alere debebant. Ἴδιοι, iuncti sanguine. Οἰκεῖοι, qui ad familiam pertinent, sunt praecipue parentes; cf. Vs. 4. *consanguinei* Graecis, οἱ κατὰ γένος προσήκοντες. Οὐ προνοεῖ, *non prospicit.* Hesychius: προνοεῖ, ἐπιμελεῖται. Τὴν πίστιν ἤρνηται, *religionem contemnit,* factis nempe eam fidem destruens, quam verbis asserit. Καὶ ἔστιν ἀπίστου χείρων, *Ethnico peior,* quia vel Ethnici suas primum domos tutantur, suasque necessitudines fovendas omnibus modis censent. Galgacus apud Tacitum: *Liberos cuique ac propinquos Natura carissimos esse voluit.* Cicero in Epist. ad Capitonem: Suos quisque debet tueri.

9. Χήρα—γυνή) *Eligatur,* admittatur in numerum earum, quibus ex oblationibus alimenta praebentur. Praeter catalogos omnium Christianorum communes, erant et alii clericorum proprii, et eorum, qui sumtibus ecclesiae alerentur pauperum, virginum, viduarum. Huius catalogi meminerunt etiam canones ecclesiastici. Nonnullis videntur hae viduae simul fuisse diaconissae, quarum munus in ecclesia vetere est notum. Tum χήρα h. l. esset honoris nomen, ut in Epist. Ignatii ad Smyrn. ἀσπάζομαι τὰς παρθένους τὰς λεγομένας χήρας. Quod tamen dubium est. Constat potius ex Vs. 4., ubi, quae posteros haberent superstites, illas iisdem nutriendas commendari vult Apostolus, haec non de aliis viduis, quam pauperibus intelligenda esse. Ἔλαττον h. l. adverbialiter sumitur: *non minor sexaginta annorum.* Γεγονυῖα ἑνὸς ἀνδρὸς γυνή, quae in

casto matrimonio vixit. Cf. supra c. III, 2. Intelligitur ergo mulier, quae fidem marito suo servavit. Sic Theodoretus recte explicavit, et addidit: δήλον, ὡς οὐ τὴν δι γαμίκν (successivam) ἐκβάλλει, ἀλλὰ τὸ σωφρόνως ἐν γάμῳ βιοῦν νομοθετεῖ.

10. Ἐν ἔργοις καλοῖς μαρτυρουμένη) *Quae laudem habet virtutis*, et vitae honestae. Ἔργα καλὰ, *recte facta*, qualia statim commemorantur. εἰ ἐτεκνοτρόφησεν — ἐπηκολούθησε) Τεκνοτροφεῖν, *liberos alere et educare*. Gentes liberos ob paupertatem exponere solebant. Sunt vero mulieres, quae liberos educaverunt, patientes laboris. Εἰ ἁγίων πόδας ἔνιψεν, i. e. *si hospitalis fuit*. Nam *pedes lavare* in illis regionibus fuit pars hospitalitatis. Intelliguntur autem commoditates, quae praebentur peregre venientibus. Εἰ θλιβομένοις ἐπήρκεσεν, *si afflictis opem tulerit*. Hesychius ex hoc Apostoli loco: ἐπήρκεσεν, ἐβοήθησεν. Idem ἐπαρκεῖ, χορηγεῖ, βοηθεῖ, Pollux III, 25. Πολύδωρος τοῖς δεομένοις ἐπαρκῶν. Apud Pindarum legitur ἐπαρκεῖν Φίλοις. Εἰ παντὶ — ἐπηκολούθησεν, *si quamvis opportunitatem benefaciendi fuerit sectata*. Ἔργα ἀγαθὰ h. l. ut saepe, sunt *beneficia*, *quae conferuntur in pauperes et miseros*. Ἐπακολουθεῖν hic est, occasiones benefaciendi sectari, curare ne elabantur.

11. Νεωτέρας δὲ χήρας παραιτοῦ) Νεωτέρας h. l. intellige minores sexagenariis. Παραιτεῖσθαι, recusare, h. l. est non admittere neque referre in numerum earum, quibus ex ecclesiae opibus alimenta praeberentur. Cf. comma 9. ὅταν γὰρ — θέλουσιν) Ὅταν καταστρηνιάσωσι τοῦ Χριστοῦ, i. e. ὅταν στρηνιάσ-

σωσι κατὰ τοῦ Χριστοῦ (ut καταγνώσκειν τινὸς pro γινώσκειν κατά τινος,) *quum enim in vitam dissolutam prolapsae fuerint contra Christi praeceptum.* Στρηνιᾷν, *luxuriose, in deliciis vivere.* κατὰ Χριστοῦ, contra doctrinam Christi, in detrimentum rei christianae, vel: in contemptum Christi. Designantur mulieres, quae de eleemosynis vivebant delicate ac suaviter, abusae ecclesiae alimentis ad voluptates. Verbis γαμεῖν θέλουσιν Paulus secundas nuptias viduarum non damnat; nam infra Vs. 14. vult iuniores viduas coniungium inire. Fortassis viduae, cooptatae in numerum earum, quibus ex oblationibus alimenta praebebantur, promittere debebant, se in viduitate mansuras, et ecclesiae inservituras.

12. Ἔχουσαι—ἠθέτησαν) *Sustinentes culpam prioris promissi violati.* Κρῖμα h. l. non de aeterna damnatione, sed latiori sensu de culpa sumitur, seu vitio reprehensioni obnoxio. Ideo reprehendi possunt, quod in vitium inciderint. Per fidem illam datam plerique promissionem intelligunt, v. c. se non alias nuptias esse inituras, se eleemosynis non abusuras, et vitam honestam acturas, ecclesiaeque inservituras esse; quod a verosimili non abhorret.

13. Ἅμα δὲ — τὰς οἰκίας) *Simul autem consuescunt otiosae esse et ambulatrices.* Ἀργαὶ μανθάνουσι, pro ἀργίαν μανθάνουσι, vel ἀργὰς εἶναι μανθάνουσι. Talis constructio in his *Luciani* verbis; (Charonte) τὰς κεφαλὰς ἀπότεμνε—ὡς εἰδῶσιν ἄνθρωποι ὄντες, pro ἀνθρώπους ἑαυτοὺς εἶναι. Περιέρχεσθαι τὰς οἰκίας, per domos (aliorum) *discurrere.* Talis discur-

satricis feminae descriptionem habes Prov. VII, 11. sq. *οὐ μόνον — μὴ δέοντα*) Est Epanorthosis; quasi dicat: parum est quod dixi, eas esse otiosas; fuerat enim id tolerabilius. Satius enim est, otiosam esse, quam male agere. *Φλύαροι*, *garrulae*, *leves*, *futiles*. Bene et hoc vitium, ut otiositati, ita et discursationi coniunctum. Euripides Phoenissis: *ἡδονὴ δέ τις γυναιξὶν οὐδὲν ὑγιὲς ἀλλήλαις λέγειν*. *Περίεργοι*, *curiosae*, i. e. de alienis negotiis sciscitatrices. Seneca de Tranquill. animi, c. 12. *Ex hoc malo* (otiosam per aliorum domos discursationem intelligit,) *dependet illud teterrimum vitium*, *auscultatio*, *publicorum secretorumque inquisitio*, *et multarum rerum scientia*, *quae nec tuto narrantur*, *nec tuto audiuntur*. *Λαλοῦσαι τὰ μὴ δέοντα*, *proloquentes*, *quae minime deceat*.

14. *Βούλομαι οὖν — οἰκοδεσποτεῖν*) *Volo igitur iuniores* (viduas) *coniugium* (novum) *inire*, *liberos procreare* (et educare), *rem domecticam curare*. Vetat igitur Apostolus iuniores viduas admitti in numerum earum, quibus ex oblationibus alimenta praebebantur: vult potius ut nubant. *Βούλομαι* autem comparative sumendum est: *malo*. Vult Apostolus iuniores viduae ut nubant, ne quaesitum aliunde vagentur. Plutarchus de Educat. de matrimonio loquens: *Δεσμὸς δέ τοις τῆς νεότητος ἀσφαλέστατος*. *Τεκνογονεῖν*. Claudianus: *Nascitur ad fructum mulier*, *prolemque tuendam*. In L. II. Cod. de indicta viduit. *Mulieres ad hoc Natura progenuit*, *ut partus ederent*. Verbum *οἰκοδεσποτεῖν* significat ius illud, quod in recens nuptas transibat, quum primum domos maritorum ingrederentur. Hinc *οἰκοδέσποιναι* Graecis, et *Do-*

minae apud Latinos. Apud Apostolum autem τὸ οἰκοδεσποτεῖν non nudam tantum matrumfamilias potestatem, sed et eiusmodi potestati curam adhaerentem designat, *familiam administrare, rem familiarem curare, das Hauswesen besorgen.* μηδεμίαν—χάριν) *Nullum dare praetextum inimicis ad maledicta.* Ἀφορμή, *praetextus, vel occasio rumorum fabularumque.* Apud Senecam Controvers. II, 6. ille: *Uxorem mature duxi — quod ad omnem me tutum fabulam praestitit.* Ὁ ἀντικείμενος hic non est Diabolus, sed e Iudaeis vel Gentibus obtrectator quispiam. In Glossis, ἀντικείμενος, *adversarius, obtrectator.*

15. Ἤδη—Σατανᾶ) i. e. *defecerunt a christiana religione*, quum nempe viderent, vitam istam otiosam et dissolutam Christianis improbari. Ἐκτρέπεσθαι Paulo est declinare a via recta. Ὀπίσω τοῦ Σατανᾶ, *secutae sunt Satanam*, i. e. ad idololatriam redierunt; nam ὀπίσω, אַחַר vel אַחֲרֵי verbis eundi et similibus additum, significat *sequi.* Σατανᾶς hic consideratur ut ὁ θεὸς τοῦ αἰῶνος τούτου, 2 Cor. IV, 4.

16. Εἴ δέ τις—ἐπαρκείσθω) Πιστὸς ἢ πιστή, *Christianus aut Christiana.* Ἔχει χήρας nempe in sua affinitate, propinquitate sanguinis ad se pertinentes. Ἐπαρκείτω αὐταῖς, *subveniat illis*, ut Vs. 10. Καὶ μὴ βαρείσθω ἡ ἐκκλησία, *ne oneretur ecclesia*, nempe sumtibus. Si quis igitur Christianus viduas in familia habeat, is eas sustentet, ne molestae fiant universo coetui. ἵνα ταῖς ὄντως χήραις ἐπαρκέσῃ, ut ecclesia habeat, unde subveniat iis, quae ita viduae sunt ut aliena ope indigeant.

17. Οἱ καλῶς—ἀξιούσθωσαν) *Qui munere suo bene funguntur Presbyteri, plus stipendii accipiant.* Ἀξιοῦσθαι τινὸς *is* dicitur, *qui aliquid consequitur, et aliqua re afficitur.* Προεστῶτες sunt, qui 1 Thess. V, 12. προϊστάμενοι. Τιμὴ h. l. est *praemium.* Sic Sirac. XXXVIII, 1. τίμα τὸν ἰατρὸν, et statim: δόμα λήψεται. Matth. XV, 6. Eodem sensu Cicero scribit: (Epist. famil.) curasse se, ut medico *honos* haberetur. Διπλὴ τιμὴ *est plus stipendii, maius stipendium* quam illud, quod accipiebant viduae, quae etiam publicis sumtibus iuvandae erant. Διπλὴ igitur sumitur indeterminate; nam ut numerus determinatus intelligatur, vix patitur vox μάλιστα. Si omnes *duplum* accipere debebant, ii sane, qui doctrinae Evangelii vacabant, nihil retulissent amplius. Διπλοῦς hoc sensu habes Ies. XL, 2. Ierem. XVI, 18. Uxorem deformem διπλοῦν κακόν, *duplex malum*, i. e. multo maius malum vocat Achilles Tatius L. I. μάλιστα—διδασκαλίᾳ) Repetendum in contextu: τιμῆς διπλῆς ἀξιούσθωσαν. Οἱ κοπιῶντες ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ, *qui aliis instituendis dant operam*, οἱ τῇ τοῦ λόγου διακονίᾳ προσκαρτεροῦντες, ut Actor. VI, 4. Plures unius coetus tum erant inspectores, quorum nonnulli publicam tantum curam ecclesiae habebant, alii etiam docebant populum.

18. Λέγει—φιμῶσεις) Vide notata ad 1 Cor. IX, 9. coll. Deuter. XXV, 4. ἄξιος—αὐτοῦ) Est sententia inter Hebraeos trita. Videtur igitur Paulus haec verba de suo addidisse. Nam in V. T. non leguntur. Extat quidem locus similis Matth. X, 10. An vero Paulus Evangelium Matthaei legerit, valde dubium est.

19. Κατὰ πρεσβυτέρου—μαρτύρων) *Noli admittere accusationem contra Seniorem prolatam, nisi duo aut tres adfuerint testes.* Πρεσβυτέρου nomine hic alii intelligunt eum qui est provecta aetate, alii πρεσβύτερον honore, quod praecedentibus verbis est convenientius. Lege Mosis nemo damnari poterat criminis, nisi caussa probata per testes duos. At poterat ad unius testis dictum vir plebeius capi, aut contra eum inquisitio incipi; non ita autem contra senatorem, cui aequiparatur presbyter. Ratio est facilis. Solent nempe, qui aliorum crimina corrigunt, multorum patere odiis, et totius populi pro presbytero, quum electus est, iudicium, facile uni testi praeponderat.

20. Τοὺς ἁμαρτάνοντας—ἔλεγχε) *Qui vitiis dediti sunt, eos coram omnibus coargue, ut ceteri quoque sibi metuant*, et caveant. Plerique ἁμαρτάνοντας universe dictum putant, de omnibus male viventibus, cuiuscunque sint aetatis, sexus, dignitatis. Alii Presbyteros intelligunt, quos coram ceteris Presbyteris omnibus coarguendos iubeat Apostolus. Si universe dictum est ἁμαρτάνοντας, verba ἐνώπιον πάντων explicanda sunt *adstante et audiente plebe.* Seneca de Ira III, 19. *Animadversiones, quo notiores sunt, plus ad exemplum emendationemque proficiunt.* ἵνα καὶ—ἔχωσι) Nam poenarum tres sunt fines: ut melior fiat is, qui lapsus est, et ut honos aliorum laesus resarciatur, et ut alii exemplo absterreantur.

21. Διαμαρτύρομαι—προκρίματος) *Obtestor te per Deum* etc. i. e. gravissime te hortor. Ἐκλεκτοί, quos Deus diligit, qui et alibi ἅγιοι. Ἄγγελοι simpliciter dicuntur superiores humanâ naturae, quarum opera

Deus utitur. Non possunt principes intelligi, neque doctores religionis christianae, quoniam non absolute sic dicantur. Χωρὶς προκρίματος, *sine praeiudicio*, sine iudicio temere capto, quod locum habet, ubi inauditum aut indefensum iudex damnat. μηδὲν—πρόσκλισιν) *Nihil propensione faciens*, i. e. in gratiam vel eius, cuius caussa agitur, aut collegae, aut commendantis. πρόσκλισις est partium studium.

22. Χεῖρας — ἐπιτίθει) *Noli cuiquam manus nimis cito imponere.* Equidem non dubito, sermonem esse de ordinandis ecclesiae ministris per manuum impositionem, nec probare possum *Heinrichii* sententiam, qui locum explicat de impositione manuum ad sanandos aegrotos etc. Nam, ut alia taceam, vel hoc repugnare videtur, quod additur: *neque in alienorum peccatorum societatem venias*, quod factum esset, si indignos homines muneri sacro admovisset. Argumenta, quibus ad suam sententiam confirmandam utitur, aliis examinanda relinquimus. σεαυτὸν ἁγνὸν τήρει) Sc. ἀπὸ τῶν ἀλλοτρίων ἁμαρτιῶν. Alii ad castitatem corporis haec verba referunt, ita ut cum praecedentibus non cohaereant.

23. Μηκέτι—ἀσθενείας) *Non amplius* (mera) *utere aqua, sed etiam vino modico, propter ventriculum et aegritudinem, qua saepe laboras.* Per οἶνον ὀλίγον *vinum* non *vile*, sed *modicum* intellige. Artemidorus Onirocrit. I, 58. οἶνον πίνειν ὀλίγον ἀγαθόν. Plutarchus de Heliopolitanis Aegypti sacerdotibus: οἶνον οἱ μὲν οὐκ εἰσφέρουσι τὸ παράπαν εἰς τὸ ἱερόν — οἱ δὲ ἄλλοι χρῶνται μὲν, ὀλίγῳ δὲ. Διὰ τὸν στόμαχόν

σου, *propter imbecillitatem ventriculi tui.* Recreandae eiusmodi dibilitati vinum propinari solitum. Recte iudicavit *Heinsius* in Exercit. sacr. ad h. l. haec verba videri non esse posita suo loco; nec cum praecedentibus, nec cum sequentibus cohaerent. Contrariam tamen sententiam defendere conatus est *Henke*, not. ad *Paleyi* horas Paulinas, p. 436. seqq. Putat nempe, Paulum respexisse ad eiusmodi homines, quales c. IV, 8. et aliis locis describuntur, eosque pungere voluisse.

24. Τινῶν—εἰς κρίσιν) Plerisque interpretibus Apostolus redire videtur ad illud de ordinationibus, quod veri est simile. *Tam manifesta*, inquit, *sunt quorundam hominum peccata, ut ipsa quasi ducant ad iudicium*, (de iis ferendum,) eos nempe non esse ordinandos. τισὶ δὲ ἐπακολουθοῦσιν) *Quosdam autem subsequuntur*, i. e. peccata eorum manifesta fiunt, postquam iam sunt ordinati. De talibus non tenetur ordinator. In verbis προάγουσαι (sc. ἁμαρτίαι) εἰς κρίσιν, vox ἁμαρτίαι est *fama* peccatorum, ut πίστις est *fama* fidei, 1 Thess. I, 8. Post προάγουσαι pronomen αὐτούς, ad τινὰς ἀνθρώπους referendum, intelligi, iubet disiuncta enunciatio: τισὶ δὲ καὶ ἐπακολουθοῦσιν. Non obstat huic interpretationi, quod nomini ἁμαρτίαι alia, eaque vulgaris significatio ad verba: πρόδηλοί εἰσι, alia ad sequentia: προάγουσαι et ἐπακολουθοῦσιν tribuitur. Simile exemplum in voce ἐλπίδος habemus. Hebr. VI, 18. 19. Cf. *Storrium* ad h. l.

25. Ὡσαύτως — πρόδηλά ἐστι) Aliorum hominum virtutes adeo conspicuae sunt, ut omnia bona de iis in

praesens praedicare liceat, et in futurum praedicere. καὶ τὰ — δύνανται) *Et quae* (virtutes) *non sunt manifestae, latere tamen non diu possunt.*

CAP. VI.

1. Ὅσοι — δοῦλοι) *Quicunque sunt sub iugo servili* i. e. in potestate dominorum, Non-christianorum. Nam de iis esse sermonem, docet Vs. 2. πάσης τιμῆς ἀξίους ἡγείσθωσαν) *Obsequio, summa observantia dignos putent,* iis obediant. ἵνα μὴ — βλασφημῆται) *Ne honori Dei et religionis detrahatur;* ne male audiat religio christiana, quasi ab obsequio deflecteret animos. Cf. Eph. VI, 5. Col. III, 22. Βλασφημῆται, intellige ἐν τοῖς ἔθνεσι.

2. Ἀλλὰ μᾶλλον δουλευέτωσαν) *Sed eo impensius illis serviant.* Leges civiles nihil praecipiebant servis, quia domini satis cogebant eos facere, quod ex usu dominorum esset. Nunc quum per Evangelium facti essent domini multo leniores, praecepta etiam servis danda fuere. ὅτι — ἀντιλαμβανόμενοι) *Quia Christiani sunt, et amore digni, qui beneficia iis praestant,* i. e. eos vestiunt, pascunt, ab iniuriis defendunt. Ἀντιλαμβάνεσθαι, *operam dare.* Sic saepe Graeci dicunt ἀντιλαμβάνεσθαι φιλοσοφίας. Photius Epist. 166. haec verba cum praecedentibus connectit, et putat hic traiectionem esse ac si ordo esset: ἀλλὰ μᾶλλον οἱ τῆς εὐεργεσίας ἀντιλαμβανόμενοι, (servi nempe) δουλευέτωσαν, ὅτι πιστοί εἰσι καὶ ἀγαπητοί, ipsorum heri nempe. Εὐεργεσίας, enallage pro

εὐεργεσιῶν, victus scilicet, vestium, et similium commodorum. Potest etiam ἀντιλαμβάνεσθαι hic esse ἀμοιβὴν λαμβάνειν, beneficia s. εὐεργεσίας a Dominis pro ipsorum ministerio accipere. Sed ἀντιλαμβάνεσθαι etiam apud Graecos ita positum reperitur, ut *percipere*, *frui* notet. Referri itaque potest ad servos, qui multis beneficiis dominorum fruuntur.

3. Εἴ τις — διδασκαλίᾳ) De verbo ἑτεροδιδασκαλεῖν vid. supra c. I, 3. Καὶ μὴ προσέρχεται — Χριστοῦ, *nec accedit veris doctrinis Domini nostri Iesu Christi.* Non est cur pro προσέρχεται substituamus προσέχεται cum Bentleio et aliis nonnullis; nam προσέρχεσθαι est *accedere.* Sic Philo de Gig. p. 289. habet προσελθεῖν τινι γνώμῃ, et 3. Vit. Mos. pag. 671. E. ἐγγυτέρω τις ἀληθείας προσερχόμενος εἴποι, *propius quis ad veritatem accedens dicat.* Latini eodem sensu dicunt, *accedere sententiae, opinioni.* Ὑγιαίνοντας λόγους appellat Apostolus, quos supra I. 10. ὑγιαίνουσαν διδασκαλίαν appellaverat. Philo. 2. Allegor. p. 104. B. ὁ διαφθείρων τὸν ὑγιῆ κανόνα τῆς ἀληθείας, *corrumpens rectam veritatis regulam.* Ita *sana ratio* est *recta* ratio. Καὶ τῇ κατ' εὐσέβειαν διδασκαλίᾳ, *doctrinae nempe, quae ad pietatem ducit.* Nam καὶ hic, ut saepe est ἐξηγητικόν.

4. Τετύφωται — λογομαχίας) *Inflatus est, etsi nihil scit, sed laborat rixis et controversiis legalibus.* Τετύφωται, sive vertas *inflatus est*, sive *ignorantia laborat*, nil refert; nam sermo est de eo, qui stolido agitur fastu. Cf. supra III, 6. Μηδὲν ἐπιστα-

μενος, nihil sciens, nempe earum rerum, quae maximam vim habent ad pietatem. Aptissime *inflationem* vel superbiam Apostolus facit ignorantiam comitari. Hinc in Plutarchi libro de fuga ὁ Φρένας ἔχων opponitur τῷ τετυφωμένῳ. Λογομαχίαι videntur esse rixae super legibus Mosaicis; nam λόγοι etiam de legibus dicuntur, ut οἱ δέκα λόγοι, *decem praecepta*. Cf. 2 Tim. II, 14. Tit. III, 9. Rixae de verbis non intelliguntur. Est vero νοσεῖν τι, vel περί τι non infrequens apud Graecos metaphora. Plutarchus in Catonis vita, περὶ πολυτελείας νενοσηκότων. Lucianus in Pseudomante, τὰ περὶ θεοὺς πάνυ νοσῶν. Cicero Tusculan. IV, *Quemadmodum quum sanguis corruptus est, aut pituita redundat, aut bilis, in corpore morbi aegrotationesque nascuntur: sic pravarum opinionum conturbatio — sanitate animum spoliat, morbisque perturbat.* ἐξ ὧν — πονηραὶ) *E quibus* (quaestionibus) *gignuntur invidia, contentiones, maledicta, opiniones malae.* Ὑπόνοιαι, opiniones malae in naturalibus et moralibus, praecipue in divinis. Sirac. III, 24. postquam ἑαυτοῦ χαλεπώτερα μὴ ζητεῖν consilium dederat, addit, πολλοὺς γὰρ ἐπλάνησεν ἡ ὑπόληψις αὐτῶν, καὶ ὑπόνοια πονηρὰ ὠλίσθησε διανοίας αὐτῶν. Veritatem huius et Paullini dicti universa comprobat haereseon historia.

5. Διαπαρατριβαὶ — τὸν νοῦν) *Ineptae disputationes hominum pravorum.* Διαπαρατριβαὶ, pro quo alii legunt παραδιατριβαὶ, omnino vera est lectio, quam exhibent Codices plurimi et Patres graeci haud pauci. Διατριβή, *disputatio*, vox est propria Philosophorum. Παρὰ autem non raro in compositione id significat, quod non est rectum; ergo παραδιατρι-

βαί sunt inutiles et vanae disputationes, quales erant Pharisaeorum, qui, teste *Iosepho* (de B. J. II, 8. extr.) existimabantur μετ' ἀκριβείας ἐξηγεῖσθαι τὰ νόμιμα, sibi tribuentes *clavem intelligentiae* (Luc. XI, 52.), molestissimaque onera auditorum humeris imponentes Matth. XXIII, 4. Universa illa disputatio Christi ita accuratam continet huiusmodi doctorum Iudaicorum descriptionem, ut possit pro commentario in locum nostrum esse. Διαφθαρῆναι τὸν νοῦν h. l. est *intellectu corrumpi et erroribus imbui.* Dionys. Hal. Ant. L. VII. μὴ διαφθαρῆτε τὰς διανοίας ὑπό τε μεγέθους καὶ πλήθους ἀγαθῶν, *ne nimia felicitate animis corrumpamini.* καὶ ἀπεστερημένων τῆς ἀληθείας) *Et destitutorum cognitione veritatis evangelicae.* Sic in Phaedone Platonis, τῆς ἀληθείας καὶ ἐπιστήμης στερηθῆναι. Ἀληθείας, *veritatis evangelicae,* quae tenebris Iudaicarum nugarum obducta suum lumen non exerit. νομιζόντων—εὐσέβειαν) *Existimant, religionem suo quaestui servire debere.* Volunt docenda religione aliquid lucrari, et sibi comparare victum. Εὐσέβεια h. l. significare videtur ipsam religionem christianam, quae pietatem non solum commendat, sed etiam promovet. Hanc h. l. consulto τὴν εὐσέβειαν appellare videtur Apostolus, quo magis appareat, quam *impie* faciant, qui ipsam adeo doctrinam de *pietate* quaestui habeant, eamque per avaritiam, *a pietate omnium maxime alienam* in assectatorum suorum gratiam depravare non erubescant.

6. Ἔστι δὲ — αὐταρκείας) *Religionis cultus cum animo paucis contento coniunctus maxima commoda nobis praestat.* Glossae: πορισμὸς, *acquisitio.*

Onomasticon vetus: *Quaestus*, πορισμὸς, κέρδος. Cicero: αὐτάρκεια est, *quae parvo contenta omne quod redundat, respuit.* Idem Paradox. 6. *Contentum suis rebus esse, maximae sunt certissimaeque divitiae.*

7. Οὐδὲν γὰρ — δυνάμεθα) Seneca Epist. XX. *Nemo nascitur dives: quisquis exit in lucem, iussus est lacte et panno esse contentus.* Hesychius: δῆλον ὅτι, φανερὸν ὅτι. Vulg. *haud dubium quod* etc. Seneca Epist. 102. *Excutit Natura redeuntem sicut intrantem: non licet plus ferre, quam intuleras.*

8. Ἔχοντες — ἀρκεσθησόμεθα) Per διατροφὰς intellige necessarium victum, non lautitias. Σκεπάσματα sunt *tegumenta, domus, tecta,* aeque ac *vestes.* Siracides XXIX, 21. pari argumento ὕδωρ καὶ ἄρτον, ἱμάτια καὶ οἶκον habet. *His contenti simus;* nam omne, extra ista, desiderium, non ex inopia, sed ex vitio nascitur: quicquid illi congesseris, non finis cupiditatis erit, sed gradus.

9. Οἱ δὲ — παγίδα) *Qui ditescere cupiunt, illecebris* (peccatorum) *illaqueantur,* in variam peccandi occasionem incidunt. Εἰς πειρασμὸν καὶ παγίδα, pro: εἰς πειρασμοῦ παγίδα. Lactantius de Opif. Dei c. I. de Diabolo: *Omnia quae illicere possunt, pro laqueis habet.* καὶ ἐπιθυμίας — βλαβερὰς) Pro ἀνοήτους nonnulli hic legunt ἀνονήτους, forte quod insolentius visum ἀνοήτους dici ἐπιθυμίας. Sed affectus hominum saepius ἀνοήτοι dicuntur. Plutarch. discr. adul. et am. θυμὸν ἐντελνων ἀνόητον,

amentem incitans iram. Sunt autem ἀνόητοι ἐπιθυμίαι cupiditates τῶν ἀνοήτων καὶ ἀφρόνων, *hominum dementium*, qui supervacua desiderant, et pro summo bono habent. Easdem cupiditates βλαβερὰς vocat Apostolus, ut in contrarium res iam vertat; nam illi lucrum quaerunt, sed inveniunt detrimenta. Ὄλεθρον hic intellige, qui 2 Thess. I, 9. αἰώνιος ὄλεθρος. Βυθίζουσι, translatione eleganti. Apuleius in Apologia sua: Ad vivendum, velut ad natandum, is melior, qui onere liberior: *sunt enim similiter in ista vitae humanae tempestate levia sustentatui, gravia demersui.* Subinnuit βυθίζειν, *submergere*, infinita et ineluctabilia esse mala, in quae praecipites dantur avari. Seneca Epist. 8. de concitato in honores opesque cursu: *In praecipitia nos deducit;* imagine a terrestri naufragio, ut apud Apostolum a marino sumta.

10. Ῥίζα—φιλαργυρία) i. e. Nullum est malum s. vitium, quod non ex avaritia nasci possit. Rutilius Numatianus: *Auri coecus amor ducit in omne nefas.* Servius ad Aeneid. VI. *ad quod flagitium homines non impellit auri detestanda cupiditas?* ἧς τινες—ἀπὸ τῆς πίστεως) *Cui quidam dediti a religione defecerunt.* Ὀρέγειν proprie quidem dicitur de rebus, (ut de pecuniis,) sed per translationem quandam de ipsis, quae amamus vitiis. Πίστις hic est ipsa religio. καὶ ἑαυτοὺς—πολλαῖς) Περιπείρειν est *transfigere, transfodere.* Improprie Philo in *Flaccum* sub init. de Flacco dicit: *Quotquot autem potuit, universos,* ἀνηκέστοις περιέπειρε κακοῖς, *insanabilibus transfixit malis.* Sic et hic: *Multis semet transfixerunt doloribus*, vel multis doloribus se implicuere, multa sibi crearunt mala. Primum enim magna est

molestia in quaerendis pecuniis, deinde maior in servandis. Accedunt odia aliorum, saepe lites, interdum et poenae.

11. Σὺ δὲ — πραότητα) Ἄνθρωπε τοῦ θεοῦ, *serve Dei*, ut 2 Reg. I, 9. IV, 40. vel homo divine, איש האלהים. Sic vocatur, qui Dei mentem voluntatemque vel ex interna revelatione Spiritus, vel ex verbo scripto hominibus patefacit. In priore significatu accipitur Ps. XC, 1. et alibi; hic vero in posteriore. Ταῦτα φεῦγε, alios mores sectare; aliam viam insiste. Δίωκε δικαιοσύνην, *omni, quo potest fieri studio, exerce iustitiam* erga omnes homines; εὐσέβειαν, *pietatem in Deum; πίστιν, fidelitatem, Treue; ἀγάπην, benevolentiam in homines alios; ὑπομονήν, patientiam in adversis; πραότητα, lenitatem in offensis.*

12. Ἀγωνίζου—πίστεως) *Defende religionis bonam caussam;* officiis doctoris gravissimis recte fungere. Philo de Legat. ad Cai. p. 1040, C. *Libet commemorare hic et illa, quae vidimus, audivimusque* μεταπεμφθέντες ἀγωνίσασθαι τὸν περὶ τῆς πολιτείας ἀγῶνα, *quando ad reipublicae nostrae caussam agendam acciti sumus.* Ἀγῶνα ἀγωνίζεσθαι habet Plato Alcib. I. et in Socratis Apologia, Plutarchus, Arrianus et alii. Καλὸν autem dixit Apostolus, ut a vanis apud Gentes certaminibus hoc certamen distingueret. ἐπιλαβοῦ τῆς αἰωνίου ζωῆς) *Fac, ut obtineas aeternam felicitatem,* cura, ut capias praemium felicitatis aeternae. Ἐπιλαμβάνεσθαι notat *arripere, consequi, obtinere,* ut rem magni momenti et

studiose quaesitam. Plutarchus de fortun. Rom. ἐπιλαβόμενος πολλῆς μὲν εἰρήνης, πολλῆς δὲ ἡσυχίας, *quum multam pacem, multam tranquillitatem nactus esset.* καὶ ὡμολόγησας—μαρτύρων) *Quando egregiam professionem* fidei et spei *edidisti, coram multis testibus.* Potest hoc intelligi de professione in baptismo, et in ordinatione ad munus Presbyteri. Ὁμολογεῖν ὁμολογίαν dixit et Plato in Phaedone.

13. Παραγγέλλω — τὴν καλὴν ὁμολογίαν) Παραγγέλλω, *denuncio, edico, praecipio.* Ἐνώπιον τοῦ θεοῦ, quasi dicat: memento, Deum audire, quae tibi nunc praecipio, cui olim redditurus es rationem. Πάντα hic intellige omnes homines, vel creaturas. Deus, qui omnibus creaturis dat vitam et servat, is tibi etiam vitam reddere potest, si pro Evangelio mors perferenda esset. Ἐπὶ *coram.* Τοῦ μαρτυρήσαντος τὴν καλὴν ὁμολογίαν, quum nempe cum vitae periculo profiteretur, se esse Regem regni coelestis ad hoc missum, ut veritati testimonium perhiberet, Io. XVIII, 37.

14. Τηρῆσαι—Ἰησοῦ Χριστοῦ) *Ut tuearis doctrinam integram et incorruptam usque ad Domini nostri I. Ch. adventum.* Ἐντολὴ h. l. haud dubie est *doctrina;* ut 2 Petr. II, 21. III, 2. *Doctrina* ἄσπιλος, *carens errorum maculis,* ἀνεπίληπτος, *in qua nihil reprehendi potest.* Plerumque haec vocabula de hominibus integrae vitae usurpantur, raro et forte nunquam alias de doctrinis. Loquitur Paulus ad Timotheum, tanquam qui vivere posset ad tempus, quo Christus ad iudicium venturus esset.

15. Ἦν καιροῖς — κυριευόντων) Καιροῖς ἰδίοις, *tempore, quod ipse novit.* Erat itaque tempus adventus Christi ignotum Apostolis. Δείξει, *procurabit,* exhibebit, sistet. Ὁ μακάριος καὶ μόνος δυνάστης, *qui solus perfectissime est beatus et potens.* Philoni de Victimis Deus est μακαριώτατος, καὶ πάσης εὐδαιμονίας ἀνάπλεως. Servius ad Aen. I. *Felix dicitur, et qui habet felicitatem, et qui facit esse felicem;* horum Deo utrumque proprium. Δυνάστης, *potens.* Vox μόνος additur, quia Dei dominium cum aliorum dominiis comparatum est solum vere dominium. Senec. 58. Epist. *Deus maior et potentior omnibus.* Ὁ βασιλεὺς — κυριευόντων, omnium Regum summus Rex, omniumque Dominorum summus Dominus.

16. Ὁ μόνος ἔχων ἀθανασίαν) Nempe *per se.* Solus immortalitatem suo iure habet, a quo ad Angelos (qui et immortales) ut a fonte immortalitas fluit. φῶς οἰκῶν ἀπρόσιτον) *Lucem inaccessam inhabitans.* Sensus est: *Cuius maiestatem nemo comprehendere mente potest.* Sicuti eum, qui in incredibili splendore versetur, nemo protest intueri, quia splendor nimius praestrinxit aciem oculorum: ita nos Deum, inacesso quasi lumine circumfusum, non possumus intueri, i. e. comprehendere mente et animo; nam *videre* Deum est eum *cognoscere.* In 3. Maccabaico: τὸ οἰκητήριόν σου οὐρανὸς — ἀνθρώποις ἀνέφικτος, i. e. ut in Apostoli verbis ἀπρόσιτος. ὃν εἶδεν—δύναται) 1 Io. IV, 12. Οὐδὲ ἰδεῖν δύναται, *nec unquam poterit videre,* i. e. plene cognoscere, et animo comprehendere. ᾧ τιμὴ καὶ κράτος αἰώνιον) i. e. *Qui summo honore est dignus, et cuius imperium est aeternum.* Κράτος,

ΫΨ, saepe est *imperium*. Hesychius: κράτος, βασιλεία, ἰσχύς, δύναμις.

17. Addit nonnullas admonitiones. Τοῖς πλουσίοις—μὴ ὑψηλοφρονεῖν) Οἱ ἐν τῷ νῦν αἰῶνι πλουσιοι *qui his in terris divites sunt*, sunt quales τοὺς νῦν πλουσίους vocat Arrianus III, 22. in Epictet. et opponuntur divitiae temporales divitiis aeternis, Matth. VI, 20. XIX, 21. et aliis locis. Παράγγελλε μὴ ὑψηλοφρονεῖν. Aptius nil potuit dicere Apostolus divitibus inculcandum, *divitiae* enim (ut vere Seneca, Epist. 87.) *inflant animos, superbiam pariunt.* Idem epist. 74. de vitae huius commodis, quae *bona*, sed improprie dicta, *Etiamsi apud nos sint, inter subiecta et humilia numerentur, propter quae nemo se attollere debeat.* ὑψηλοφρονεῖν, *superbire, altos spiritus alere.* μηδὲ ἠλπικέναι ἐπὶ πλούτου ἀδηλότητι) *Nec fiduciam collocent in incertis divitiis.* Ἀδηλότητα πλούτου i. e. ἄδηλον πλοῦτον Vulgatus vertit *incertum divitiarum*, nec ineleganter nec insolenter. Est autem ἄδηλος πλοῦτος, *Qui puncto mobilis horae Permutat Dominos, et cedit in altera iura*, ut canit Horatius. Seneca epist. 66. *Pecunia, corpus et honores* etc. *possessiones incertae.* ἀλλ' ἐν τῷ θεῷ—εἰς ἀπόλαυσιν) Epitheton Dei est ὁ ζῶν multis in locis. Nec inaniter hic id positum. Divitiae pereunt: ille manet. Divitiae res inanimes: Deus vivus et vitae caussa. Παρέχειν vox apta argumento isti. Hesychius: παρέχει, δίδωσι, χορηγεῖ. Πλουσίως pro *affluenter* vel *abundanter* utitur et in Alexandri vita Plutarchus. Εἰς ἀπόλαυσιν est, non ad victum tantum, sed et ad sensum delectationemque hominum, ut Varro I, 23. de R. R. lo-

cutus. Servius ad Aeneid. 7. *Fruitur, pascitur; quod de rebus tantum bonis dicitur.* Hesychius: *ἀπολαύει, τρυφᾷ.*

18. Ἀγαθοεργεῖν — κοινωνικούς) Ἀγαθοεργεῖν, *beneficia conferre,* (quod facile divitibus,) et quidem in cuiusvis fortunae homines. Πλουτεῖν ἐν ἔργοις καλοῖς, abundare *benefactis,* non tantum in caducis opibus, de quibus praeced. commate. Luc. XII, 33. Εὐμεταδότους εἶναι, *liberaliter dare, pauperibus* nempe, τοῖς χρείαν ἔχουσι. Restringi non male potest haec vox ad rem escariam. Sic σίτων καὶ ποτῶν μετάδοσις apud Xenophontem: τροφῆς μετάδοσις, Sympos. 6, 4. apud Plutarchum. Κοινωνικούς Theodoretus, Theophylactus et recentiores quidam interpretes intelligunt ἐμιλητικούς, fortasse quia praecessit μὴ ὑψηλοφρονεῖν. Oecumenius: κοινωνικούς, τουτέστι πρᾳεῖς, προσηνεῖς, ἀτύφους, συγκαταβατικούς. Alii supplent τῆς τραπέζης, Luc. XIV, 13. Apud Pollucem ἀνὴρ κοινωνικὸς opponitur τῷ τὸν πλοῦτον θησαυρίζοντι.

19. Ἀποθησαυρίζοντας — μέλλον) *Cumulantes sibi bonum fundamentum in futurum.* Durius paullo! Sensus est: *Cumulantes* sibi ipsis divitias perpetuo duraturas, nec unquam interituras. Θεμέλιον καλὸν, appositione elliptica pro ἀποθησαυρίζοντας θησαυρὸν, θεμέλιον καλόν. Haec autem appositio eam vim habere videtur, (vid. *Storrius* ad h. l.) ut substantivum alterum in *adiectivi* loco numerandum, et sic fere vertendum sit: „in posterum, h. e. in illud tempus, quo divitiis praesentibus deficerentur, colligentes sibi thesau-

rum *praeclare fundatum*, *nanciscentes opes fundatas* et *optime constitutas*, bona *stabilia et fixa permanentia*, non incerta et caduca.“ Simillimus locus est Sirac. I, 15. ubi θεμέλιον αἰῶνος iungitur omisso accusativo νοσσίαν, qui coniugatus est verbo ἐνόσσευσε: *nidificavit* (nidum) *perpetuo fundatum*, *semper stabile domicilium* collocavit apud homines. ἵνα — ζωῆς) Pro τῆς αἰωνίου ζωῆς alii rectius legunt: τῆς ὄντως ζωῆς, *verae vitae*, quae sola hoc nomine est digna. Cf. supra Vs. 12.

20. Τὴν παρακαταθήκην φύλαξον) *Serva doctrinam acceptam;* persevera in conditione semel accepta. Permulti Codices et Patres graeci legunt παραθήκην, sensu eodem; nam utraque vox denotat depositum. Intelligitur autem h. l. doctrina, quae Timotheo tanquam depositum tradita erat. φύλαξον hic intellige cum fructu custodiendi, i. e. alios instruendi. ἐκτρεπόμενος — γνώσεως) *ita ut declines profanas istas nugas et altercationes hominum illorum, qui maiorem se tenere cognitionem putant.* Hesychius: κενοφωνίας, ματαιολογίας. Suidas: κενοφωνίας, ματαιοφωνίας. Ἀντιθέσεις, *oppositiones*, *altercationes*. Τῆς ψευδωνύμου γνώσεως. Vulgatus: *scientiae falsi nominis*, et recte; nam ψευδώνυμος est *mentiens nomen alicuius*. Est igitur falsa, opinata scientia, et hoc quidem loco intelliguntur homines, qui talem scientiam profitentur. Plurimi hoc exponunt de verbosis Gnosticorum ad invicem concertationibus, quod tamen dubium est. Vid. *Caroli Christ. Tittmanni* Vestigia Gnosticorum in N. T. frustra quaesita, et cf. eiusdem *opuscula theologica* (Lips. 1803.) p. 25. *) Ἡ ψευδώ-

νυμος γνῶσις est nempe opinata scientia non adversariorum religionis, non doctorum Iudaicorum, veluti Essenorum aut Therapeutarum, sed doctorum quorundam Christianorum in ecclesia Ephesina, qui olim fuerant magistri Iudaici, et nunc in conventibus Christianorum sacris docere solebant simili fere more, quo olim usi erant in Synagogis, et proferre e disciplina, ex qua profecti erant, de Mose et lege Mosaica, de Iudaeorum maioribus etc. Cf. notata ad Col. II, 8. 16. sq.

21. Ἥν τινες—ἠστόχησαν) *Quam* (scientiam) *quum nonnulli profiterentur, aberrarunt a scopo verae religionis.* Ἐπαγγελλόμενοι, *professi*, ut supra II, 10. Περὶ τὴν πίστιν ἠστόχησαν, *a vera religione defecerunt*; aberrarunt a scopo religionis. Vid. supra c. I, 5. ἡ χάρις) Nempe Dei Patris et Christi.

SCHOLIA

IN

EPISTOLAM II. AD TIMOTHEUM.

Paulum Romae fuisse captivum, quum hanc secundam ad Timotheum epistolam scriberet, dubio caret. Vid. c. I, 8. 12. 16. 17. II, 8. 9. Quum autem, ut Veteres tradunt, bis Romae captivus fuerit, quaeritur, utrum hanc epistolam in prima, an secunda captivitate scripserit? Docti dubitant, aliis pro prima, aliis pro secunda captivitate pugnantibus. Argumenta eorum recensuit Michaelis in der Einleitung in die goettl. Schriften des N. B. §. 194. Speciosissimum argumentum pro tempore secundae captivitatis est, quod Paulus c. IV, 6. scribit, se iam libari, ac tempus abitus sui, nempe ex hac vita, iam instare. Unde concluserunt, epistolam hanc scriptam esse, quum secundo sisteretur coram Nerone. Sed ita Paulus scribere potuit, quia iam senectutis annos ingressus, et perpetuis vitae periculis obiectus facile praevidebat, breve sibi tempus huius vitae superesse. Quamvis ego in tanto hominum doctorum dissensu nihil definire ausim, putaverim tamen verisimiliorem esse eorum sententiam, qui hanc secundam epistolam in priori captivitate Pauli scriptam esse ar-

bitrantur. Apostolus enim Timotheum ad se venire iubet, c. IV, 9., tempus etiam definit, ut det operam, quo ante hyemem veniat, Vs. 21., et rogat ut penulam, Troade relictam, et libros afferat, Vs. 13. Hoc vix scribere potuisset, si morti iam fuisset proximus. Ceterum Timotheus tum in Asia minore adhuc fuisse videtur, Vs. 13. An vero nominatim Ephesi tum fuerit, id incertum esse arbitror. Vid. Michaelis I. c. §. 93. Plura habet *Heinrichs* in Prolegomenis ad hanc epistolam.

CAP. I.

1. Ἀπόστολος—τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ) i. e. *Missus a Iesu Christo ex voluntate Dei eum in finem, ut annuntiarem* (hominibus) *felicitatem per Christum partam.* Κατ' ἐπαγγελίαν ζωῆς, *propter annunciationem felicitatis*, ut edoceam homines de promissa ipsis felicitate. Κατὰ, *propter*, finem indicat, quem consequendum sibi proposuerat ex mandato Dei. Ἐπαγγελία ζωῆς, *annuntiatio felicitatis*, quae hominibus contigit ἐν Χρ. I. per Christum Iesum.

3. Χάριν ἔχω — καὶ ἡμέρας) *Gratias ago Deo, quem colo inde a maioribus* (maiorum more) *sincera mente, quod iustam caussam habeam, in precibus meis semper mentionem faciendi tui.* Ἀπὸ προγόνων, *maiorum exemplo.* Eundem Deum colebat Paulus, quem coluerant maiores eius a Beniamine usque. Non enim alius Deus est Iudaeorum, alius Deus Novi Testamenti. Deum verum colebant illi sub Lege, Pau-

lus (insistens vestigiis eorum) sub Evangelio. Ὡς ἀδιάλειπτον ἔχω τὴν περί σοῦ μνείαν, *quod iustam caussam habeo, semper mentionem faciendi tui*, dum nempe audio te adeo strenue tuo munere fungi. Haud raro ὡς poni pro ὅτι, dubio carere videtur. Deinde verbum quod actionem notat, saepe hebraico more de iure debitoque intelligendum esse, omnibus notum. Νυκτὸς καὶ ἡμέρας, *assidue*, i. e. quoties Deum meis precibus interpello.

4. Ἐπιποθῶν—πληρωθῶ) i. e. *Quotiescunque recordor tuarum lacrymarum* (quas nempe me a te discedente, effudisti,) *videre te cupio, ut* (tecum) *gaudere possim.* Respicitur sine dubio ad Act. XX, 37. 38., ubi multi Presbyteri adfuisse, et Paulo cum multis lacrimis valedixisse dicuntur.

5. Ὑπόμνησιν—πίστεως) i. e. *Mihimetipsi commemorans fidem sinceram, quam in te vidi atque cognovi.* Ὑπόμνησιν λαμβάνω, *in mentem mihi revoco.* Phrasis insolentior. ἥτις ἐνῴκησε — καὶ ἐν σοί) *Quae, uti olim aviae tuae Loidi et matri Eunicae inhaesit, ita tibi inesse, mihi persuadeo.* Μάμμη, *avia.* Perperam de avia hoc dici, Phrynichus, Thomas Magister, aliique aiunt, τίθης vocabulum afferentes bonis auctoribus. Sed Philo etiam utitur hac voce de Spec. legg. p. 778. C. Ὅτι καὶ ἐν σοί, sc. ἐνοικήσει.

6. Δι' ἣν—χειρῶν μου) *Quapropter adhortor te, ut refocilles dotem Dei, quae tua est per impositionem manuum mearum*, s. ex quo tibi manus meas

imposui. χάρισμα, idem quod πνεῦμα, h. l. est illa fortitudo animi, (δύναμις Vs. 7.), quae cernitur παῤῥησίᾳ quadam in *professione* christianae doctrinae, *in tolerandis propter eam adversis*, ignaviamque et metum contemnit. Cf. 1 Tim. IV, 14. Ἀναζωπυρεῖν proprie est *ignem sopitum suscitare;* metaphorice autem *dotes* ἀναζωπυρεῖν erit, eas usu quotidiano et exercitatione augere. Latini dicunt: *excitare igniculos ingenii.* Vult Paulus, Timotheum uti facultatibus sibi concessis, impellit eum ad dotem usurpandam.

7. Οὐ γὰρ — σωφρονίσμου) *Neque enim dedit nobis Deus spiritum ignaviae,* (mollem s. meticulosum animum,) *sed fortitudinis et amoris et temperantiae;* i. e. *Non vult Deus, ut animo simus timido, sed forti, amoris prudentiaeque pleno.* Haec ideo dicit, quod aliquantum metuebat, ne Timotheus, conspectis illis perpetuis malis, quae Paulum et Christianos premebant, ob id labasceret. Videtur Timotheus paullo timidior fuisse in tradenda religione christiana. Πνεῦμα δειλίας, *animus timidus.* Nam πνεῦμα, coniunctum cum vocabulis, affectionem animi significantibus, significat *sensum, animum, Denkart, Gesinnung.* Animo timido opponitur πνεῦμα δυνάμεως, *animus fortis,* periculis et vexationibus resistens. Ex amore proximi fortitudo illa nascitur. Coniuncta esse debet cum hac fortitudine in admonendo et castigando malos, charitas et σωφρονισμὸς, *moderatio:* ut doctor moderate se gerat in munere suo.

8. Μὴ οὖν — τὸν δέσμιον αὐτοῦ) *Nec igitur te pudeat professionis domini nostri, nec mei, qui sum*

eius caussa in vinculis. Τὸ μαρτύριον, *professio, doctrina.* Δέσμιον αὐτοῦ, *qui nunc in vinculis sum ipsius caussa;* nam Genitivus hic caussam ob quam significat, ut Phil. III, 1. aliisque locis. Sic apud Lysiam τιμωρίαι τῶν θεῶν, poenae ob violatos Deos. Ne te mei pudeat; ne pudeat, te dici discipulum Pauli, quod tanta patior. ἀλλὰ συγκακοπάθησον—θεοῦ) *Sed perfer mala communiter cum Evangelio pro fortitudine tibi a Deo concessa.* Priora verba verti possunt: Mala perfer mecum propter Evangelium; vel etiam: similem iniuriam, qua Evangelium afficitur, patienter tolera, ut subsit προσωποποιΐα, qua sensus tribuitur Evangelio, quomodo alibi legi, morti, peccato. Κατὰ δύναμιν θεοῦ, pro viribus a Deo concessis, adiuvante vi divina.

9. Τοῦ σώσαντος—ἁγίᾳ) *Qui nos felices reddit, et promisit nobis bona maxima per doctrinam suam.* Σώζειν, *liberare*, nempe ab omnibus huius vitae malis, includit etiam felicitatem, quae hanc liberationem consequitur. Καὶ καλέσαντος κλήσει ἁγίᾳ, *et felicitatem nobis promisit promissione sancta*, i. e. qui nobis obtulit bona sancta. Καλεῖν, *invitare, promittere, offerre felicitatem.* Κλῆσις ἁγία, *promissio bonorum sanctorum.* Bona sancta autem sunt, quae non sunt terrena, et huius vitae, sed quae ad animum et veram felicitatem nostram spectant. οὐ κατὰ—αἰωνίων) *Non propter merita nostra, sed sua sponte et ex favore, quem inde ab antiquissimis temporibus propter Christum Iesum nobis ostendere voluit.* Τὰ ἔργα, h. l. sunt merita. Nemo potest haec bona spiritualia tanquam sibi debita a Deo postulare. De vera virtute

hic non est sermo, quasi ea nihil sit, et nihil possit. Hoc autem dicit: salutis causa non est meritum nostrum, sed Dei gratia; quod Paulus saepe urget, cf. Rom. IX. Gal. II, 16. Κατ' ἰδίαν πρόθεσιν, cf. Eph. III, 11. Διδόναι h. l. est idem quod ἐπαγγέλλεσθαι Tit. I, 2.

10. Φανερωθεῖσαν — Ἰησοῦ Χριστοῦ) Φανερωθεῖσαν ad πρόθεσιν καὶ χάριν referri, nemo non videt. Favorem illum Deus nobis ostendere olim decrevit; nunc vero, inquit Apostolus, iam eum ostendit nobis et manifestavit, διὰ τῆς ἐπιφανείας τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰ. Χρ., dum misit et apparere iussit Servatorem nostrum I. C. καταργήσαντος — διὰ τοῦ εὐαγγελίου) i. e. *Qui a metu mortis aeternaeque miseriae nos liberavit, et per doctrinam suam nos fecit certos de felicitate aeterna,* nobis post mortem exspectanda. Θάνατος h. l. non tam est mors naturalis, (opponitur enim felicitati aeternae,) quam potius miseria perpetua. Sustulit tamen Christus etiam mortem naturalem, i. e. metum mortis naturalis, dum spopondit, se nos in vitam revocaturum. Sustulit metum miseriae perpetuae, dum nobis promisit aeterna bona. Φωτίζειν, *in lucem producere.* Ita in Epictetum Arrianus I, 4. ἀληθειαν φωτίζειν, dixit. Ζωὴν καὶ ἀφθαρσίαν, per Hendyadin, pro: ζωὴν ἄφθαρτον, *felicitatem aeternam.* Hanc autem notitiam Christus nobis impertiit per Evangelium. i. e. per doctrinam suam.

11. Εἰς ὃ—ἐθνῶν) *Cuius ego praeco ac nuncius, et doctor* (praecipue) *profanarum gentium constitutus sum.* Illud ὃ, totum illud, quod praecessit, respicit. Par locus 1 Tim. II, 7.

12. Οἶδα γὰρ ᾧ πεπίστευμαι) *Scio enim, quis is sit, cui confido*, potentissimus nempe, et optimus. Locutioni huic similis Ciceronis illa: *Scio quem metuam*, VII, 26. ad Atticum; et Plinii ista Lib. I. Epist. 3. *Scio quem animum, quod horter ingenium.* ὅτι δυνατός ἐστι—ἡμέραν) *Eum posse doctrinam mihi traditam* (religionem) *conservare ad finem usque mundi.* Παραθήκην Docti varie interpretantur, quum alii intelligant *fideles Paulo commissos*, alii *gratiam*, alii *mercedem*, alii *bonorum operum merita*, *animam*, alii denique *coronam vitae aeternae.* Mihi videtur habere h. l. eandem significationem, quam habuimus supra 1 Tim. VI, 20. cf. statim Vs. 14. Est igitur παραθήκη, vel παρακαταθήκη *Religio*, vel doctrina religionis, quam Deus Paulo commendaverat, tanquam depositum, et quam Paulus ex Christi auctoritate aliis commendare solebat. Nec obstat, quod additur εἰς ἐκείνην τὴν ἡμέραν, nempe diem iudicii; dicit enim Apostolus: Deus conservare potest, et conservabit religionem, etsi ego eim in vinculis. Si ego non possum docere, alii docebunt, nec unquam deerunt doctores usque ad illum diem Iesu Christi.

13. Ὑποτύπωσιν — ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ) Ordo videtur esse: ὑποτύπωσιν τῶν ὑγιαινόντων λόγων, ὧν παρ' ἐμοῦ ἤκουσας ἔχε ἐν πίστει καὶ ἀγάπῃ, *Summam doctrinaram saluberrimarum, quas edoctus es a me; retine cum fide et charitate quae huic doctrinae Christi conformis est.* Ὑποτύπωσις, *delineatio*, metaphora aut a re pictoria, aut ab architectonica desumta. *Formam* perite ergo Vulgatus vertit. Ἔχειν pro κατέχειν.

14. Τὴν καλὴν — ἐν ἡμῖν) *Conserva* (tuere) *praeclarum depositum per spiritum sanctum in te habitantem.* Supra Vs. 12. et 1 Tim. VI, 20. Διὰ πνεύματος ἁγίου, i. e. *auxilio Spiritus sancti adiutus.*

15. Οἶδας—ἐν τῇ Ἀσίᾳ) Οἶδας τοῦτο, puto scire te vel audisse, ut Latini loquuntur. Ἀπεστράφησάν με πάντες, *deseruerunt me* Romae captivum *omnes*, scil. doctores illi in Asia minori, in locis circa Ephesum, nempe ob pericula. Ὧν, pro ἐξ ὧν. Proponit Apostolus hoc comm. et sqq. exempla rerum et hominum amandorum et fugiendorum.

16. Δώη—οἴκῳ) *Benefaciat Deus Onesiphori familiae.* οἶκος, *familia.* Ἔλεος, *beneficium. Onesiphorum* servile nomen fuisse, videmus vel ex L. Titia, ff. d. manumiss. testam. Videtur autem Onesiphorus iste libertus fuisse cuiuspiam e Romanis nobilioribus, et mortuus fuisse, quum Paulus haec scriberet; nam et infra IV, 19. eius familiam salutat, non autem *Onesiphorum.* ὅτι πολλάκις—ἐπῃσχύνθη) Ἀνέψυξέ με, i. e. ut Col. IV, 11. ἐγενήθη μοι παρηγορία, *recreavit me.* Hesychius eo sensu ex hoc Apostoli loco: ἀνέψυξεν, ἀνέπαυσεν. Translatio videtur sumi ab iis, qui siti conficiuntur. Τὴν ἅλυσίν μου οὐκ ἐπῃσχύνθη, *vinculorum meorum eum non puduit*, i. e. *non me deseruit, propterea quod essem in carcere;* non erat ex iis, qui discedunt quum catena crepat. Magnifice hoc elogio effert atque ornat constantiam eius. Cicero in Laelio: *quam graves, quam difficiles plerisque videntur calamitatum societates! ad quas non est facile inventus qui descendat.*

17. Ἀλλὰ — εὗρε) Γενόμενος ἐν Ῥώμῃ, *quum venisset Romam.* Ephesini mercatores multa negotia Romae habebant. Σπουδαιότερον — εὗρε, per totam urbem Romam cursitavit, *donec me reperiret.*

18. Δώῃ — ἡμέρᾳ) *Faxit Deus, ut aeternam felicitatem consequatur in illo die.* Παρὰ κυρίου i. e. παρ' αὐτοῦ, pleonastice per notum Hebraismum, qualis repetitio nominis vice proniminis est etiam Io. XI, 22. Susannae com. 55. et alibi locorum. καὶ ὅσα — γινώσκεις) Ὅσα, *In quantis et qualibus negotiis.* Διηκόνησε, mihi nempe, vel ἀδελφοῖς ἁγίοις, ut nonnulli volunt. διακονεῖν, *quodcunque ministerium praestare, sich Verdienste erwerben.* Βέλτιον σὺ γινώσκεις, *optime nosti.*

CAP. II.

1. Ἐνδυναμοῦ—Ἰησοῦ) *Fortis esto in administrando munere, a Christo tibi concredito.* Χάρις, ut Rom. XII, 3. videtur h. l. esse munus Apostolicum. Si ἡ χάρις significat *beneficium*, sensus est: *impavidus esto fretus beneficio, vel auxilio Christi.*

2. Καὶ ἃ ἤκουσας—ἀνθρώποις) Διὰ πολλῶν μαρτύρων, *coram multis testibus;* fortassis iisdem, qui ei cum Paulo manus imposuerant. Hanc τῆς διὰ significationem multis probat *Krebsius* ad Actor. VII, 53. Potest tamen ad διὰ πολλῶν μαρτύρων etiam subaudiri βεβαιουμένων, ἐσφραγισμένων, μεμαρτυρουμένων, ut haec referantur ad Vet. Test. auctoritatem. Sic sensus est:

Quae igitur a me tibi in multis testimoniis sunt tradita, i. e. multis testimoniis adhibitis, quae a me multis testimoniis (*νόμου καὶ προφήτων*) confirmata audiisti, ea aliis concede hominibus fidis. Μάρτυρες Paulo sunt Prophetae, cf. Rom. IV, 23. XV, 4. XVI, 25. 26. 1 Cor. X, 11. aliaque loca, ubi maximam ait Prophetarum vim esse in confirmanda doctrina christiana, ad quam omnia pertineant oracula. Clem. Alex. Hypotypos. L. VII, ed. Potter, T. II. p. 1015. *διὰ πολλῶν μαρτύρων, τοῦτ' ἐστι νόμου καὶ προφήτων.* Τούτους γὰρ *ἀπόστολος ἐποιεῖτο μάρτυρας τοῦ ἰδίου πράγματος.* — Παράθου, *commenda*, (ut hic Vulgatus,) nimirum ut solemus deposita, quae fidissimis commissa volumus. Sic *πιστῷ παρακατατίθεσθαι* Arrianus IV, 13. in Epictetum. Πιστοὺς intelligit ut 1 Tim. I, 12. *εἰς διακονίαν πιστοὺς*, i. e. quae acceperunt, *ἐν πίστει καὶ ἀληθείᾳ* docturis, 1 Tim. II, 8. verbum Dei non adulteraturis. *οἵτινες — διδάξαι*) i. e. *δυνάμενοι καὶ ἄλλους νουθετεῖν.* E converso Cyprianus Epist. 61. de histrione: *Quod male didicit, ceteris quoque insinuat.*

3. Σὺ οὖν — Χριστοῦ) Κακοπάθησον, *perfer aerumnas.* Καλὸς στρατιώτης, *bonus miles.* Talis Polluci I, 11. *στρατιώτης δόκιμος.* Est et hic *κακοπαθεῖν ὡς καλὸς στρατιώτης*, quod 1 Tim. I, 18. *τὴν καλὴν στρατείαν στρατεύειν*, et ibidem VI, 12. *τὸν καλὸν ἀγῶνα ἀγωνίζειν.* Στρατιώτας *κακοπαθοῦντας* habemus in vitis Antonii et Gracchorum apud Plutarchum. Opponuntur talibus *στρατιῶται οὔτε δίψαν οὔτε ἄλλην κακοπάθειαν φέρειν δυνάμενοι*, in Excerptis Diodori Siculi. Suidas de Rege Prusia: *πρὸς τὰς πολεμικὰς χρείας ἀγενὴς — καὶ πρὸς τὰς κακοπαθείας ἀλλότριος.*

4. Οὐδεὶς—πραγματείαις) *Nemo, qui militat, implicat se vitae negotiationibus.* Πραγματεία in genere est *omne negotium*, quod quis tractat; speciatim vero est *negotium mercatorium*, *mercatura*, *negotiatio.* Militibus ex legibus militiae non licuisse negotiari, docet *Salmasius* de Usuris, p. 935. Ostendit Apostolus comparatione ducta a seculari militia, quam parum deceat militiam multo meliorem amplexum ab aliis vitae curis et nexibus avocari. ἵνα—ἀρέσῃ) *ut imperatori*, duci *placeat*, quod utique facere non poterit, si aliis curis distrahatur. Τῷ στρατολογήσαντι i. e. τῷ αὐτὸν εἰς τὸ στρατόπεδον καταλέξαντι, imperatori nimirum.

5. Ἐὰν δὲ καὶ—ἀθλήσῃ) *Si quis vero fuerit athleta, non coronari solet, nisi legitime certaverit,* nisi omnes adsint conditiones; quarum prima est, ut ad metam perveniat. Altera similitudo a publicis certaminibus desumta. Habuit enim leges suas ἡ σωματικὴ γυμνασία, habet et suas illa quae est πρὸς εὐσέβειαν, legitima Christi pugilum decertatio. Sic Aristides Orat. II, de Pace ἐν τοῖς στεφανίταις ἀγῶσι τοὺς ἔξω τῶν νομίμων τρόπων μαχομένους dixit. Νομίμως ἀθλεῖν etiam *Arrianus III*, 10. in Epictetum, et νομίμως πολεμεῖν Plutarchus in Alexandri vita dixere.

6. Τὸν κοπιῶντα — μεταλαμβάνειν) Vox πρῶτον ad antecedens κοπιῶντα, non ad verbum μεταλαμβάνειν referenda est. Ordo naturalis verborum videtur talis esse: τὸν γεωργὸν πρῶτον κοπιῶντα (i. e. κεκοπιακότα)

δεῖ τῶν καρπῶν μεταλαμβάνειν, agricolam de fructibus percipere aequum est, at ita demum, si prius laboraverit.

7. Νόει—ἐν πᾶσι) Νόει, ἃ λέγω, *attende dictis*; intellige, quod loquor; cogita illa exempla vitae communis. Hesychius: νόει, συλλογίζου. Σύνεσιν hic intellige πνευματικήν. Illud γὰρ hic redundare videtur, ut infra com. 11. et alibi.

8. Μνημόνευε — εὐαγγελίόν μου) Si mihi, vel tibi etiam gravius quid eveniat, memento, Iesum Christum, morte ignominiosa mortuum, resuscitatum fuisse a Deo ad vitam gloriosam. Idem et nobis eveniet, si adversis nihil territi, in fide et professione perstiterimus. Ἐκ σπέρματος Δαβὶδ, sc. ὄντα, quod e familia Davidis (homo) fuit; hactenus enim in vitam rediit. Fortassis autem (ut *Storrius* ad h. l. monet,) haec verba pertinent ad *regnum*, quod Iesus Christus, a morte ad vitam revocatus, cepit, cuius commemoratio etiam alias, et ab ipso Paulo cum mentione reditus Christi in vitam coniungitur. Act. II, 30—36. XIII, 32—37. Rom. XIV, 9. Κατὰ τὸ εὐαγγέλιόν μου, *ut ego te docui.*

9. Ἐν ᾧ—κακοῦργος) Ἐν ᾧ, *cuius caussa.* Κακοπαθῶ, *multa mala fero*, et aequo animo fero. Nam et hoc huic verbo his locis inest. Μέχρι δεσμῶν, vincula adeo perfero; exaggeranter dicta; est enim et mitior quaedam φυλακὴ, quae ἄδεσμος dicta. Ὡς κακοῦργος, patior, quod homines facinorosi solent, quum non tantum impunis deberem esse, sed et laudari. ἀλλ' —δέδεται) *Sed doctrina Dei non constringitur vinculis;* ea semper propagabitur, etsi ego sum in vincu-

lis; vel: quamvis in vincula sum coniectus, tamen non prohibeor, quo minus hanc doctrinam palam tradam.

10. Διὰ τοῦτο πάντα ὑπομένω) *Propterea omnia sustineo;* quia nempe confido, Christum mihi vincto etiam adfuturum, caussam meam tuiturum, et me, ipsius gratia patientem, honoribus, praemiis atque splendore sic decoraturum esse, ut me perpessionis pudere aut poenitere non possit. Ante verba διὰ τοὺς ἐκλεκτοὺς (scil. εἰς σωτηρίαν) per ἀσύνθετον supplendum esse videtur: καὶ, ut 1 Cor. XI, 10. ubi caussae, quam ex superioribus repeti volunt verba διὰ τοῦτο haec alia ratio subiicitur: διὰ (pro καὶ διὰ) τοὺς ἀγγέλους. Sic igitur hic dicit, se tot mala perferre propter Evangelium eam etiam ob caussam, ut Christiani exemplo eius ad similem constantiam incitarentur. ἵνα καὶ—αἰωνίου) *Ut ipsi quoque salute per Christum parta fruantur* (in hac vita) *et tandem aeternam felicitatem consequantur.* Ἡ σωτηρία ἡ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, *salus per Christum parta*, qua Christiani iam in hac vita fruuntur; e. c. remissio peccatorum, animi tranquillitas, spes vitae aeternae.

11. Πιστὸς—συζήσομεν) Πιστὸς ὁ λόγος, nempe is qui sequitur, *si mortem cum illo* (pariter quam ille) *subicrimus, cum eodem vitam* (felicitatem) *consequemur. Cum illo*, sc. *Christo*, pariter ut ille. *Una cum Christo mori* significat miserias atque calamitates, mortis pericula et mortem ipsam subire exemplo Christi, et propter Christum. Καὶ συζήσομεν, liberabimur a vitae periculis, vel potius aeternam felicitatem, qua Christus iam fruitur, adipiscemur.

12. Εἰ ὑπομένομεν — ἀρνήσεται ἡμᾶς) Ὑπομένομεν, sc. τῇ θλίψει, ut plenius Rom. XII, 12. locutus. Συμβασιλεύσομεν, sc. Χριστῷ. Gloriae et honoris summi, quo Christus fruitur, erimus participes. Εἰ ἀρνούμεθα, si negaverimus, eum esse Dominum nostrum, et religionem eius esse veram; si repudiaverimus eius exemplum. Ἀρνήσεται ἡμᾶς, pro suis nos non agnoscet, ac proinde ad gloriae suae communionem nos non admittet.

13. Εἰ ἀπιστοῦμεν — μένει) *Si nos in illum infidi sumus*, fidem et obsequium ei denegamus, scire debemus eum esse veracem. Sermo Pauli hoc loco defectivus est: subaudiendum enim: γινώσκομεν ὅτι ἐκεῖνος etc. Πιστὸν autem in contextu nostro intellige veracem, non minus in poenis infligendis, quam in praemiis distribuendis. Christus manet fidus. Nos perfidia nostra fidei et veracitati eius nihil derogamus. ἀρνήσασθαι ἑαυτὸν οὐ δύναται) *Non potest contra naturam suam agere;* quae in eo etiam est, ut sit verax. Negare potest nos, sed non potest negare seipsum; negare non potest se esse Christum, et vera esse quae ipse docuit. Οὐ δύναται, ab eo alienissimum est, indoli eius adversatur, contra naturam eius est.

14. Ταῦτα ὑπομίμνησκε — ἀκουόντων) *De his admone* (doctores curae tuae creditos,) *obtestando eos, ne de legibus* (Mosaicis) *rixentur, quod fructu caret, ad perniciem audientium valet.* Ὑπομίμνησκε, sc. αὐτούς, ut plenius Tit. III, 1. loquitur. Μὴ λογομαχεῖν, 1 Tim. VI, 4. Post χρήσιμον supple ἀλλὰ, vel μόνον. Ἐπὶ τῇ καταστροφῇ τῶν ἀκουόντων, *in de-*

trimentum auditorum. Dum enim tales verborum pugnas audiunt, nihil certi esse in religione christiana putant ac dicunt; et sic fides eorum subvertitur. Quare a rixis inanibus omni modo abstinendum est.

15. Σπούδασον—τῆς ἀληθείας) *Operam da, ut te ipsum praebeas operarium Deo probatum, valde gnavum et strenuum, qui recte tractat doctrinam veram.* Ἐργάτην ἀνεπαίσχυντον, *quem laboris sui non pudeat,* qui sciat, non esse cur laboris (doctrinae et vitae) pudeat. Is vero strenue et libenter laborabit. Ὀρθοτομεῖν, saepe est *via recta incedere,* ὀρθῶς ὁδεύειν. Sic Gregorius Nazianzenus *Orat. apol. fugae,* τῷ ὀρθοτομεῖν, *rectum iter tenere,* opponit τὸ κακῶς ὁδεύειν, *prave incedere.* Simili modo καινοτομεῖν est *nova via incedere, novas opiniones de religione suscipere et spargere.* Ὀρθοτομεῖν τὸν λόγον τῆς ἀληθείας est *recte tractare doctrinam divinam,* proponere auditoribus, quod illis aptum est, pueris lac, adultis solidiorem cibum, moestis solatium etc.

16. Τὰς δὲ—περίϊστασο) Κενοφωνίας, *profanas* (inutiles) *disputationes,* supra 1 Tim. VI, 20. Περίϊστασο, i. e. παραιτοῦ, *devita.* Iosephus de B. I. II, 8. 6. de Essenis, τὸ ὀμνύειν αὐτοῖς περίϊσταται, *iusiurandum vitant. Diogenes Laërtius* L. IX, c. 1, §. 9. περίϊστασθαι ὑπερηφανίας, *superbos declinare mores.* Illud, quod sequitur προκόψουσιν, et ὁ λόγος αὐτῶν, poscit, ut hic intelligamus constructionem, quam vocant πρὸς τὸ σημαινόμενον, vel ut τὰς βεβήλους κενοφωνίας metonymice explicemus τοὺς βεβή-

λους κενοφώνους. ἐπὶ πλεῖον—ἀσεβείας) *Nam ad maiorem in dies progrediuntur impietatem*, illi nempe κενοφωνοί. Προκόπτειν h. l. de incremento *rei malae* sumitur. Sic Diodor. Sic. ἐπὶ πλεῖον κακίας προβαίνειν dixit, et Leo Imperator Constit. 47. πρὸς ἀναίδειαν προκόπτειν.

17. Καὶ ὁ λόγος — ἕξει) Gangraena non idem est, quod cancer, sed vicinum aliquid, *der kalte Brand.* Νομὴν ἕξει Latinus interpres vertit: *serpit*, non voce, sed sensu bene expresso; de morbo dicitur latius serpente et omnia corporis membra occupante. Non aliud videtur νομὴν ἔχειν, quam simpliciter νέμειν, quod Act. IV, 17. argumento non dissimili ἐπὶ πλεῖον διανέμεσθαι, et Hebr. XII, 15. πολλοῦς μιαίνειν, metaphora a re hortensi desumta. Simili phrasi Plutarchus (Lib. de discrim. adul. et amici) adulatorum fictas laudes γαγγραίνας καὶ καρκινώματα vocavit; quod nempe semina quaedam in animo relinquunt, quae eum corrumpunt depascuntque.

18. Περὶ τὴν ἀλήθειαν ἠστόχησαν) *A vera religione aberrarunt.* Sic 1 Tim. IV, 5. τῆς ἀληθείας ἀποστερεῖσθαι. λέγοντες—γεγονέναι) Ac proinde resurrectionem mortuorum corporum non esse expectandam. Qualem resurrectionem, iam factam, Haeretici illi intellexerint, non satis constat. Videntur resurrectionem sensu allegorico accepisse vel de emendatione morum, vel etiam de propagatione Evangelii inter omnes nationes. Sic enim spiritualiter mortui spiritualiter resurgunt. Putabant fortassis isti homines resurrectionem corporum fieri non posse. καὶ ἀνατρέπουσι τὴν τινῶν

πίστιν) i. e. *Faciunt, ut multi de religionis veritate dubitent.* Ἀνατρέπουσι, *subvertunt,* (ut Vulgatus,) vel *labefactant.* Glossarium: *Labefactat,* ἀνατρέπει, σαλεύει. Similitudo fortasse sumta est a machinis bellicis, quae male munitorum fundamenta ἀνατρέπειν dicuntur; unde commate sequente opponitur στερεὸς θεμέλιος.

19. Ὁ μέν τοι — ἕστηκε) *Fundamentum, quod Deus posuit, firmum stat.* Videtur autem Paulus intelligere *religionem,* quae Deum habet auctorem. Hanc evertere volunt quidem doctores, sed fundamentum stat firmum. Aliis θεμέλιος h. l. per Synecdochen est *domus,* inprimis *magna domus.* Hoc sensu LXX. hebraicum אַרְמוֹן *palatium,* saepe per θεμέλιον transferunt, ut Ies. XXV, 2. Ierem. VI, 5. et alibi. Olim singulas aedes habuisse inscriptiones, quibus ab aliis distinguerentur, demonstravit *Warnekros: Entwurf der hebr. Alterthümer,* p. 16. Ita sensus esset: *Evertunt* quidem doctores mendaces *quorundam* fidem, totam vero *aedificii molem,* totam ecclesiam nunquam destruent, Matth. XVI, 18. Optime respondet haec explicatio verbis ἐν μεγάλῃ δὲ οἰκίᾳ Vs. 20. ἔχων τὴν σφραγῖδα ταύτην) *Habens inscriptionem hanc.* Σφραγὶς hic est id, quod lapidi vel aedibus inscribitur, et intelligitur inscriptum aliquod in perpetuam religionis memoriam, quod nobis semper in memoria versari debet, cum de religione cogitamus. ἔγνω κύριος τοὺς ὄντας αὐτοῦ) *Novit Deus cultores suos.* Οἶδεν οὓς ἐξελέξατο, Io. XIII, 18. Γινώσκει τοὺς εὐλαβουμένους αὐτόν. Nahum I, 17. Moses Num. XVI, 5. *Mane notum faciet Dominus, qui ad se pertinent.*

Sunt autem hic οἱ ὄντες αὐτοῦ, ad eum pertinentes, qui bene colunt eum. Innuit his verbis Apostolus: *Non omnes, qui religionem externe profiteantur a Deo ut suos agnosci.* καὶ ἀποστήτω—τοῦ κυρίου) *Quisquis Christiani nomen gesserit, abstineat se ab omni vitiositate.* Haec est altera inscriptio. Ἀδικία, omnis *vitiositas* et *impietas*. Ὀνομάζει τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου, qui rogatus, cuius sit disciplinae, Christum nominat ut magistrum. Vide 1 Cor. I, 2. *Christianus.* Cf. Matth. VII, 23.

20. Ἐν μεγάλῃ—εἰς ἀτιμίαν) Σκεῦος, ut hebr. כְּלִי est non tantum *vas*, sed et *instrumentum* et *utensile* quodvis. Εἰς τιμήν, εἰς ἀτιμίαν, *honesto, minus honesto usui destinata.* Sic Scriptor Sapientiae XIV, 7. τὰ τῶν καθαρῶν ἔργων δοῦλα σκεύη, τά τε ἐναντία vocat. Deest similitudinis applicatio. Quemadmodum nempe in magna domo, vel palatio divitis multa et varia est suppellex, variis usibus destinata, ita in illa domo Dei, quae est ecclesia, variae conditionis homines versantur, quorum non omnium est eadem dignitas atque bonitas. Multi enim in ea versantes sese ita gerunt, ut nullo bono usui idonei sint, quae ipsorum est culpa, cum non operam dant, ut puri sint, atque niteant. Videtur autem h. l. sermo esse de doctoribus.

21. Ἐὰν οὖν—ἀπὸ τούτων) *Si quis se seiunxerit ab illis*, falsis nempe doctoribus. Ἐκκαθαίρειν ἑαυτὸν est καθαρὸν ἑαυτὸν τηρεῖν, *mundum intactumque se servare.* ἔσται σκεῦος—ἡτοιμασμένον) *Is vasis honestioris loco erit*, i. e. doctor *sanctus, domino utilis, et ad quaslibet virtutes exercendas*

praeparatus. Erit similis *vasi*, *honestis usibus destinato; aptus erit idoneusque egregiis ministeriis in ecclesia in honorem Domini praestandis:* doctor egregius erit.

22. Τὰς δὲ—φεῦγε) *Fuge temerarias cupiditates.* Νεωτερικὰς ἐπιθυμίας nonnulli gloriolas exponunt, quibus qui inserviunt νεανιεύεσθαι Graecis dicuntur, quod aliis, sensu non valde dissimili est *audacem se, strenuumque gerere.* Alii simpliciter intelligunt cupiditates eas, quae iuvenili aetati, in qua constitutus adhuc erat Timotheus, incidere solent, cuiusmodi νεωνικὰς ἡδονὰς Maximus Tyrius Dissert. 31. vocat. In his autem studiis sive cupiditatibus habet locum inanis gloriae sectatio. Alii intelligunt vehementes et effrenes cupiditates, ad quas iuvenilis aetas inprimis proclivis reperitur. Nam νεωτερικὸς aeque ac νεανικὸς non solum *audacem, temerarie agentem,* sed etiam *omne* significat, quod *magnum est, acre atque vehemens.* Alii denique νεωτερικὸν volunt esse *novitium*, ut *cupiditates novitiae* sint cupiditates rerum novitiarum, noviter repertarum et proditarum, quarum homines, iuvenes praesertim solent esse cupidi, quo ceteris videantur esse sapientiores. δίωκε—καρδίας) Δικαιοσύνη, *innocentia, virtus.* Πίστις, *fides in verbis, fidelitas.* Εἰρήνη μετὰ τῶν ἐπικαλουμένων τὸν κύριον, *concordia cum Christianis.* Postrema illa ἐκ καθαρᾶς καρδίας referri possunt ad τὸ ἐπικαλουμένων etc. ut intelligantur *sinceri Christiani,* vel ad illa δίωκε — ἀγάπην. Ita 1 Tim. I, 5. ἀγάπη ἐκ καθαρᾶς καρδίας.

23. Τὰς δὲ μωρὰς—γεννᾶσι μάχας) Est eadem admonitio, quae 1 Tim. I, 4. et VI, 4. Μωρὰς vocat illas quaestiones, quia ad veram et salutarem sapientiam nihil pertinent. Ἀπαιδεύτους ζητήσεις intellige *quaestiones inscitas, Christiano indignas;* Vulgatus *sine disciplina* vertit; huiusmodi enim quaestiones nihil ad παιδείαν fidei rectae morumve conferunt. Μάχας, *rixas, iurgia, lites.* Gellius XIV, 5. de duobus Grammaticis: *Clamantes compugnantesque* (μαχομένους) *eos reliqui.*

24. Δοῦλον δὲ—ἀνεξίκακον) Δοῦλον κυρίου, *servum Christi*, adeo patientis ac pacifici, cultorem Dei, doctorem, qui ministerium praestat. Μάχεσθαι, *rixari.* Ἤπιον εἶναι πρὸς πάντας, ut Macrobius Saturnal. I, 7. de Praetextata: *erat in omnes placidus ac mitis.* διδακτικὸς, qui aptus est ad apte docendos homines. Ἀνεξίκακος, *iniuriarum patiens*, qui adversariorum voces aequo animo perfert. Hierocles de amicis loquens: πρὸς τὴν ἀρίστην αὐτῶν τήρησιν πλεῖστα συμβάλλεται τὸ ἡμέτερον ἀνεξίκακον.

25. Ἐν πραότητι — ἀντιδιατιθεμένους) Vulgatus: *Cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati. Corripientem*, i. e. castigantem, nempe verbis. Sunt nempe errantes leniter tractandi, non maledictis exasperandi. Imo doctoribus mansuetudo aeque necessaria ac doctrina ipsa; duci enim, non trahi vult humanae naturae morositas. μήποτε — ὀλήθειαν) *Experiendo, an det Deus illis resipiscentiam, ut cognoscant veritatem.* In μήποτε, ut in Graeco Gen. III, 22. et Rom. XI, 21. μήπως est Ellipsis. *Num for-*

tasse. Εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας, ut perveniant ad agnitionem eius veritatis, quam nunc oppugnant.

26. Καὶ ἀνανήψωσιν—θέλημα) *Et ad se redeuntes expediant se e laqueo Diaboli, a quo capti sunt, ut eius voluntati obediant.* Varie explicatur hoc comma ab Interpretibus, quorum sententias enumerare longum foret. Νήφειν, vulgo, *ad sobrietatem redire;* deinde vero, *se recipere, colligere* ex quacunque demum perturbatione; *sich besinnen; zu sich selbst kommen.* Sic *Philo* dicit de Agrippa Rege, postulato Caligulae, ut simulacrum suum tanquam Dei, in templum Hierosolymitanum reciperetur, graviter perculso, tandem vero e deliquio animi se recipiente, Legat. ad Cai. p. 1030. E. ὁ δὲ, νήφειν γὰρ ἤρχετο, καθεώρα τὸ περὶ ἑκάστῳ συμπαθὲς, *tum vero, namque resipiscere incipiebat, singulos condolere conspexit. E laqueo vel potestate diaboli exire,* vel se expedire, de iis dicitur, qui male agendi finem faciunt. Ἐζωγρημένος ὑπὸ τοῦ διαβόλου, *captus a diabolo,* qui perseverat in male sentiendo et agendo. Ζωγρεῖν proprie est: *vivum capere,* et apud Graecos non solum de animalibus vivis, venatione captis, sed et de hominibus usurpatur, qui vivi in bello capiuntur, et ad servitutem abripiuntur, ut adeo ζωγρεῖτθαι metaphorice significet *imperio alicuius subesse.* Εἰς τὸ ἐκείνου θέλημα, *ut eius voluntatem faciant.* Voluntas autem Satanae haec esse dicitur in sacris litteris, ut impediat bonum, et homines infelices reddat. Ergo *voluntatem eius facere* erit bonum impedire, et homines reddere infelices. Alii verba: εἰς τὸ ἐκείνου θέλημα de voluntate Dei intelligunt; ut αὐτοῦ ad propinquius

διαβόλου, ἐκείνου vero ad remotius, i. e. *Dei*, referatur. Tum ordo esset talis: καὶ ἐζωγρημένοι ὑπ' αὐτοῦ, ἀνανήψωσιν ἐκ τῆς τοῦ διαβόλου παγίδος εἰς τὸ ἐκείνου θέλημα, nempe ποιεῖν, quod subaudiendum. *Camerarius:* „Bifariam hoc enarratur. Primum ita: Qui fuerant capti ab illo, diabolo scilicet, ad arbitrium ipsius. Quod dictu sane est horribile. Secundo ita: Capti iam, id est, conservati ab ipso, nimirum Deo, ad voluntatem illius, i. e. ut voluntati iam eius obtemperent; atque hoc Chrysostomus secutus est."

CAP. III.

1. Ὅτι ἐν—χαλεποὶ) *Paulo post haec imminere tempora admodum difficilia.* Ἐν ἐσχάταις ἡμέραις, בְּאַחֲרִית הַיָּמִים, *Posthac.* Idem ἐν ὑστέροις καιροῖς 1 Tim. IV, 1. Patet autem ex com. 5., Paulum agere de iis, quae, Timotheo vivente, eventura putabat. Ἐνστήσονται, *aderunt.* Καιροὶ χαλεποί. Formidolosa tempora, ait Cicero.

2. Ἔσονται — ἀνόσιοι) Συναθροισμὸς, cui ex magna parte respondet hic Auctoris ad Herennium, Lib. IV. *Cupidus, intemperans, impius in parentes, infestus in cognatos, in superiores crudelis* etc. Rationem et caussam affert Paulus, cur mox tempora formidolosa ventura esse dixerit. Degeneraturos esse, praedicit, ipsos Christianos, et raram inter eos fore pietatem. Non loquitur Paulus de hominibus extra ecclesiam: horum enim mores iam tum erant corruptissimi, sed de hominibus professione Christianis. Eve-

nisse autem hoc, quod hoc loco praedicitur, non diu post Pauli et aliorum Apostolorum excessum ex vita, ipsa historia docet. *Φίλαυτοι*, est vox media, si philosophice eam sumamus, sed quae usu tracta est in partem peiorem, ita ut *φίλαυτος* intelligatur *ὁ αὐτοῦ ἕνεκα πάντα πράττων κατὰ τὸ λυσιτελὲς*, ut ait *Aristoteles*, addens alibi *ἢ πρὸς τὸ ἡδύ*. *Φιλάργυροι, πλούτου ὀρεγόμενοι, ἀεὶ τὸ παρὸν ἐνδεέστερον τοῦ ἀπόντος ἡγούμενοι, καὶ τὸ κτηθὲν ἔλαττον τοῦ προσδοκωμένου*, ut Dissert. 20. apud Maximum Tyrium. In Glossario: *Φιλάργυρος, avarus, cupidus.* Ἀλαζόνες, *iactatores, gloriatores* in Glossis. Scholiastes ad Equites Aristophanis: *ἀλαζὼν ὁ μείζονα τῆς ἑαυτοῦ ἀξίας κομπάζων καὶ Φρονῶν. ὑπερήφανοι, superbi*, qui alios spernunt. Discrimen non anxie quaerendum inter haec vocabula. Βλάσφημοι, in Deum nempe. Ἀχάριστοι, active: qui erga neminem grati sunt, *ingrati.* Pollux V, 31. Onomasticī: *ὁ ἀποστερῶν χάριν, ἀχάριστος.* Ἀνόσιοι, *qui foeda patrant*, quibus nihil sanctum et venerandum est, *frivole Menschen.*

3. Ἄστοργοι—*ἀφιλάγαθοι*) Quales sint, qui hic vocantur *ἄστοργοι, ἄσπονδοι*, vide ad Rom. 1, 31. Διάβολοι שְׂטָנִים, qui viris bonis se opponunt, praesertim calumniando. In Glossis: *διάβολος, criminator.* Polluci *διαβλητικὸς*, non *διάβολος* probatur. *ἀκρατεῖς*, qui intemperantes sunt. Ἀνήμερις, *immitis, immansuetus, crudelis, immanis.* Suidas: *ἄγριον, ἀνήμερον.* Ἀφιλάγαθοι, *ἔχθροι παντὸς ἀγαθοῦ*, qui virtutis omnis inimici sunt.

4. Προδόται — *φιλόθεοι*) Προδόται, qui amicissimos produnt, qualis Iudas. Προπετεῖς, *protervi*, et

προπέτεια, *protervitas.* Ab huius vitii trunco multi rami pullulant. Sunt enim προπετεῖς, qui facile irascuntur; sunt, qui πρόγλωσσοι, cito in verborum aut insolentiam, aut amaritudinem erumpentes; sunt et qui Latinis *praecipites*, nempe in rebus aggrediendis. Hinc hominem consiliis *praecipitem* Cicero in Philippicis dixit. Has omnes, et si quae aliae huius vitii species Apostolus voce ista satis laxa complexus videtur. Τετυφωμένοι, vide 1 Tim. VI, 4. Φιλήδονοι μᾶλλον ἢ Φιλόθεοι, i. e. ταῖς τῆς σαρκὸς ἡδοναῖς μᾶλλον ἢ τῷ θεῷ δουλεύοντες, et: οὐ τῷ κυρίῳ ἀλλὰ τῇ ἑαυτῶν κοιλίᾳ δουλεύοντες, ut Rom. XVI, 18. Simili modo Philo de Agric. pag. 200. B. Φιλήδονον καὶ Φιλοπαθῆ μᾶλλον, ἢ Φιλάρετον καὶ Φιλόθεον dixit. Contraria laus Dionis in Platonis Epistolis: ἀρετὴν περὶ πλείονος ἡδονῆς ἠγακηκώς.

5. Ἔχοντες—ἠρνημένοι) *Qui pietatem externe simulant, revera autem aversantur et negligunt.* Ἔχοντες μόρφωσιν εὐσεβείας, qui cultu, habitu, vultu, voce, pietatem probitatemque praeferunt. Τὴν δὲ δύναμιν αὐτῆς ἠρνημένοι, ut illi Tit. I, 16. θεὸν ὁμολογοῦντες εἰδέναι, τοῖς δὲ ἔργοις αὐτὸν ἀρνούμενοι. Δύναμις τῆς εὐσεβείας, *vis et efficacia pietatis* est vera pietas, quae se vita et factis exserit. Ἀρνεῖσθαι, *aversari, negligere, non curare.* Describuntur igitur homines, qui pietatem externe simulant, sed rebus et factis ostendunt, se earum virtutum quas simulant, esse expertes, qui habent formam castitatis sine castitate, formam humilitatis sine humilitate, etc. καὶ τούτους ἀποτρέπου, *et (s. ergo) hos aversare*, abstine ab eorum

consuetudine et convictu, et hoc tuum exemplum alii etiam Christiani imitentur.

6. Ἐκ τούτων—σεσωρευμένα ἁμαρτίαις) *Ex horum numero sunt, qui variis artibus usi penetrant domos, et alliciunt animos mulierc*ularum, *obrutarum vitiis.* Ἐνδύνειν et εἰσδύνειν dicitur de anguibus. Homerus Iliad. III. ἔδυ, ubi vetus Scholiastes, ὑπεισῆλθε, μεταφορικῶς ἀπὸ τῶν εἰς τοὺς φωλεοὺς καταδυνόντων ἑρπετῶν. Furtivis eiusmodi animalium lapsibus impostorum istorum artes et fallacias Apostolus comparat. Ἐνδύνειν autem εἰς οἰκίαν non Paulus tantum, sed et Aristophanes dixit. Αἰχμαλωτίζειν, *capere,* vel *captivas ducere* hic est, quod Rom. XVI, 18. διὰ τῆς χρηστολογίας καὶ εὐλογίας τὰς καρδίας ἐξαπατῶν. Tacitus Annal. 5. de Fusio Gemino: *Alliciendis feminarum animis aptus:* ubi *allicere* est fere quod Paulo αἰχμαλωτεύειν. Σεσωρευμένα, Vulgatus vertit *oneratas.* Hesychius βεβαρημένα exposuit. Non dissimile apud Sallustium: *flagitiis et facinoribus cooperti.* ἀγόμενα — ποικίλαις) Ἄγεσθαι ὑπὸ τῆς ἐπιθυμίας dixit et Andronicus Rhodius III, 12. *Cebes* in tabula sua de vitiose viventibus: Ἄγονται κεκρατημένοι, ὥσπερ ὑπὸ πολεμίων, οἱ μὲν ὑπ' ἀκρασίας, οἱ δὲ ὑπ' ἀλαζονείας, οἱ δὲ ὑπὸ φιλαργυρίας, ἕτεροι δὲ ὑπὸ κενοδοξίας, οἱ δὲ ὑφ' ἑτέρων πολλῶν.

7. Πάντοτε—δυνάμενα) *Quae semper discunt,* ab istis suis doctoribus, *et nunquam ad cognitionem veritatis pervenire possunt;* quia nec doctores habent, qui veritatem doceant, nec animos ad discendam veritatem idoneos. Discere enim volunt, qua ratione ex-

plere possint suas cupiditates et libidines citra scelerum poenas. Εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας ἐλθεῖν, veritatem recte, et ita quidem agnoscere, ut factis id ostendas. Simillime Arrianus II, 6. in Epictetum: ἔξω ζητεῖν ἀεὶ τὴν εὔνοιαν, καὶ μηδέποτε εὑρεῖν δυνάμενος.

8. Ὃν τρόπον—Μωϋσεῖ) Fuisse hos inter magos illos Aegyptiacos, qui praestigiis suis in aula Pharaonis restiterint Mosi, in Gemara traditur. Meminit horum magorum et Numenius philosophus Pythagoricus, et Artabanus historicus, qui eos appellat τοὺς ἱερεῖς τοὺς ὑπὲρ Μέμφιν, nec non Tanchuma. Nomina *Iannes* et *Iambres*, vel ut alii habent, *Mambres*, Paulus non habuit ex Mose; (is enim nomina non expressit,) sed ex traditione, aut veterum scriptis. ἄνθρωποι—τὴν πίστιν) *Homines depravatae mentis, et improbatae fidei.* Cf. ad 1 Tim. VI, 5. dicta. Ἀδόκιμοι περὶ τὴν πίστιν, improbati, qui prorsus sunt mali, qui a religione vera prorsus sunt alieni, quorum sententiae de religione minime probandae, ideoque reiieiendae sunt et repudiandae.

9. Ἀλλ' οὐ προκόψουσιν—ἐγένετο) Οὐ προκόψουσιν ἐπὶ πλεῖον, *non multum proficient*, progressus aliquos facient, sed non diu; non multum efficient. Ἔκδηλος ἔσται, nempe ex operibus ipsorum. Ficta non durant diu. ἔκδηλος, quod in omnium oculos incurrit; omnibus patebit, eos esse impostores. Ἐκείνων, magorum illorum, qui Mosi obstiterunt.

10. Σὺ δὲ—τῇ ὑπομονῇ) *Tu vero exemplum meum sequeris ratione doctrinae* etc. *Cicero* perfectum Ora-

torem formans, ut Apostolus noster Christianum doctorem et Episcopum: *Hoc sit primum in praeceptis meis, ut demontremus quem imitemur, atque ita, ut quae maxime excellant in eo quem imitamur, ea diligentissime persequemur:* ubi et *persequi* plane est, quod hoc Pauli loco παρακολουθεῖν, et *quae maxime in eo excellebant*, erant, Paulo recitante ipso, ἡ αὐτοῦ διδασκαλία, ἡ ἀγωγῇ etc. Ἀγωγὴ saepe apud Graecos est *vivendi ratio, mores, institutum.* Apud Iosephum Ant. XII, I, 1. ἡ πάτριος ἀγωγὴ τῶν ἐθῶν est *consuetudo institutorum patriorum.* Hesych. ἀγωγή, τρόπος, ἀναστροφή etc. Unde et 2 Maccab. IV, 16. ὧν τὰς ἀγωγὰς ἐζήλουν. Πρόθεσις, *consilium, intentio, die gute Absicht.* Saepe vero est etiam *vitae genus*, quod sibi aliquis delegit. Glossarium: *Intentione* σκοπῷ, προθέσει. Vulgatus: *propositum*, eo sensu, quo Plinius hac voce utitur Lib. V. Epist. 14. Idem in Panegyrico: *Ita congruens vitae tenor, ita una eademque ratio propositi postulabat.* Πίστις, h. l. videtur esse *sinceritas in rebus agendis.* Ἀγάπη, fraternus affectus in Christianos omnes. Ὑπομονή, *perseverantia*, in adversis nempe. Haec adversa iam explicat.

11. Τοῖς διωγμοῖς — ὁ κύριος) Ante haec verba supplendum esse aliquid, facile patet. Sensus esse videtur: *Lubenti animo subiisti eiusmodi vexationes et calamitates, quales mihi Antiochiae, Iconii, Lystris acciderunt.* Ἐν Ἀντιοχείᾳ sc. τῇς Πισιδίας. Tangitur historia Act. XIII, 14. 45. 50. Ἐν Ἰκονίῳ, vide Actor XIV. Ἐν Λύστροις, ibidem Vs. 6. sqq. Καὶ ἐκ πάντων με ἐῤῥύσατο ὁ κύριος, servavit me

ex omnibus procellis illis, quarum nonnullae mihi praesentem intentarunt mortem. Servavit me Christus rebus maioribus.

12. Καὶ πάντες — διωχθήσονται) Καὶ πάντες, intellige ex proxime praecedentibus, ac si scripsisset: καὶ οὐ μόνον ἐγὼ, ἀλλὰ καὶ πάντες etc. Εὐσεβῶς ζῆν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, *pie vivere convenienter doctrinae Christi,* ut Christianos decet. Cf. notata ad Actor. XIV, 22.

13. Πονηροὶ — τὸ χεῖρον) *Homines autem improbi et impostores longius progrediuntur impietate.* Γόητες dicuntur omnino fraudulenti et callidi adulatores, deinde inprimis ii, qui arte et ingenio religionis veritati immiscent fabulas, ut nugis his alios decipiant. *Philo* p. 1015. D. *Alexandrini sunt, δυνοὶ τὰς κολακείας καὶ γοητείας καὶ ὑποκρίσεις κ. λ. excellunt in adulando, callide agendo et simulando.* Hoc loco intelliguntur falsi illi doctores, de quibus hactenus dixerat Apostolus. Sic φιλόσοφοι γόητες Lib. VIII. apud Philostratum, et Orat. 6. apud Iulianum. Pythagoras γόης, dictus apud Iamblichum. Suidas: γόης, κόλαξ, πλάνος, ἀπατεών. Hesychius: καταγοητεύων, ἀπατῶν. Προκόψουσιν ἐπὶ τὸ χεῖρον, Vulgatus: *proficient in peius*; nam et latina vox *proficere*, et graeca προκόπτειν saepe sensu deteriore ponitur. Donatus ad 4. 2. Adelph. *in errore proficere.* Seneca III, 16. de Ira: *proficere in tormentum suum.* Caute vero Apostolus προκόψουσιν posuit; nemo enim repente turpissimus evadit. Πλανῶντες, plebem nempe et miseras mulierculas: πλανώμενοι, a Doctoribus,

quos sectantur ipsi. Sic Minucius in Octavio: *Falluntur et fallunt.* Iulianus 55. epist. Ἠπατημένος ἐξαπατᾷ. Cicero de Calvo Oratore: *Et ipse errabat, et alios etiam errare cogebat.*

14. Σὺ δὲ—ἐπιστώθης) Similis admonitio 1 Tim. IV, 16. Καὶ ἐπιστώθης, pro καὶ ἃ ἐπιστώθης. Constructio κατὰ σύλληψιν, *de quibus firmiter tibi persuasum est.* Hesychius: πεισθεὶς, πιστωθεὶς. Idem, ἐπιστώθη, ἐπείσθη, ἐπληροφορήθη. Glossae: ἐπιστώθης, μετὰ πληροφορίας ἔμαθες. εἰδὼς — ἔμαθες) *Cogitans et perpendens, quis is sit, a quo didiceris.* Didicisti nempe a me, qui tibi λογικὸν ἄδολον γάλα, nullis Iudaismi, nullis philosophicae vanitatis nugis corruptum, propinavi.

15. Καὶ ὅτι — οἶδας) *Et* (probe tenens) *te ab ineunte aetate cognitos habuisse libros sacros.* Post καὶ repetendum esse videtur e versu 14. εἰδὼς. Probe teneas, memor sis. Ἱερὰ γράμματα, Sacra Scriptura V. T., ut saepe apud Iosephum et Philonem. Sic e. g. Iosephus L. I. c. Apion. §. 8. δῆλον δ' ἐστὶν ἔργοις, πῶς ἡμεῖς τοῖς ἰδίοις γράμμασι πεπιστεύκαμεν. Ἀπο βρέφους, *a puero*, ex more gentis suae. Iosephus L. II, c. Apion. de Hebraeis: ἀπὸ τῆς πρώτης εὐθὺς αἰσθήσεως αὐτοὺς (nempe νόμους Μωΰσεως) ἐκμανθάνοντες. Philo de Legatione: Θεόχρηστα λόγια τοὺς νόμους εἶναι ὑπολαμβάνοντες. Καὶ τοῦτο ἐκ πρώτης ἡλικίας τὸ μάθημα παιδευθέντες. — Τὰ δυνάμενα — Ἰησοῦ) *Quae* (sacra Scripta) *te possunt instituere ad salutem, quae per religionem Christi offertur.* Σοφίζειν, *docere, instituere*, ut Thomas Magister explicat. Va-

ticinia enim, et omnis oeconomia Dei in V. T. ad Christum tendunt. Quopropter Iesus et Apostoli saepe nexum huius novae religionis cum V. T. indicant. Io. V, 39. Sic Act. XVII, 2. 3. de Paulo Apostolo: *ἀπὸ τῶν γραφῶν διανοίγων καὶ παρατιθέμενος, ὅτι τὸν Χριστὸν ἔδει παθεῖν* etc. XVIII, 28. *ἐπιδεικνὺς διὰ τῶν γραφῶν εἶναι τὸν Χριστὸν Ἰησοῦν.* XXVIII, 23. *πείθων τε αὐτοὺς τὰ περὶ τοῦ Ἰησοῦ, ἀπό τε τοῦ νόμου Μωσέως καὶ τῶν προφητῶν.* Instruunt igitur Scripturae V. T. ad salutem aeternam, praecipue ideo, quia confirmant, Iesum Nazarenum esse verum Messiam. Habent vero et alios usus, ut statim sequitur.

16. Πᾶσα γραφὴ—ἐν δικαιοσύνῃ) Quae de constructione et sensu horum verborum nostris temporibus disputata sint multis explicare, huius loci non est. Plurimi recentiorum intrepretum post *θεόπνευστος* supplevérunt *ἐστὶ*, ut sensus sit; *Tota Scriptura V. T. est a Deo inspirata.* Sed contexto sermoni convenientior mihi videtur sententia eorum, qui cum *Syro*, *Camerario*, et aliis bonae notae interpretibus ita connectunt verba: *Omnis scriptura, Deo inspirante consignata, est etiam utilis* etc., ut *καὶ* significet: *etiam*, quod valde frequens. Camerarius: *καὶ ὠφέλιμος. ἔλλειψις τοῦ ἐστὶν*, et *καὶ αὐξητικῶς* ponitur: *Scriptura spiritus divini ad hoc etiam utilis est, i. e. prodest, nempe ad doctrinam, ad coarguendum, et cetera quae ἀσυνδέτως adduntur.* Haec *Camerarius*. *Erasmus* hunc locum ita *παραφράζει*: *Imo tota scriptura, quae nobis non humano ingenio, sed divini spiritus afflatu prodita est, magnam habet utilitatem* etc. *Θεόπνευστος, Deo inspirante litteris con-*

signata. Syrus: כל כתב ברוחא אתכתב *omnis scriptura quae per Spiritum* (i. e. Spiritu inspirante) *scripta est.* Vocabulum *θεόπνευστος* alias inusitatum, ex etymologia haud dubie significat libros scriptos *ἐν πνεύματι Θεοῦ*, בְּרוּחַ יְהוָה. Dicuntur autem *λαλῆσαι ἐν πνεύματι* (Matth. XXII, 43.) *φερόμενοι ὑπὸ πν. ἁγ.* (2 Petr. I, 21.), qui non iussu humano, sed divino, non sua hominum sponte, sed Deo monente docuerunt, ut adeo *θεοπνευστία* haec duo complectatur: Prophetae iussi sunt, et rem, nominatim doctrinam et vaticinia a Deo acceperunt. Sic Prophetae ipsi suam legationem divinam describunt. Deut. XVIII, 18. Ierem. I, 6. sqq. Amos III, 7. Ies. LXI, 1. Erit igitur *γραφὴ θεόπνευστος*, quae vel iubente, vel operante et argumentum suppeditante Deo consignata est. *Tellerus (Wörterbuch* des N. T. sub voce *Eingeben)* optime hanc vocem illustrari existimat ex Iob. XXXII, 8., ubi LXX, verba hebraica נִשְׁמַת שַׁדַּי תְּבִינֵם vertunt: *πνοὴ δὲ παντοκράτορός ἐστιν ἡ διδάσκουσα.* Omne nimirum bonum ad animum pertinens, Deum habet auctorem, est a Deo quasi inspiratum. Est autem haec scriptura *utilis πρὸς ἔλεγχον*, לְתוֹכָחַת, ut in Proverbiis aliquoties, ad monstrandam turpitudinem graviorum criminum; ad *castigationem.* *Πρὸς ἐπανόρθωσιν*, nempe *ἠθῶν, ad correctionem;* unde et Hesychio *ἠθικὴ φιλοσοφία, ἠθῶν διορθωτική.* Glossae: *ἐπανόρθωσις, correctio, emendatio.* *Πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ*, i. e. *ad instituendos homines in virtute,* praecipue eos, qui iam bene coepere.

17. *Ἵνα ἄρτιος—ἐξηρτισμένος*) i. e. *Ut se perficere* (ex ea Scriptura) *doctor Evangelii possit, et instrui*

ad munus suum obeundum. Ἄνθρωποι θεοῦ in V. T. dicebantur prophetae; in N. T. ita vocantur doctores Evangelii. Πᾶν ἔργον ἀγαθὸν h. l. est, quicquid pertinet ad munus doctoris recte obeundum, ut ipse contextus docet. De Socrate Apuleius: *Vir apprime perfectus — ad omnia sibi congruentia officia promtus.*

CAP. IV.

1. Διαμαρτύρομαι—νεκρούς) *Obtestor te per* etc. Cf. 1 Tim. V, 21. Hic addit: τοῦ μέλλοντος κρίνειν ζῶντας καὶ νεκρούς, ad exprimendam maiestatem Christi. Ζῶντας, *eos, qui tum vivent*, νεκρούς, omnes tanta seculorum serie praemortuos, κεκοιμημένους. κατὰ τὴν ἐπιφάνειαν — αὐτοῦ) *In illustri sua apparitione et regno suo*, quando manifeste ostendet, se esse regem et Dominum, ut κατὰ, pro ἐν tempus significet. Ita vero etiam externi scriptores, v. c. *Polybius:* αὐτῷ κατὰ τὴν ἀῤῥωστίαν συμπαρόντος, *quum illi aegrotanti adesset.* Syrus non male hoc explicat per Hendiadyn, quasi esset κατὰ τὴν ἐπιφάνειαν τῆς βασιλείας αὐτοῦ. Regnat quidem iam Christus, sed regnum eius nunc nondum ita apparet, ut tunc apparebit. Pro κατὰ legunt καὶ Codices nonulli satis vetusti, cum versionibus nonnullis et Patribus, ut Paulus obtestetur Timotheum etiam per adventum Christi ultimum, et felicitatem aeternam.

2. Κήρυξον τὸν λόγον) *Praedica doctrinam;* nam λόγος h. l. est *doctrina*, τὸ εὐαγγέλιον. Hoc ideo

inculcat Paulus, quod videbat, Timotheum posse timidiorem fieri, propter mala, quae ipse Paulus et alii ferebant. ἐπίστηθι εὐκαίρως, ἀκαίρως) *Insta assidue, omni tempore, sive opportunum tibi fuerit, sive non opportunum*, i. e. sive molestum, sive commodum fuerit. Referendum est hoc ad Timotheum, non ad auditores. Omnino enim doctorem oportet occasione et opportunitate uti, si quid efficere velit. *Instare rei* est, eam assidue tractare. ἔλεγξον — καὶ διδαχῇ) Ἔλεγξον, *coargue*, ostende flagitiosis, quam agant turpia. Ἐπιτίμησον, *reprehende*, minus malos verbis castiga. Παρακάλεσον, *hortare* eos, qui bene coeperunt. *Plutarchus* de Liberor. educ. de cordatis patribus: διδάσκοντας, ἀπειλοῦντας, δεομένους, συμβουλεύοντας. Gellius V, 1. de Philosopho: *Quum hortatur, monet, suadet, obiurgat.* Seneca I, 14. de Ira: *Corrigendus est qui peccat, et admonitione, et vi, et molliter, et aspere.* Ἐν πάσῃ μακροθυμίᾳ καὶ διδαχῇ i. e. ἐν πάσῃ διδαχῇ μακροθύμῳ vel ἐν πάσῃ διδαχῆς μακροθυμίᾳ, docendo eos leniter, cum omni lenitate in instituendo.

3. Ἔσται γὰρ—ἀνέξονται) *Erit enim tempus, quo multi salubris doctrinae impatientes erunt*, quia nempe ostendet iis peccata ipsorum, flagellabitque conscientias. Isocrates ad Demonicum: τοὺς πλείστους εὑρήσομεν, ἅσπερ τῶν σιτίων, τοῖς ἡδίστοις μᾶλλον ἢ τοῖς ὑγιαινοτάτοις χαίροντας. Οὐκ ἀνέξονται, *non sustinebunt* etc. Hesychius: οὐκ ἀνέχομαι, οὐ καταδέχομαι. Ἀλλὰ κατὰ — τὴν ἀκοήν) *Sed multos quaerens doctores, qui doceant, quae arrideant cupiditatibus suis, quia nonnisi sibi grata audire volunt.*

Ἑαυτοῖς ἐπισωρεύσουσι διδασκάλους *multos quaerent, et reperient tales doctores*, proprie *cumulabunt*. Κνηθόμενοι τὴν ἀκοήν, i. e. κατὰ τ. ἀκ. *pruritu aurium laborantes*, h. e. cupientes audire ea tantum, quae voluptatem afferunt et aures pascunt. Hesychius: ζητοῦντές τι ἀκοῦσαι καθ' ἡδονήν. Eleganter autem Apostolus eos *prurire* dicit *auribus*, qui sermones quaerunt, vitia sua titillantes. Ammianus Lib. XVIII. de Auditoribus quibusdam: *aurium delinimenta captantes*. Quintilianus Lib. XI. *Sunt quidam, qui secundum alia vitae vitia, etiam hoc, ubique audiendi quod aures mulceat voluptate, ducantur.*

4. Καὶ ἀπὸ — ἐκτραπήσονται) *atque aures a doctrina aversas ad nugas convertant.* Ut olim Athenienses, qui Demostheni de communi salute loquente obturbabant, fabulam de umbra asini inceptantem attente audiebant. Isocrates: δεῖ τοὺς βουλομένους ἢ ποιεῖν ἢ γράφειν τι κεχαρισμένον τοῖς πολλοῖς, μὴ τοὺς ὠφελιμωτάτους τῶν λόγων ζητεῖν, ἀλλὰ τοὺς μυθωδεστάτους. Aptum autem τοῖς μύθοις antitheton ἡ ἀλήθεια, vera Evangelii doctrina. Est μῦθος enim ψευδὴς λόγος τὴν ἀλήθειαν εἰκονίζων, ut docent nos Hesychius, Suidas et alii apud Graecos magistri.

5. Σὺ δὲ — πληροφόρησον) Νῆφε, i. e. *attentus esto.* νήφειν, vid. 1 Thess. V, 8., transfertur ad animum diligentem in officiis, qui cautus est et praestat omnia, quae postulantur. Sensus: In omnibus officiis te diligentem praesta. Ἐν πᾶσιν, in omnibus rebus. Κακοπάθησον, noli absterreri ullis malis. Vide supra II, 3. Ἔργον ποίησον εὐαγγελιστοῦ, fac,

quod officium est eius, qui laetam doctrinam de Iesu Messia nuntiat, qui adiuvat Apostolum in docenda religione. Τὴν διακονίαν σου πληροφόρησον, *omnes partes muneris tui exple.* Est enim πληροφορεῖν si etymologiam spectes, *plenam mensuram reddere.*

6. Ἐγὼ γὰρ ἤδη σπένδομαι) i. e. sum ἐπιθανάτιος. Mortem dicit instare sibi, et quidem violentam. Τὸ σπένδομαι a ritu vini infusi victimis iam mactandis desumtum. Τὸ ἤδη mortem de proximo propinquantem notat. καὶ ὁ καιρὸς — ἐφέστηκε) *Et tempus mortis meae iam instat.* Ἀνάλυσις proprie est *abitus, discessus*, e. g. ἀνάλυσις ἐκ συμποσίου, *discessus e convivio;* translate autem mors, *discessus e vita.* Philo in Flacc. p. 991. C. dicit, terram hominibus et terrestribus omnibus, non per vitam solum, verum etiam in morte esse aptissimam, ἵνα ἡ αὐτὴ καὶ τὴν πρώτην ὑποδέχηται γένεσιν, καὶ τὴν ἐκ τοῦ βίου τελευταίαν ἀνάλυσιν, *ut quae nascentes excepit, eadem discendentes e vita recipiat.* Vult autem hoc Paulus: Eo pressius, fili Timothee, te moneo ista, eoque diligentius tu meis monitis incumbe, quia instat tempus, quo auxilium non habebis a me. Non temere autem Paulus ἐφέστηκε non ἐφίστησι dixit. Virgilius X. *Etiam sua Turnum fata vocant, metasque dati pervenit ad aevi.* Ad quem locum Servius: *Ad exprimendum celerem mortis adventum praeterito usus est tempore.*

7. Τὸν ἀγῶνα τὸν καλὸν ἠγώνισμαι) *Certamen honestum certavi*, strenue defendi bonam caussam religionis, satisfeci partibus muneris mei. Non docui tan-

tum religionem, sed etiam eius tradendae et propagandae caussa calamitates et multa adversa patienter toleravi. Cf. dicta ad 1 Tim. VI, 12. Hoc loco autem ἀγωνίζεσθαι est ἀγῶνα διαγωνίζεσθαι. Loquitur enim tanquam de certamine confecto, de homine iam e vivis abituro, et cui nihil amplius laboris, at laboris praemium superesset. Lucilius: *Vicimus, o socii, et magnam pugnavimus pugnam.* τὸν δρόμον τετέλεκα) *Cursum consummavi*, absolvi meos pro Christo eiusque religione labores. Praeteritum pro brevi futuro; nam quod adhuc supererat, pro iam peracto habebat. Ceterum metaphora ducta est ab iis qui cursu contendunt in stadio. Act. XX, 24. τὴν πίστιν τετήρηκα) *Servavi fidem, seu fidelitatem;* virum bonum et integrum me praestiti. Est oppositum τοῦ ἀθετεῖν s. ἀρνεῖσθαι πίστιν, *fidem spernere, mutare*, 1 Tim. V, 8. 12. Sic Diodorus Siculus *excerpt. Vales.* opponit phrases τὴν δοθεῖσαν πίστιν ἀθετεῖν, et τὰς δοθεῖσας πίστεις τηρεῖν.

8. Λοιπὸν — στέφανος) *Quod superest, paratum est mihi praemium virtutis. Corona* vocatur aeterna illa beatitudo etiam lac. I, 12. 1. Petr. V, 4. et aliis locis, comparatione desumta a corona, quae dari solita est victoribus in certaminibus. Hesychius: ἀπόκειται, ἡτοίμασται. Proprie ἀποκεῖσθαι dicuntur τὰ ἆθλα, s. *praemia certaminis*, quae publice proponuntur, ut eorum aspectus certaturos alacriores reddat ad certamen ineundum, victoriamque reportandum. Ioseph. VI, 14. 7. τῆς δόξης αὐτοῖς ἀποκειμένης. Δικαιοσύνη, *probitas, virtus*, quae in diligentia cernitur, qua muneri satisfacimus. Hic autem abstractum pro concreto

positum, et ὁ τῆς δικαιοσύνης στέφανος, *est praemium virtute praeditis promissum.* ὃν ἀποδώσει — κριτὴς) Ipse qui probatam voluit constantiam meam. Ille iustus, qui coronas, quod solet populus, ad immeritos non defert, nec ut ludicorum spectaculorum Iudices, aut ambitu aut gratia vincibilis. πᾶσι — ἐπιφάνειαν αὐτοῦ) *Omnibus qui laeti adventum eius exspectant.* Ἀγαπᾷν h. l. ponitur pro חָפֵץ, quod etiam per εὔχεσθαι et per ἐπιθυμεῖν vertitur, *exoptare.* Dixit autem ἠγαπηκόσι, non ἀγαπῶσι, animum referens ad tempus illud iudicii; quasi dicat: qui tunc deprehendentur adventum eius sperasse. Addit hoc Apostolus, ut alios excitet ad pietatis certamen, sub spe communis praemii.

9. Σπούδασον — ταχέως) Nempe Romam. Ita et Tit. III, 12.

10. Δημᾶς — αἰῶνα) Supple μᾶλλον ἢ ἐμὲ, vel μᾶλλον ἢ τὴν τοῦ Χριστοῦ διακονίαν. *Demas me deseruit, magis studiosus huius vitae commodorum, quam caussae Evangelii.* Μὲ ἐγκατέλιπεν, laboris nempe et periculorum fugiens. Ἀγαπήσας τὸν νῦν αἰῶνα, factus υἱὸς τοῦ αἰῶνος τούτου, Luc. XVI, 8. ἐμπλεκόμενος ταῖς τοῦ βίου πραγματείαις, ut 2 Tim. II, 2. Non autem putandus est a religione christiana defecisse, sed tantum Paulum deseruit, et suas administravit res. Videtur dedisse operam ex mercatura opibus congerendis, quia Thessalonicam profectus esse statim dicitur. Δημᾶς ut multis videtur, est curtatum nomen ex Δημήτριος. Κρήσκης — Δαλματίαν) Uterque, ut videtur, propagandi Evangelii caussa. Κρήσκης,

Crescens; Graeci enim, qui nulla nomina habent in *ens* desinentia, scribunt: Πούδης, Κλήμης, pro *Pudens, Clemens.* Fuit hic Crescens forsan unus ex Caesaris domo, Phil. IV, 22., forte et is ipse Neronis libertus, cuius meminit Tacitus Lib. I. Historiarum.

11. Λουκᾶς — εἰς διακονίαν) Lucas post iter aliud, quod fine Actorum descripsit, mansit in Italia cum Paulo, Col. IV, 14. Μάρκον, nempe Barnabae consanguineum, cuius in Actis fit mentio. Εἰς διακονίαν, nempe Evangelii, forte ob latini sermonis consuetudinem.

12. *Tychicus,* ex Asia videtur fuisse, ut colligitur ex Actor. XX, 4. Fuit comes Pauli, cuius saepe fit mentio, e. g. Tit. III, 12. Ephes. VI, 21. Col. IV, 7.

13. Τὸν φελόνην — μεμβράνας) Φελόνης, Φαιλόνης, ut ab aliis scribitur, vel est *paenula*, Φαινόλης, vel *arcula libraria*, ut *Syrus* explicavit. Hesychius: Φαιλόνης, εἰλητάριον, μεμβράϊνον, ἢ γλωσσόκομον, involucrum membranaceum, aut crumena sive loculus. Hanc significationem satis prolixe huic loco vindicare studet *Moldenhawerus.* Τὰς μεμβράνας, in quibus scripserat forte, quae in usum suum ex Lege, Prophetis et aliis libris excerpserat. Frequens temporibus iis, ut et secutis, membranarum usus: unde et *membranas*, res a se in membranis scriptas nonnulli vocaverunt. Μεμβράνη e Graeco in Latinum transiit. Licentia pari apud Pollucem Plato Comicus τὰς χάρτας dixit.

14. Ἀλέξανδρος—ἐνεδείξατο) Actor. XIX, 33. 1 Tim. I, 20. Vulgatus: *Alexander aerarius*, i. e. faber aerarius. Ἐνεδείξατο, *ostendit*, i. e. fecit. Δεικνύειν et δείκνυσθαι, sive simpliciter, sive per compositionem enunciatae, sunt voces mediae; legimus enim in hymno trium puerorum et aliis locis κακὰ ἐνδεικνύμενοι, contra autem Ps. VI, 6. ἀγαθὰ δεικνύειν. ἀποδῴη — ἔργα αὐτοῦ) In malam partem dicitur: alicui assignare sortem factis eius congruam. Paulus h. l. Alexandro mala imprecatur, quoniam institutioni religionis adversatus erat, ideoque Christum offenderat. Concitato haec sermone dicta sunt. Sunt autem tales formulae ex Iudaeorum more metiendae, in quorum sacris hymnis multa eius generis occurrunt. Alii legunt ἀποδώσει, quasi non imprecantis sint haec verba, sed praedicentis. Certum est autem, optimos etiam viros, quum aut Dei caussa ageretur sola, aut cum insignibus in eorum personas iniuriis coniuncta, ab hac et similibus formulis non temperasse. Ita haec Pauli intellexit apud Photium Eulogius Alexandrinus, addens, haec Apostolum Alexandro imprecatum fuisse διὰ τὸ ἀμεταμέλετον καὶ ἀνεπίστροφον τῆς μοχθηρίας αὐτοῦ.

15. Ὃν καὶ—λόγοις) *Cave eum*, ut periculosae consuetudinis hominem. Plutarchus in Pyrrhi vita: σὺ φυλάττου τὸν ἄνδρα. Addit etiam rationem Apostolus, cur ab Alexandro cavendum sit. Obstitit meae doctrinae, idem tibi facturus, si quam ansam invenerit.

16. Ἐν τῇ πρώτῃ — ἐγκατέλιπον) Πρώτη ἀπολογία h. l. est tempus illud, quo Paulus Romae fuit in carcere, ut coram Nerone caussam suam ageret. Act.

XXVIII. De secunda eius defensione tacent quidem libri sacri; sed Eusebius et alii Patres referunt, Paulum secunda vice Romam venisse, atque quum caussam suam egisset, supplicio interemtum esse. Sine dubio in hac secunda defensione epistolam hanc scripsit Paulus. Cap. I, 12. 16. Συμπαραγίνεσθαι hic est, quod Apuleio (caussam itidem capitis, ut ille finxit, agenti,) *assistendi solatium perhibere.* Latine satis autem Vulgatus: *Nemo adfuit mihi.* Donatus ad Terentium: *Adesse dicuntur amici aut advocati in foro periclitantibus.* Paulum ἐγκατέλιπον, quia capitis periclitabatur. Auctor ad Herennium 4. *Ut hirundines aestivo tempore praesto sunt, frigore pulsae recedunt; ita falsi amici sereno vitae tempore praesto sunt; simulatque hiemem fortunae viderint, devolant omnes.* Ἀπολογεῖσθαι dicitur reus, quum caussam dicit.

17. Ὁ δὲ κύριος -- πληροφορηθῇ) *Dominus autem mihi fuit auxilio, et vires mihi largitus est, ut Evangelii veritas per me confirmaretur.* Παρέστη, effecit, ne me ab illis desolatum sentirem. Ὁ κύριος, Christus. Apte autem ἐνεδυνάμωσε de homine verba publice facturo. Act. I, 18. Amicus ad Aristidem Rhetorem a Numine suo declamare iussum: ἀγώνισαι πάσῃ προθυμίᾳ, δυνάμεως δὲ μελήσει τῷ θεῷ. Πληροφορεῖν, *plenam fidem facere*, veritatem alicuius rei confirmare. καὶ ἀκούσῃ πάντα τὰ ἔθνη) *et multi ex gentibus audirent* meam doctrinam; multi ex diversissimis gentibus, quibus in aula negotium erat. Πάντα, ut hebr. כל populariter sumendum; de multis. καὶ ἐρρύσθην ἐκ στόματος λέοντος) Λέοντος, Neronis, cui non ob po-

tentiam solam, sed vel magis ob eximiam feritatem *Leonis* cognomen inditum. De eodem Apollonius apud Philostratum: Λέοντες μὲν κολακευόμενοι ἡμεροῦνται, τοῦτο δὲ ὑπὸ τῶν καταψηχόντων ἐπαιρόμενον, ἀγριώτερον αὐτοῦ γίνεται. Ἐκ στόματος, vel ἐκ βρυγμοῦ λέοντος ῥύεσθαι, proverbiale est. Quare nonnulli interpretantur: maximo periculo ereptus sum. In verbis porro Apostoli Pricaeus putat metathesin latere, et naturalem ordinem eorum huiusmodi esse: καὶ ἐνεδυνάμωσέ με, καὶ ἐρρύσθην ἐκ στόματος λέοντος, ἵνα δι' ἐμοῦ τὸ κήρυγμα πληροφορηθῇ, ut ita caussam addat, cur Deus illum liberatum voluerit.

18. Καὶ ῥύσεταί με—πονηροῦ) Imitatus videtur Davidis 1 Reg. XVII, 57. verba: κύριος ὃς ἐξείλετό με ἐκ στόματος λέοντος—αὐτὸς ἐξελεῖταί με ἐκ χειρὸς τοῦ ἀλλοφύλου τούτου. Cf. 2 Cor. I, 10. Ἀπὸ παντὸς ἔργου πονηροῦ multi intelligunt de indigno quovis facinore, quod in se Apostolus admittere posset; alii vero de facinore quovis, quod in eum falsi fratres aut nominis Christiani hostes machinari possent. Forte etiam omnes huius vitae calamitates possent intelligi. καὶ σώσει—ἐπουράνιον) *Et salvum me perducet in coeleste suum regnum.* Σώζεσθαι εἰς τόπον τινὰ, *salvum perduci, evadere* voce passiva, non rarum est scriptoribus. *Polybius* L. III, c. 17. εἰς τὰς πόλεις ἐσώθησαν, et Lib. II, c. 11. εἰς τὸν ῥίζονκα διεσώθη. *Euripides* Iphig. in *Tauris* Vs. 1068. σώσω σ' ἐς Ἑλλάδ', *salvam te perducam in Graeciam.*

19. Ἄσπασαι—οἶκον) *Priscillam* et *Aquilam* Paulus Ephesi reliquerat, Act. XVIII, 19. *Onesiphori fa-*

miliam. E vivis enim excesserat Onesiphorus, quum haec Paulus scripsit.

20. Ἔραστος — ἀσθενοῦντα) Erastus urbis Corinthi erat arcarius, Rom. XVI, 28. Fuerat Macedoniam missus a Paulo, Act. XIX, 22. deinde Corinthum redierat, ibique manserat, nec venerat Romam. *Trophimus* erat Ephesius, Act. XX, 4. XXI, 29. Is Paulum comitatus erat Hierosolyma usque.

21. Σπούδασον πρὸ χειμῶνος ἐλθεῖν) Nempe Romam, cf. supra Ve. 9. Hic vero Paulus addit *ante hyemem*, quia periculosa est hyeme navigatio. ἀσπάζεται — πάντες) Πούδης, *Pudens* ut supra Vs. 10. iam monuimus. Λῖνος, Presbyter Romae. Meminere *Clemens* Constitutionibus Apostol. Irenaeus III, 3. Eusebius III, 1. 4. et alii. Οἱ ἀδελφοὶ πάντες, *omnes Christiani*, qui multi iam erant Romae, ut apparet ex Rom. I, 8. Phil. IV, 22.

22. Ὁ κύριος — πνεύματός σου) *Dominus J. Chr. animo tuo adsit.* Vide ad Gal. VI, 18.

SCHOLIA

IN

EPISTOLAM AD TITUM

Titus parentibus ortus ethnicis, Gal. II, 3., comes fuit Pauli in multis itineribus; sed patriam eius ignoramus. Functum eum esse munere episcopi in Creta, ex hac ipsa epistola discimus. Est autem Creta insula, in mari mediterraneo, nominatim in Archipelago sita, quae hodie dicitur *Candia*, olim vocata *Hecatompolis*, i. e. centum oppidis instructa. Quo tempore, et quo loco scripta sit epistola, incertum est. Varias coniecturas recensuit et suas addidit *Heinrichs* in Prolegg. ad hanc epistolam. Eodem fere consilio hanc epistolam Paulus Tito scriptit, quo scripserat ad Timotheum. Vide Prolegomena nostra ad priorem epistolam ad Timotheum. *Chr. Theoph. Kuinoelii* explicatio huius epistolae, inserta Volumini I. Commentationum theologicarum, etc. Lips. 1794. p. 292. et Vol. II. p. 473. sq. multas continet observationes utiles.

CAP. I.

1. Κατὰ πίστιν — εὐσέβειαν) *Ad propagandam doctrinam, quam Christiani profitentur, et maiorem*

cognitionem doctrinae verissimae, quae viam ad pietatem virtutemque monstrat. Ἐκλεκτοὶ θεοῦ, *a Deo selecti*, sunt Christiani. Πίστις ἐκλεκτῶν θεοῦ vero mihi videtur esse *fides*, vel *religio, quam profitentur Christiani.* Κατὰ h. l. significat finem, ad quem tendebat munus Apostolicum. Ἀλήθεια ἡ κατ' εὐσέβειαν, *veritas*, i. e. *doctrina verissima, quae viam monstrat ad veram virtutem;* nam κατὰ et hic finem indicat.

2. Ἐπ' ἐλπίδι — αἰωνίων) *Unde spes contigit felicitatis aeternae, quam Deus mendacii expers promisit ab antiquissimis inde temporibus.* Ἐπὶ h. l. perinde ac κατὰ finem indicat. Aliis coniungenda haec videntur cum verbis δοῦλος θεοῦ, ἀπόστολος δὲ Ἰησοῦ Χριστοῦ, ut Paulus dicat, se doctoris munere fungi spe aeternae felicitatis. Ἐπ' ἐλπίδι, pro ἐν ἐλπίδι, ut Actor. II, 26. et 1 Cor. IX, 10. Ὁ ἀψευδὴς θεὸς, *Deus qui non mentitur*, i. e. fallere nescius, ἀπαραλόγιστος. Πρὸ χρόνων αἰωνίων, *ab antiquissimis temporibus*, ante multa secula. Ἐπηγγείλατο videtur hic esse: *obscurius promisit*, in oppositione ad ἐφανέρωσε Vs. 3. In V. T. quidem vita aeterna non est promissa expressis verbis; promissa sunt vero multa et maxima bona per Messiam expectanda, quorum maximum est certissima spes aeternae felicitatis.

3. Ἐφανέρωσε — ἡμῶν θεοῦ) *Apertius autem declaravit promissionem suam tempore a se constituto, et quidem per eam doctrinam, cuius praedicatio demandata est mihi* etc. Φανεροῦν h. l. intelligendum mihi videtur de maiore claritate, qua tem-

pore N. T. declaratae sunt promissiones divinae, quae antea sub involucris quasi latebant. Κήρυγμα, *doctrina, quae publice proponitur.* Καιροῖς ἰδίοις i. e. καιροῖς οὓς ἐν τῇ ἰδίᾳ ἐξουσίᾳ ἔθετο, Act. I, 7. Verbis ὃ ἐπιστεύθην ἐγὼ inest satis notus Graecismus, ut Gal. II, 7. Κατ' ἐπιταγὴν—θεοῦ) *auctoritate, iussu, Dei servatoris nostri.* Cf. Act. IX, 15. coll. Vs. 5. Rom. XVI, 26.

4. Τίτῳ—πίστιν) Cf. 1 Tim. I, 2. Κατὰ κοινὴν πίστιν, *respectu fidei, quam habemus communem.*

5. Τούτου χάριν — διεταξάμην) *Propterea te reliqui in Creta, ut reliqua pergas ordinare* etc., ea nempe, qua ego ob brevitatem temporis ordinare non potui. Τὸ ἐπὶ in compositione significat interdum: *post alium venire, et in opere eius immutare quid, aut ei supplementum addere.* Τὰ ἐλλείποντα ἐπανορθοῦν dixit in Demosthenis vita Plutarchus. Κατὰ πόλιν, *per civitates,* oppidatim. Titus praepositus fuerat toti Cretae, quae ob urbium frequentiam olim dicta fuit ἑκατόμπολις. Διεταξάμην, praeceperam nempe inde abiens.

6. Εἴ τις — ἀνυπότακτα) Vide 1 Tim. III, 2. Μὴ ἐν κατηγορίᾳ ἀσωτίας, sc. ὄντα, *qui non accusantur vitae dissolutae;* qui non sunt dissoluti. Ἢ ἀνυπότακτα, *aut non subditos,* nempe parentibus. Qui liberos instituit ad fidem, ad obedientiam et temperantiam, ei merito maius regimen credi debet.

7. Δεῖ γὰρ — οἰκονόμον) Θεοῦ cum emphasi pronunciandum. Si in bonorum caducorum administra-

tione fidelitas requiritur, 1 Cor. IV, 2., quanto ea magis requiritur in rerum spiritualium dispensatore! *μὴ αὐθάδη—αἰσχροκερδῆ*) Αὐθάδης, *sibi placens*, *αὐτοάδης*, in cuius gestu, sermone, vultu quid tumidum et praefractum apparet, quod est indicium animi plus aequo placentis sibi. Ὀργίλος, *iracundas*. Μὴ *αἰσχροκερδῆ*. Gravissimis de caussis cavit Apostolus, ne talis apud Cretenses ad Episcopatum admoveretur. Polyb. L. VI. Καθόλου ὁ περὶ τὴν πλεονεξίαν τρόπος οὕτως ἐπιχωριάζει παρ' αὐτοῖς, ὥστε παρὰ μόνοις τοῖς Κρητὶ τῶν ἁπάντων ἀνθρώπων μηδὲν αἰσχρὸν κέρδος νομίζεσθαι. Cf. 1 Tim. III, 3.

8. Δίκαιον, ὅσιον, ἐγκρατῆ) Δίκαιος, iustus erga homines, ὅσιος, sanctus erga Deum, qui religiose Deum colit. Ita enim apud scriptores Graecos nonnunquam haec vocabula distinguuntur. *Philo* de Abrahamo: ὁσιότης πρὸς θεὸν, δικαιοσύνη πρὸς ἀνθρώπους. Plutarchus in Demetrio: τούτου δὲ πρὸς τοὺς θεοὺς ὅσιον, δικαιοσύνη πρὸς ἀνθρώπους. Ἐγκρατὴς, non ad libidinis solius, sed et ad generalem affectuum coercitionem refertur, imo ad continentiam etiam a rebus licitis, ubi sit opus. Iure autem hanc virtutem in homine tanto muneri admovendo requirit Apostolus. Cicero pro Muraena: *Nulla re conciliare facilius benevolentiam multitudinis possunt ii, qui praesunt, quam abstinentia et continentia.*

9. Ἀντεχόμενον—λόγου) *Firmiter tenentem veram illam doctrinam*, *institutioni* (Apostolicae, vel meae) *conformem*. Κατὰ τὴν διδαχὴν, *secundum institutionem*, ab Apostolis nempe, aut Presbyteris in Creta

acceptam. *Pricaeus* non male suspicatur ex 2 Tim. I, 13. II, 2. pronomen μοῦ etiam hic in contextum recipiendum. Ἀντέχεσθαι autem λόγου, *retinere, firmiter tenere doctrinam*, totum se consecrare verae doctrinae proponendae, est satis graece dictum. Sic Hierocles in carmen aureum: φιλίας ἀντέχεσθαι. Diodorus Sic. L. II. παιδείας ἀντέχεσθαι, et τῶν ἐλπίδων ἀντέχεσθαι. In eiusdem fragmentis est etiam ἀντέχεσθαι σώφρονος βίου. Παρακαλεῖν, *cohortari* ad virtutis studium. Ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινούσῃ, *per doctrinam salutarem.* Possemus etiam cum *Pricaeo* post ὑγιαινούσῃ commode supplere vocem μένειν, *hortari eos ad perseverantiam in sana doctrina.* Τοὺς ἀντιλέγοντας intellige omnis generis adversarios, praecipue autem Christianos, qui antea fuerant Iudaei. Ἐλέγχειν, vel *refutare* vel *convincere* διὰ τῶν γραφῶν τὸν Χριστὸν Ἰησοῦν εἶναι. Act. XVIII, 28.

10. Εἰσὶ γὰρ πολλοὶ καὶ ἀνυπότακτοι) *Sunt enim multi, iique pertinaces.* Particulae καὶ, quae in pluribus libris deest, et quam recte abesse putat *Grotius* haec vis subiecta videtur, ut multos, *eosque* pertinaces doctores vanos significet. Glossarium: ἀνυπότακτος, *indomitus.* Vulgatus bene: *inobedientes*, nempe rectoribus, vel, τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινούσῃ, de qua proxime. Duae igitur caussae erant, quare doctorem christianum oporteret esse peritum non modo tradendae, sed etiam contra adversarios defendendae verae doctrinae (Vs. 9.), quod nimirum doctrinae christianae repugnantes magistri et numero multi et *pervicaces quoque* et morosi essent. Vid. *Storrius* ad h. l. Μα-

ταιολόγοι, *vaniloqui*, *leves*, *futiles*, *importuni locutores*, ut Gellius I, 15. locutus. Φρεναπάται, *fraudulenti*, i. e. qui vafre animos irrepunt, κενοῖς λόγοις ἀπατῶντες, Eph. V, 6. τὰς τῶν ἀκάκων καρδίας ἐξαπατῶντες, Rom. XVI, 18. Μάλιστα οἱ ἐκ περιτομῆς, maxime inter Christianos e Iudaeis.

11. Οὓς δεῖ ἐπιστομίζειν) *Quibus fraenum iniiciendum*, vel resistendum; quorum vaniloquii nimius inconsultusque cursus moderatrice Episcopi doctrina atque auctoritate ut fraeno inhibendus; qui ad silentium redigendi sunt. Per metaphoram enim hominum rerumque impetus nimii dicuntur ἐπιστομίζεσθαι. Sic Philo Lib. II. Allegoriar. pag. 89. D. ἐπιστομιεῖ γὰρ ὁ λόγος καὶ ἐγχαλινώσει τὴν ῥύμην καὶ Φορὰν τοῦ πάθους, *nam ratio compescet refraenabitque furorem et impetum cupiditatis*. Suidas: ἐπιστομιεῖν, ἐμποδίσαι, κατασχεῖν. οἵτινες ὅλους οἴκους ἀνατρέπουσι, i. e. totarum familiarum fidem evertunt, a vera doctrina abducunt. Est enim quod 2 Tim. II, 18. τὴν πίστιν ἀνατρέπειν. Sic, *totas domos evertere*, apud Iuvenalem, et *universas familias evertere*, apud Ciceronem. *Domos autem evertebant* Φρεναπάται isti, διὰ τῆς χρηστολογίας τὰς τῶν ἀκάκων καρδίας ἐξαπατῶντες. διδάσκοντες ἃ μὴ δεῖ) *docendo quae tradere nefas est*. Λιτότης magnam vim exaggerandi habens. Sic in 3. Maccabaico: μηχανώμενοι τὰ μὴ συμΦέροντα, i. e. maxime perniciosa. In Graeco Ies. LXVI, 4. ἃ οὐκ ἐβουλόμην, i. e. *quae vel maxime abominabar*. Hoc autem faciunt αἰσχροῦ κέρδους χάριν, *turpis lucri caussa*, vel ut honorem consequantur, vel ut specie sanctitatis ad se rapiant bona muliercularum, quarum favorem

sibi conciliaverant, ut Pharisaei Matth. XXIII, 14. Cf. 2 Tim. III, 6. 7.

12. Εἶπέ τις — προφήτης) Unus ex eorum Poetis, pro propheta a suis cultus; quare *propheta*, *vates*, hic potius quam *poeta* vocatur. Vulgo intelligunt *Epimenidem*, quem vaticinantibus per furorem annumerat Cicero de Divinatione. *Clinias* apud *Platonem* vocat eum ἄνδρα θεῖον, et Apuleius *fatidicum*. Liber eius nomen habebat: περὶ χρησμῶν, *de Oraculis*, testibus *Hieronymo*, *Socrate*, *Nicephoro*. Vid. Epiphan. Haer 42. Sed videtur potius intelligi Callimachus, ut Theodoretus tradit, illud dictum fuisse initium carminis huius Poetae, dicens. Nam Versus ex Epimenide, quem Chrysostomus hic laudat, huc non pertinere videtur. Vox προφητῶν etiam Graecis in usu. Sacerdotes *Ammonis* hoc vocabulo appellat Plutarchus, et inter Latinos *Iulius* Tragicus sic appellavit fanorum antistites, teste *Festo*. De eruditione Pauli Graeca disseruit *Henke* in animadversionibus ad *Paleyi horas Paulinas* p. 449. sq. contra *Thalemannum et Ernestium*. Κρῆτες — ἀργαί) Verba haec Versum hexametrum efficiunt. Sensus est: *Cretenses semper sunt mendaces*, *ferinis moribus praediti*, *pigri*, *voluptatibus tantum dediti*. Ovidius: *Non hoc*, *quae centum continet urbes*, *quamvis sit mendax*, *Creta negare potest*. Diogenianus in Paroemiis: Κρητίζειν, ἐπὶ τοῦ ψεύδεσθαι. Χρῆσθαι Κρητισμῷ, pro *fallere*, apud Plutarchum in Aemilii vita. Κακὰ θηρία, *ferinis moribus homines*. Pollux IX, 4. Onomastici: θηρίων μᾶλλον ἢ ἀνθρώπων πόλις, et ibidem de improbo et rapace publicano: θηρίον ἄμικτον. Philostratus in

Heroicis, de sycophanta: *θηρίον ἀγαιδὲς. Γαστέρες ἀργαί, pigri, voluptatibus tantum dediti*, homines gulosi, fruges consumere nati. *Ventres* de edacibus ponunt et Graeci et Latini. Euripides Alexandra: *κακῶν δούλων γένος, γαστὴρ ἅπαντα. Ἀργὰς* hic accipe *otiosas*, quasi dicas *ἀέργους ἐσθίειν, ἀλλ' οὐκ ἐργάζεσθαι θελούτας*. Vel *ἀργὰς, tardas, pigras*, inertes, quales solet ingluvies facere, et pabuli sarcina immoderatius ingesti. *Iuvenalis: Montani quoque venter adest abdomine tardus.*

13. Ἡ *μαρτυρία — ἀληθὴς*) Quasi dicat: Poetae illius adduxi verba, non quod sit ipsi multum fidei tribuendum, sed quod id ipsum experientia docuerit me et alios. Posset etiam *μαρτυρία* esse *παροιμία*: credibile enim est, versiculum illum transiisse in speciem provèrbii. *ἔλεγχε αὐτοὺς ἀποτόμως*) *Admone eos severe.* Ἀποτόμως, *severe*, nil curans vaniloquorum sermones, aut malignorum susurrationes. Hesychius: *ἀποτόμως, σκληρῶς. ἵνα ὑγιαίνωσιν ἐν τῇ πίστει*) *Ut doctrinam servent sanam*, h. e. incorruptam, et salubrem. Metonymice enim *doctrinae* datur nomen fidei.

14. Μὴ *προσέχοντες—τὴν ἀλήθειαν*) Ne mentem adhibeant, assensum praebeant fictis Iudaeorum commentis, vanae doctrinae Iudaeorum magistrorum. *Iudaicas fabulas* intelligit de Messia, rege terreno, de resurrectione priore in his terris, de bello Gog et Magog, de Behemoto et Leviathano ac similibus. Ἐντολαὶ *ἀνθρώπων*, leges rituales, quae innumeris praeceptis humanis oneratae fuerunt, e. gr. de cibis

licitis et vetitis, lotionibus etc. Ἀποστρεφομένων τὴν ἀλήθειαν, *qui spernunt veritatem*, nam ἀποστρέφεσθαι notat: *aliquid aversari, se avertere, ne aspectu aut odore alicuius rei offendare*, deinde: *spernere*. Matth. V, 24.

15. Πάντα μὲν καθαρὰ τοῖς καθαροῖς) *qui puro sunt animo, nullis cibis inquinantur*. Apostolus locutus de Iudaicis fabulis, profectis a seductoribus, et praeceptis humanis, speciatim haec addit, de cibis sub lege interdictis. Si quis probus fuerit, inquit Apostolus, omnibus cibis uti potest, nec ob ciborum in lege Mosis vetitorum usum Deo displicet; quia lex illa non amplius ad eum pertinet. Καθαροῖς, sc. τὴν συνείδησιν, quod patet ex opposito in sequentibus. Glossae: καθαρὸς, *sincerus, mundus, purus*. Plato 4. de Legibus: ἀκάθαρτος τὴν ψυχὴν, ὁ κακὸς, καθαρὸς δὲ γ' ὁ ἐναντίος. τοῖς δὲ—καθαρὸν) *Qui vitae sunt impurae, quacunque re seipsos inquinant*, et Deo se exosos reddunt. Si quis impius fuerit, ob ciborum abstinentiam non placet Deo; non compensabit impietatem ciborum abstinentia. Sirac. XXXIX, 32. πυρὸς, καὶ γάλα, αἷμα σταφυλῆς καὶ πάντα τοῖς εὐσεβέσιν εἰς ἀγαθὰ, οὕτως τοῖς ἁμαρτωλοῖς τραπήσεται εἰς κακά. ἀλλὰ μεμίανται — συνειδήσις) *Nam et impuras cogitationes animo fovent, et impurae vitae sibi conscii sunt*. Huiusmodi homines rebus omnibus, optimis etiam, ad libidines suas explendas abutuntur.

16. Θεὸν—ἀρνοῦνται) *Praedicant quidem, se agnoscere verum Deum, sed abnegant vita et moribus*. Destruunt re, quod ore profitentur. Ἔργοις, malis

dogmatibus, et vitae impuritate. Caesar ad seditiosos milites suos apud Dionem Cassium: Ὄνομα Ῥωμαίων ἔχοντας ἔργα δὲ Κελτῶν δρῶντας. βδελυκτοὶ—ἀδόκιμοι) Βδελυκτοὶ ὄντες, *digni, quos omnes exsecrentur*, exosi Deo et hominibus, homines abominandi. Ἀδόκιμοι, inutiles sicut rummi, qui reiiciuntur. Tales sunt profani omnes, etiam si quid faciant, quod oportet, non faciunt, ut oportet.

CAP. II.

1. Σὺ δὲ—διδασκαλίᾳ) *Tu vero doceto, quae conveniunt cum sana illa disciplina*, cum vera et genuina doctrina christiana, de qua cap. I, 9. λαλεῖν, *docere*, ut Luc. IX, 11. et passim in Epistolis.

2. Πρεσβύτας—τῇ πίστει) Πρεσβύτας, *Senes*, aetate, non dignitate, quod patet ex com. 3. sq. Νηφαλίους, *sobrios*, a vini nimio usu abstinentes. Cretenses vini erant amantissimi. Seneca Controvers. II, 6. *Luxuriosus adolescens peccat, senex insanit.* Ad reliqua cf. 1 Tim. III, 8. Ὑγιαίνοντας τῇ πίστει, cf. supra I, 13.

2. Πρεσβύτιδας—καλοδιδασκάλους) Πρεσβύτιδας et hic intellige aetate provectas. Has oportet esse ἐν καταστήματι ἱεροπρεπεῖς, *conversatione ea, quae Christianas decet.* Vox κατάστημα latius hic sumitur; nec amictum tantum, sed et gestum, incessum, vultum etc. complectitur. Porphyrius de abstin. L. IV. τὸ δὲ σεμνὸν αὐτῶν καὶ ἐκ τοῦ καταστήματος

ἐωρᾶτο. Hinc βλέμματι καὶ κινήματι καταστηματικὸς, Plutarchus in Gracchorum vita. Ἱεροπρεπεῖς Vulgatus vertit: *in habitu sancto*, i. e. in habitu, qualis decet Christianos. ἱεροπρ. de eo dicitur, quod decet sacram conditionem, e. c. de vasis et rebus quae templo conveniunt; deinde est quicquid rei sacrae convenit, quod hominem Deo consecratum decet. Μὴ διαβόλους, *non criminatrices*, ut bene Vulgatus. Μὴ οἴνῳ πολλῷ δεδουλωμένας, i. e. ἑαυτὰς δούλας ποιούσας. Δεδουλωμένον οἴνῳ etiam Philostratus II, 14. dixit; et *vino corpus mancipare*, Apuleius. Non temere autem praecipiendum hoc ait aetatis provectioris feminis. Scholiastes vetus Homeri, Iliad. ζ, de anubus loquens: χαίρει τῷ οἴνῳ ἡ ἡλικία αὕτη. Καλοδιδασκάλους, *recta docentes*, magistrae honestatis et virtutis, quae reddant iuniores prudentes, ut sint amantes maritorum, liberorum etc. ut statim dicitur.

4. Ἵνα σωφρονίζωσι — φιλοτέκνους) Elliptice, pro: ἵνα σωφρονίζωσι τὰς νέας, διδάσκουσαι αὐτὰς φιλάνδρους εἶναι. Priora verba Vulgata sic exprimit: *ut prudentiam doceant adolescentulas.* Σωφρονίζειν, *facere ut quis sapiat*, *hortari*, *docere.* φιλάνδρους εἶναι, *ut sint maritorum amantes*, ut Bruti Porcia, quam φίλανδρον Plutarchus vocat. φιλοτέκνους, *liberorum amantes.*

5. Σώφρονας — ἀγαθὰς) In glossis: σώφρων γυνὴ *pudica*, *casta.* Οἰκουρούς, custodes domi, i. e. *domi se continentes.* Quem in sensum L. 31. Cod. de procurat. *Mulieres vagare non possunt sine contumelia, aut laesione et nota matrimonialis pudoris.* Ar-

temidorus I, 52. *ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ οἰκουροῦσιν αἱ γυναῖκες. Ἀγαθὰς, benignas.* Si *οἰκουρούς ἀγαθὰς* sine interpunctione iungas, vertere potes: *Bonas custodes domus*, i. e. *diligentes. ὑποτασσομένας τοῖς ἰδίοις ἀνδράσιν*) Passivum pro Reciproco. Sic in Plutarchi Coniugal. praeceptis: *ἑαυτὰς τοῖς ἀνδράσιν ὑποτάττουσαι* Artemidor. II, 33. *γυναῖκα τῷ ἀνδρὶ πειθομένην. ἵνα — βλασφημῆται*) *Ne diffamari possit doctrina divina*; quod facile fieri potuisset, si qua mulier christiana vixisset licentius. Cf. 1 Tim. VI, 1.

6. *Τοὺς νεωτέρους—σωφρονεῖν*) Νεωτέρους hic est *νέους*, ut Io. XXI, 18. *Σωφρονεῖν, caste et sobrie vivere.* A Senioribus ad iuniores moribus formandos transit. Cicero in Catone maiore: *Officia non eadem disparibus aetatibus tribuuntur; alia sunt invenum, alia constantis aetatis.*

7. *Περὶ—ἔργων*) *Exhibe te exemplum universae virtutis. Ἐν τῇ διδασκαλίᾳ ἀδιαφθορίαν*) Nil habere videntur, quo regantur hic et sequentes Accusativi. Unde nonnulli supplendum esse putant: *ἐνδεικνύμενος. Storrius* hunc et sequentes Accusativos refert ad participium *παρεχόμενος*, cuius varii significatus ita usurpantur, ut alius ad alia ex diversis, quo spectat, nominibus aptior sit; cum voce *τύπον* coniunctum sonat *exhibere, praebere* se exemplar; cum nomine *ἀδιαφθορίαν* coniunctum significat *demonstrare, exhibere*, ut sensus sit: *Exhibe in doctrina sinceritatem*, i. e. veram et incorruptam doctrinam propone, ita ut nihil admisceas falsi. Pro *ἀδιαφθορίαν* alii Codices legunt *ἀφθορίαν*, quasi dicas: illibatam sinceritatem.

λόγον ὑγιῆ, ἀκατάγνωστον) Iterum supplendum est ex praecedentibus: παρεχόμενος, quod hic verti potest: *proferens* doctrinam veram et irreprehensam. Quanquam, quum in verbo παρέχειν insit quoque vis *efficiendi*, (ut Sapient. XVII, 3.) etiam sic vertere licet: doctrinam *efficiens* veram et irreprehensam, i. e. *faciens*, curans, ut doctrina sit vera ac irreprehensa, in qua non modo nil sit noxium, sed nec quod male accipi possit; quae non possit vituperari. Σεμνότητα, *animum gravem ac dignitatis studiosum*, *Würde.* Vir gravis quae vera esse intelligit sequitur, neque inde se dimoveri patitur. Ceterum ἀδιαφθορία et σεμνότης ad *doctoris animum*, τὸ ὑγιὲς, quod idem valet ac ἀδιάφθορον, et τὸ ἀκατάγνωστον ad *doctrinam ipsam* pertinent. Huius sententia non debebat falsis opinionibus ac erroribus vitiata esse, sed argumentum incorruptum et verum. ὑγιὲς, sic quoque tractandum et pronunciandum erat, ut dignitas in oratione desiderari non posset, ut ὁ λόγος *esset* ἀκατάγνωστος.

8. Ἵνα—ἔχῃ) Ὁ ἐξ ἐναντίας est hic, qui 1 Tim. V, 14. ὁ ἀντικείμενος, et intelliguntur Iudaei atque Gentiles; nam singularis cum articulo hic ponitur pro plurali numero. Τὸ ἐντραπῇ Hieronymus et Ambrosius vertunt *revereatur*, non male; qui enim non habet, quod alteri obiiciat, reveretur eum. Alii vertunt: *erubescat*, *pudefiat.* Pro περὶ ὑμῶν, legendum videtur περὶ ἡμῶν, ut habent codices plurimi, Versiones etiam et Patres diversarum recensionum.

9. Δούλους—μὴ ἀντιλέγοντας) Ante δούλους repete ex com. 6. παρακάλει. Verba haec iam olim non uno

modo interpungi solita nos docet Hieronymus: alii enim ἐν πᾶσιν ad sequens εὐαρέστους retulerunt, alii ad praecedens illud ὑποτάττεσθαι. In sensu quidem nullum est discrimen; prior tamen interpungendi modus praeferendus esse videtur, ut 1 Cor. X, 33. πάντα πᾶσιν ἀρέσκειν. Ἐν πᾶσιν et hic et alibi apud Apostolum, etsi sono universale, debet accipi restricte, ut nempe excipiantur ea, in quibus honor Dei, Reipublicae salus, nec non alia multa, honori et voluntati herorum repugnarent. Μὴ ἀντιλέγοντας, non responsatores, ut Plautus loquitur.

10. Μὴ νοσφιζομένους — ἀγαθήν) *Non intervertentes*, nihil surripientes, *sed omnem fidem* (erga Dominos) *demonstrantes;* in omnibus rebus bona fide agant. Hesychius: νοσφιζόμενος, ἀφαιρούμενος, κλεπτόμενος etc. Philo 2 Alleg. p. 66. E. ὁ ἑαυτῷ τι προσνέμων, τὰ ἑτέρου νοσφίζεται, *qui sibi aliquid tribuit, aliena avertit.* Ἀγαθὴ πίστις, ex Latino: *bona fides*, fides, qua quis omnia servat, quae ipsi sunt credita. ἵνα — ἐν πᾶσιν) *Ut religionem christianam commendent,* (nempe bonis moribus suis,) *apud omnes.* Nam ἡ διδασκαλία τοῦ σωτῆρος ἡμῶν θεοῦ h. l. est *religio christiana*, et ita vocatur, quia haec doctrina Paulo a Deo erat mandata.

11. Ἐπεφάνη — ἀνθρώποις) Verus verborum ordo est huiusmodi: ἡ γὰρ χάρις θεοῦ ἡ σωτήριος πᾶσιν ἀνθρώποις ἐπεφάνη, *bonitas enim summa Dei, salutaris omnibus hominibus, illuxit*, i. e. se manifestavit. Χάρις h. l. haud dubie est ipsa doctrina christiana, et vocatur ἡ χάρις τοῦ θεοῦ, *beneficium Dei,* quia aucto-

rem habet Deum, qui filium suum misit. Ἐπιφαίνειν de Numinibus dicitur; hinc τὴν τοῦ θεοῦ ἐπιφάνειαν Plutarchus dixit in Themistocle. Comparat Apostolus summam bonitatem Dei, per adventum Messiae conspicuam, astro alicui, quod subito illucet. Ἡ σωτήριος πᾶσιν ἀνθρώποις, quae salutaris est omnibus hominibus, i. e. omnis generis hominibus, Iudaeis et caeteris gentibus, nempe eam acceptantibus.

12. Παιδεύουσα — ἐπιθυμίας) Παιδεύουσα ἡμᾶς, *adducens nos, eo nos perducens.* Παιδεύειν non est simpliciter *instituere*, sed simul etiam adducere homines ad aliquid, argumenta institutioni addere, et modum ostendere, quo aliquid fieri debeat. Ἀρνησάμενοι, *Abdicantes, repudiantes.* Ἀσέβεια, *impietas*, solet idololatriam sequi, uti apparet ex Ciceronis disputationibus *de natura Deosum.* Κοσμικαὶ ἐπιθυμίαι dicuntur eae cupiditates, quas maior pars hominum sequitur. Ea enim pars maior saepe in his libris κόσμου vocatur nomine. Vel κοσμικὰς ἐπιθυμίας intellige, τὴν ἐπιθυμίαν τῶν ὀφθαλμῶν, τῆς σαρκὸς, καὶ τὴν τοῦ βίου ἀλαζονείαν, quae sunt τὸ πᾶν ἐν τῷ κόσμῳ, ut commode ex 1 Io. II, 16. Apostolus explicari potest. σοφρόνως — αἰῶνι) Tribus verbis omnes officii nostri partes conclusit, σωφρόνως, *sobrie, continenter* erga nos ipsos, δικαίως, *iuste*, erga alios homines, εὐσεβῶς *pie*, quod attinet ad officia immediata erga Deum. Sic Dionysius Halicarnass. εὐσεβεστέρους, δικαιοτέρους, σωφρονεστέρους, et apud Porphyr. de abstin. IV. σώφρων, ὅσιος, δίκαιος. His tamen generibus officiorum multa alia continentur. Possumus igitur di-

cere, Paulum hoc tantum voluisse: Studere debemus officiis omnis generis.

13. Προσδεχόμενοι — Ἰησοῦ Χριστοῦ) *Expectantes praemium felicitatis aeternae, et tempus id, quo maiestatem suam summam manifestabit magnus Deus et Servator noster Iesus Christus.* Ἐλπίδα προσδέχεσθαι h. l. metonymice est, expectare id quo spes tendit, nempe praemium vitae aeternae. Sic Iobi II, 9. προσδεχόμενος τὴν ἐλπίδα τῆς σωτηρίας μου. Μακάριον h. l. videtur esse id, quod felicem reddit. Ἐπιφάνεια et δόξα sunt voces de mundanis Potestatibus et honoribus usurpari solitae. Hinc αὐτοκρατορικαὶ ἐπιφάνειαι apud Philonem in Legatione; unde et ex Antiochis unus Ἐπιφανὴς dictus. In vetere Onomastico et Glossis: ἐπιφανὴς, *illustris, nobilis.* Δόξαν καὶ ἐπιφάνειαν Arrianus III, 22. in Epictetum coniunxit, et τὸ ἐπιφανὲς καὶ πρὸς δόξαν Plutarchus de amore fratr. Ab Apostolo autem eminentiore iure hae voces de Rege Regum enunciantur. Eadem ratione addit τοῦ μεγάλου, quia et hic titulus summis terrae potestatibus solebat tribui. Agrippa ad Caium Caesarem iam citato Philonis libro: ὑμεῖς οἱ μεγάλοι etc. Δόξα, *gloria, maiestas.* Videtur autem indicari tempus, quo Deus in adventu Christi maiestatem suam manifestabit. Dicitur haec Dei et Christi maiestas, quia Deus maiestatem illam Christo tribuit. Alii utrumque praedicatum ad idem subiectum, Christum nempe, referunt; contra quam sententiam vide quae *Moldenhawerus* recte monuit, in annotationibus ad hunc locum.

14. Ὃς ἔδωκεν — ἔργων) Ἔδωκεν ἑαυτὸν *morti se devovit.* Ἵνα λυτρώσηται ἡμᾶς ἀπὸ πάσης

ἀνομίας, *ut liberaret*, abstraheret *nos ab omnibus vitiis et sceleribus.* Cf. 2 Cor. V, 15. Καὶ καθαρίσῃ ἑαυτῷ λαὸν περιούσιον, i. e. *et purgatos a vitiis nos faceret populum sibi carissimum.* Λαὸς περιούσιος, עַם סְגֻלָּה populus Israeliticus saepe vocatur, e. g. Exod. XIX, 5. Deut. VII, 6. XIV, 2. XXVI, 18. ubi LXX. λαὸς περιούσιος, (a περίειμι, *superior sum, antecello,*) *populus eximius, praestans*, quem Deus peculiari complectitur favore. In huius locum successit populus christianus. Ζηλωτὴν, קַנָּאִי, i. e. vehementer studiosum, recte factorum studiosissimum. Plutarc husin Phocione : ἐπιτηδευμάτων ἀρίστων ζηλωτής. Ἀρετῆς πάσης ζηλωτής, est et in Diodori Siculi fragmentis.

15. Ταῦτα λάλει—περιφρονείτω) λάλει sumitur ut Vs. 1. *doce.* In Codice Alexandrino hic legitur δίδασκε. Ἔλεγχε, *iniunge*, ut supra I, 13. Μετὰ πάσης ἐπιταγῆς, nempe imperans Dei nomine, ut a peccatis abstineant. Μηδείς σου περιφρονείτω, i. e. ita te gere, ut a nemine contemni possis. Similis admonitio 1 Tim. IV, 12. Περιφρονεῖν, *contemnere*, raro occurrit; quare nonnulli codices h. l. habent, καταφρονείτω. Dixit tamen Eunapius in vita Maximi, de Iuliano : δι' ἡλικίαν περιφρονηθείς, ubi περιφρονεῖσθαι positum, ut in contextu nostro.

CAP. III.

1. Ὑπομίμνησκε—εἶναι) *In mentem iis* (Cretensibus) *revoca, oportere ipsos principibus et magistratibus*

obtemperare. Vide 2 Tim. II, 14. Ἀρχαῖς καὶ ἐξουσίαις ὑποτάττεσθαι, *et summis et secundis Potestatibus se submittere.* 1 Petr. II, 14. Cf. notata ad Rom. XIII, 1. Per ἀρχὰς et ἐξουσίας, i. e. ἄρχοντας et ἐξουσιάζοντας, intelligendos esse imperatores Romanos eorumque Procuratores, notum est. Simplicius in cap. 38. Epicteti: Πρέπει τοῖς ὄντως ἄρχουσι πάντα πείθεσθαι τοὺς ἀρχομένους, καὶ ὑπακούειν προθύμως. Haec admonitio praecipue Cretensibus valde fuit necessaria. Anonymus apud Suidam, verbo Ἀνέσειον. Οἱ δὲ Κρῆτες — ἀνέσειον τὰ πλήθη, παρακαλοῦντες ἐξ αἰῶνος παραδεδομένην ἐλευθερίαν φυλάττειν. Πειθαρχεῖν, *obtemperare, obsequi.* Πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν, quasi dicat: non ad impia eorum iussa exsequenda. Sic *Pricaeus,* referens haec verba ad antecedentia. Sed videtur Paulus potius nunc ad alia praecepta Cretensibus christianis danda progredi. Vid. *Christ. Theoph. Kuinoelii* Explicationem huius cap. in Progr. supra laudato. Sensus igitur est: In memoriam iis revoca *diligentem cuiuscunque virtutis exercitationem.* Nunc Vs. 2. varia virtutum genera a Christianis exercenda recenset.

2. Μηδένα—ἐπιεικεῖς) *Conviciis neminem insectari, non iurgiosos, sed mites esse.* Suidas: ἐπιεικὴς, πρᾶος, μέτριος. Phil. IV, 5. πᾶσαν—ἀνθρώπους) Πραότητα ἐνδείκνυσθαι hic nonnullis videtur esse, obstinatos et veritati fidei obstrepentes mansuete et patienter instruere, quod 2 Tim. II, 25. ἐν πραότητι τοὺς ἀντιδιατιθεμένους παιδεύειν. Quum tamen h. l. non sit sermo de doctoribus, possunt etiam haec verba universe accipi de lenitate erga quosvis homines.

3. Ἦμεν γὰρ—μισοῦντες ἀλλήλους) Hoc pertinet ad commendandam lenitatem et mansuetudinem erga improbos et malos homines. Eramus enim et nos quales nunc illi. Cf. Gal. IV, 3. Eph. II, 3. 11. 12. 1 Cor. VI, 11. Plinius, amicum iuniorem monens, ne filium suum nimis rigide tractaret: *Cogita illum puerum esse, et te fuisse.* Ἡμεῖς dixit Paulus, per κοίνωσιν satis ipsi familiarem, intelligens eos, qui gentiles antea fuerant. Ἀπειθεῖς, nempe τῷ θεῷ, vel veritati, i. e. Evangelio. Πλανώμενοι, *errabundi:* videtur enim non tam actus quam status errationis denotari, inprimis cultus idolorum. Deut. XXX, 17. Δουλεύοντες ἐπιθυμίαις καὶ ἡδοναῖς ποικίλαις, i. e. ἐπιθυμίαις ἡδονῶν. Δουλεύοντες, *addicti, mancipati.* In Epistola Pythagorae ad Hieronem: ἡδοναὶ δουλοῦνται ψυχὰς ἀσθενῶν ἀνθρώπων. Hinc *servum vitiis pectus*, apud Ovidium, Remed. amor. I. Ἐν κακίᾳ καὶ φθόνῳ διάγοντες, sc. τὸν βίον. Sic ἐν πότοις καὶ κύβοις διάγειν dixit Plutarchus in Demetrio, et ἐν οἴνῳ διάγειν, idem in Catone. Στυγητοὶ, *digni odio.* Glossarium: *detestabilis*, στυγητός. Μισοῦντες ἀλλήλους, ut Maximus Tyrius Dissert. 36. μισοῦντες καὶ μισοῦμενοι.

4. Ὅτε δὲ—θεοῦ) Φιλανθρωπία, *amor in humanum genus.* Χρηστότητα et φιλανθρωπίαν coniungere solent etiam Profani Scriptores, e. g. Plutarchus in Ciceronis vita, Philo de Vita Mos. 1. p. 633. C. Legat. ad Cai. p 1002. C. Τοῦ σωτῆρος ἡμῶν θεοῦ, ὃς πάντας ἀνθρώπους σωθῆναι θέλει.

5. Οὐκ ἐξ ἔργων — πνεύματος ἁγίου) *Salutis fecit nos participes, non propter merita bonorum operum,*

quae perpetravissemus, sed ex mera gratia et benignitate, et quidem per baptisma, quo obligamur ad mentis mutationem et emendationem illam, quam Spiritus sanctus (per doctrinam Christi) *in nobis efficit.* Οὐκ ἐξ ἔργων τῶν ἐν δικαιοσύνῃ, sc. ὄντων, vel γενομένων, *non propter bene et recte facta;* nam antea fueramus inscii et improbi, Vs. 3. Ἐκ, *propter.* Ἔσωσεν ἡμᾶς, *ad salutem nos adduxit.* Salutis nomine autem comprehenditur quicquid bonorum per religionem Christianam accipiunt Christiani, veluti melior cognitio, fugata inscientia; melior animi conformatio, victa vitiositate; certior spes, exuto metu, et denique ipsa sempiterna felicitas. Hoc loco sensus verborum ὁ Θεὸς ἔσωσεν ἡμᾶς, est: Deus nos, olim flagitiosos (Vs. 3.) abduxit ab ignoratione veri et flagitiis, atque traduxit ad meliorem sentiendi vivendique rationem. Sempiternae felicitatis demum Vs. 7. fit mentio. Huius autem σωτηρίας (melioris cognitionis et vivendi rationis) Deus nos participes reddidit κατὰ τὸν αὐτοῦ ἔλεον, *per suam misericordiam,* nihil tale meritos. Hoc etiam pertinet ad commendandam lenitatem erga alios, Vs. 2. Haec omnia autem Deus in nobis efficit per aditum ad christianam religionem in baptismate. Λουτρὸν nihil aliud esse nisi *baptisma*, facile intelligitur. Vocatur autem λουτρὸν παλιγγενεσίας, quia illi, qui suscipiunt baptisma, profitentur se velle nunc esse et manere Christianos, et e vitiosis meliores fieri. Notandum est, Paulum loqui de baptismate adultorum hominum, qui paene soli tum baptizabantur. Hos admonet Apostolus, ut cogitent, se baptizatos, et hoc solemni ritu publice professos esse, se velle novos et meliores homines esse. Praeterea quoque baptisma vo-

catur λούτρου τῆς ἀναναινώσεως πνεύματος ἁγίου, *lavacrum, quo obligamur ad mentis renovationem* vel emendationem, *cuius auctor est spiritus sanctus*, hanc emendationem per doctrinam Christi in nobis efficiens. Παλιγγενεσία h. l. est totius hominis qua mentem et vitam universa mutatio, et quidem in melius. Nunc de Spiritu pergit Apostolus:

6. Οὗ ἐξέχεεν ἐφ' ἡμᾶς πλουσίως) *Cuius dona largissima accepimus.* Ἐκχέω saepe est *largiter impertior*, Sirac. XVIII, 11. ἐξέχεεν αὐτὴν (σοφίαν) ἐπὶ πάντα τὰ ἔργα αὐτοῦ. Sic *effuse donare* Cicero in Orat. pro Coelio, et pro Roscio Amerino. Πνεῦμα ἅγιον autem hic, ut saepius denotat dona Spiritus divini, meliorem cognitionem, sensus pios etc.; aut significatur ipsa vis religionis, sensus religiosus, quo recentes Christiani imbuebantur, qui sensus ita dicebatur, quoniam repetebatur a spiritu divino. Διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, *propter I. Christum*, i. e. per religionem Christianam, dum nos ad eam accedimus.

7. Ἵνα δικαιωθέντες — ζωῆς αἰωνίου) *Ut beneficio eius probi redditi participes fiamus aeternae felicitatis, quam speramus.* Δικαιωθέντες, *tales facti, quales esse debemus*, i. e. sancti et probi. De remissione peccatorum h. l. non videtur esse sermo; nam omnia quae praecedunt et sequuntur, referenda sunt ad vitae sanctitatem, et morum puritatem. Eodem sensu verbum δικαιοῦσθαι sumitur 1 Cor. VI, 11. Κατ' ἐλπίδα, *prouti speramus.* Verba ζωῆς αἰωνίου construenda sunt cum κληρονόμοι.

8. Πιστὸς ὁ λόγος) *Verissimum est, quod hic dico;* nempe de illo beneficio divino erga nos, et obligatione nostra erga alios inde nata, ut nempe alios etiam, qui nunc sunt improbi, nostro studio adducamus ad sanctitatem. καὶ περὶ—τῷ θεῷ) *Et hoc volo confirmes, operam dandam esse Christianis, ut verae virtutis studium quovis modo promoveant.* Διαβεβαιοῦσθαι, *asseverate loqui*, ut de re summe necessaria, id vero est *confirmare.* Φροντίζειν, *curare.* Καλῶν ἔργων προΐστασθαι, *bona opera exercere*, et facere ut alii exerceant, *exemplo esse aliis in bene agendo.* Sic Plutarchus in Bruto habet: ὁσίων καὶ καλῶν ἔργων ἡγεμόνας εἶναι. Iulianus in Epistolis: μὴ τέχνης τινὸς καὶ ἐργασίας αἰσχρᾶς καὶ ἐπονειδίστου προΐστασθαι. Contrarium in Plutarchi Pericle: ἐργασίας οὐ κοσμίου προΐστασθαι. ταῦτά ἐστι—ἀνθρώποις) *Haec per se honesta sunt, et hominibus utilitatem afferunt.* Καλὰ καὶ ὠφέλιμα dixit et Plutarchus initio vitae Periclis. Idem de Liber. educ. ταῦτα μὲν καλὰ καὶ ὠφέλιμα.

9. Μωρὰς δὲ—περιΐστασο) Περιΐστασθαι proprie est: *circumstare*, deinde: obsidere, obsistere. Igitur sensus est: obsiste, ne latius illud malum serpat; fac ut illud vitent. Cf. 1 Tim. I, 4. 2 Tim. II, 14. 23. Μάχας νομικὰς, contentiones ex varia partium legis interpretatione enascentes. ἀνωφελεῖς) Λιτότης. Non enim solum inutiles erant, sed et noxiae. Sirac. XXX, 23. de tristitia: οὐκ ἔστιν ἐν αὐτῇ ὠφέλεια. Seneca Epist. 48. *Disputationes istae utinam tantum non prodessent, nocent.*

10. *Αἱρετικὸν—παραιτοῦ*) *Αἱρετικὸς ἄνθρωπος* est qui opiniones eligit atque defendit, religioni christianae contrarias, qui propter contentiones discidia excitat, factionum studiosus. Tales haeretici erant illa aetate inter legis Mosaicae defensores, qui summam religionis vitiabant, et Iudaismum pro Christianismo substituebant. *Αἱρέσεως* vox per se media est. Ubi in malam partem sumitur, significat idem quod *σχίσμα*, sed restringitur ad ea dissidia, quae fiunt ex opinionum diversitate. *Μετὰ μίαν καὶ δευτέραν νουθεσίαν*, quum iterum iterumque frustra eum admonueris. Non enim praecise ad semel repetitam admonitionem restringitur haec Phrasis. *Παραιτοῦ*, i. e. abrumpe cum eo familiariorem consuetudinem.

11. *Εἰδὼς, ὅτι ἐξέστραπται—αὐτοκατάκριτος*) *Intelliges enim, talem totum se immutasse, et peccare ita, ut se ipse condemnet.* *Ἐκστρέφεσθαι, everti*, totum se immutare. *Αὐτοκατάκριτος, qui se ipse per factum suum condemnat.* Hoc faciebant illi haeretici. Quum enim contraria religioni christianae docerent, se ipsos condemnabant, profitentes, se non esse amplius Christianos.

12. *Ἀρτεμᾶς* quis fuerit ignotum est; nam nuspiam nomen eius nisi hoc loco in N. T. legimus. *Tychium* ex Asia oriundum fuisse, discimus ex Act. XX, 4. *Nicopolis* erat urbs in Epiro sita, quam Augustus in memoriam victoriae de Antonio reportatae condiderat.

13. *Ζηνᾶν τὸν νομικὸν — λείπῃ*) *Νομικὸς* h. l. est vel is, qui antea fuit legis peritus, quales erant Phari-

saei, vel ὁ νόμους εἰδὼς, *iurisperitus*. Ius Romanum etiam Graeci didicere, ut *Callistratus*, *Menander*, *Arcadius*. Προπέμπειν hic non est, quod nonnunquam, *comitari* vel *deducere*, sed ad iter *instruere*, curando nempe, ne quid viae conficiendae necessarium desit. Σπουδαίως, *sedulo*, *enixe*. Ante ἵνα μηδὲν αὐτοῖς λείπῃ supplendum est βλέπων, προνοῶν, aut quid simile. Curans, ne quid ipsis desit, nempe quod ad iter sit necessarium.

14. Μανθανέτωσαν — ἄκαρποι) Ἡμέτεροι, hic sunt, qui Gal. VI, 10. οἰκεῖοι τῆς πίστεως. Sic ἡμετέρους de Stoicis loquens, Arrianus II, 12. in Epictetum dixit, ut Seneca de iisdem, *Nostros*, Epist. 5. de Ira II, 19. et alibi. Καλῶν ἔργων προΐστασθαι, nunc est: *honesto otio aut opificio fungi*, non malis artibus victum quaerere; sequitur enim: Εἰς τὰς ἀναγκαίας χρείας, *ad necessaria vitae praesidia paranda*, vel potius ad sublevandam aliorum inopiam. Ἵνα μὴ ὦσιν ἄκαρποι, *ne inutiles reperiantur*, ne fides eorum careat bonorum operum fructibus.

15. Τοὺς φιλοῦντας ἡμᾶς ἐν πίστει) Qui nos amant ob communem fidem, vel religionem. Nam id valet ἐν h. l. more Hebraeo.

SCHOLIA

IN

EPISTOLAM AD PHILEMONEM.

Philemon videtur habitasse Colossis, functus ibi munere *Diaconi*, Vs. 22., vel ut alii volunt Episcopi. *Onesimus* certe, servus Philemonis, fuit Colossensis, ut patet ex Col. IV, 9. Hic Onesimus a Domino suo Philemone profugus, Romam venerat, ubi Paulus eum ad fidem Evangelii perduxit, remisitque Hero suo, cum hac Epistola, quae eodem tempore, quo Epistolae ad Colossenses et Ephesios, scripta esse videtur. Col. IV, 9. Vid. Michaelis Introduct. §. 180. 181. Ceterum *familiaris* est haec epistola, nec argumentum eius cum religione eiusque doctrina est coniunctum, utilis tamen, et lectu dignissima, ex qua discimus mitissimo ingenio fuisse Paulum. Illustravit hanc epistolam *Lebr. Chr. Gottl. Schmidius*, et ut exemplum humanitatis Paulinae proposuit in libello 1786. edito. *Interpretationem historico-grammaticam* huius Epistoli exhibet etiam Programma Halense, quo Solemnitas in memoriam Natalis Iesu Christi celebranda a. 1802. indicta est. Nuperrime hanc Epist. interpretatus est *Car. Rudolph. Hagenbach* in Progr. Basil. 1829. 4.

1. Δέσμιος Χριστοῦ Ἰησοῦ) *Vinctus ob Christum Iesum*, eiusque doctrinam. Genitivus hic caussam significat, ut infra Vs. 9. et aliis multis locis. καὶ συνεργῷ ἡμῶν) Adiutori nobis in religionis negotiis. Sic nominari potuit Philemon, si fuit Diaconus, et hoc eo magis, quia in domo eius conventus agere solebant Christiani, com. 2.

2. Καὶ Ἀπφίᾳ—ἐκκλησίᾳ) *Appia* nomen est Romanum. Fuit haec Appia sine dubio Philemonis uxor, ut Chrysostomus et Theodoretus volunt, Archippus autem eiusdem filius. Ex collatione Epistolae ad Colossenses c. IV, 17. constat, hunc Archippum officio quodam ecclesiastico functum esse; dubitatur utrum *Colossis*, an *Laodiceae*, cuius doctoribus annumeratur in Constitutionibus Apostolicis (Lib. VII, 46.). Videtur certe (ut auctor Programmatis supra laudati suspicatur,) per aliquod tempus posteriori ecclesiae suam dicasse operam; nam quae Coloss. IV. inde a Vs. 15. subiiciuntur mandata, Laodicenses spectant Christianos. Τῷ συστρατιώτῃ ἡμῶν, Socio et adiutori nostro in religione promovenda. A militia seculari Apostolus hanc locutionem sumsit. Ita Marcus Imperator apud Herodianum, filium Commodum συστρατιώτην vocat. Καὶ τῇ κατ' οἶκόν σου ἐκκλησίᾳ, *coetui, qui in aedibus tuis convenire solet.* Quum enim Christiani nondum haberent templa, in aedibus privatis ad cultum divinum convenire solebant.

4. Εὐχαριστῶ—προσευχῶν μου) Est hic traiectio, pro: πάντοτε μνείαν σου ποιούμενος ἐπὶ τῶν προσευχῶν μου εὐχαριστῶ τῷ θεῷ μου, ἀκούων etc. *Quotiescunque tui recordor in precibus meis, gratias ago Deo, quoniam audio* etc.

5. Ἀκούων — ἁγίους) *Audiens, quam sincerus sit amor tuus erga omnes Christianos, et quam firma fides tua in Dominum Iesum.* Πρὸς τὸν κύριον Ἰησοῦν refertur ad τὴν πίστιν, fidem, sicut, εἰς πάντας τοὺς ἁγίους ad dilectionem, benevolentiam erga alios, τὴν ἀγάπην, quae duo perfectum Christianum efficiunt. Similia Synchyseos exempla passim occurrunt, e. g. Matth. XX, 21. Act. XX, 21.

6. Ὅπως — Χριστὸν Ἰησοῦν) Ante ὅπως videtur προσευχόμενος aut quid simile intelligendum. *Optans, ut fides, quam nobiscum habes communem, magis magisque se manifestet (per opera bona,) tuque cognoscas magnitudinem beneficiorum, quae debemus Christo.* Ἡ κοινωνία τῆς πίστεώς σου, *fides, quam nobiscum habes communem*, ut sit pro ἡ πίστις κοινωνίας et κοινωνία pro adiectivo. Ἐνεργὴς γένηται hic dicitur eodem sensu, quo πίστις δι' ἀγάπην ἐνεργουμένη, Gal. V, 6. Ἐν ἐπιγνώσει, una *cum cognitione*, sicut ב hebr. saepe denotat *cum*. Pro ἐν ὑμῖν legendum est ἐν ἡμῖν, ut habent plurimi et optimi codices, Versiones nonnullae, Chrysost. Theodoret. Oecum. Ambrosiast. Pelagius. Πᾶν ἀγαθὸν τὸ ἐν ἡμῖν, *omne bonum nostrum, omnis felicitas nostra*, qua nunc Christiani fruimur, et olim fruemur. Εἰς Χριστὸν, videtur hic positum pro ἐν Χριστῷ, vel ut alii volunt, *ad honorem Christi.* Auctor Programmatis supra laudati hoc comma cum antecedentibus iungit, ut ὅπως sit, *quo fit*, ut ἐνεργὴς γένηται, *exserat se, efficax sit* κοινωνία τῆς πίστεως religionis, in cuius societatem venisti, studium εἰς Χριστὸν, i. e. in Iesu Christi cultores (ut Philip. IV, 10.),

quo mirifice et ornabatur et promovebatur Christi doctrina. Iam ista studia prodibant in *Philemone* ex ἐπιγνώσει παντὸς τοῦ ἀγαθοῦ ἐν ἡμῖν, i. e. εἰς ἡμᾶς περισσεύοντος. Nam quo magis intelligebat et agnoscebat, quanta in seipsum ex christiana religione redundaverint bona, tanto promtior erat ad referendam Christi discipulis gratiam. Sensum ita exprimit auctor: *So dass dein Christenthum, je mehr du selbst die Menge des Guten erkennen lernst, das wir Iesu verdanken, sich auch immer thätiger gegen seine Bekenner zeigt. Heinrichsius*: „Εἰς Χρ. Ἰησ. non accipio per enallagen pro ἐν Χρ. Ἰησ., sed ἀγαθὸν εἰς Χρ. Ἰησ. mihi videtur esse eiusmodi ἀγαθὸν, quo promoveri et novis accessionibus locupletari queat I. Chr., i. e. eius religio.“ Hinc *Hagenbachius* sensum facit hunc: Fides tua, seu fiducia, quam simul cum amore erga Christum exhibes et sacrum ei coetum, tam praeclare se manifestat, ut ex ea, quae inter te et nos intercedit, necessitate id redundat, ut et alii agnoscant res bonas et virtutes (τὸ ἀγαθὸν) apud nos florentes, indeque non amplius Iesu Christo, quem debent honorem denegent, quin potius ad rem eius augendam se promptos praebeant atque paratos.

7. Χαρὰν γὰρ — διὰ σοῦ) *Gaudium enim percipio magnum et solatium, quoniam scilicet pectora Christianorum* (pauperum et miserorum) *per te, carissime, recreata sunt.* χαρὰν pro eo quod alii habent, χάριν esse legendum, consensus optimorum Codicum, versionum ac Patrum docet. Τὰ σπλάγχνα τῶν ἁγίων ἀναπέπαυται διὰ σοῦ, *multorum pauperum Christianorum animos recreasti*, dum ex opibus

tuis eorum necessitatibus tempestive subvenires. Σπλάγχνα hic pro *animo*. Διὰ σοῦ, per tuam liberalitatem, vel etiam διὰ τὴν σὴν Φιλοξενίαν.

8. Διὸ πολλὴν — ἀνῆκον) *Quapropter, quum tanquam Apostolus potestatem haberem praecipiendi tibi, quid tui sit officii.* Ἐν Χριστῷ, tanquam Christi Apostolus. Παῤῥησία hic est, quam in aliis locis ἐξουσίαν vocat. Τὸ ἀνῆκον, quod convenit, decet Christianum.

9. Διὰ — παρακαλῶ) *Tamen magis hortor amoris caussa*, per argumenta ab amore ducta. Non auctoritate tecum, sed precibus fraternis ago. τοιοῦτος—Χριστοῦ) *Quum talis sim*, ut tibi imperare possim, magis tamen hortor; *tanquam senex*, inquam, *imo etiam vinctus propter Christi religionem;* certus nimirum, preces meas apud te non fore irritas. Πρεσβύτης, iam et provecta aetate, cui multa concedunt etiam ignoti. Νῦν δὲ δέσμιος τοῦ Χριστοῦ, Vs. 1. Magnum Apostoli precibus pondus isto nomine accedit. Nunc vero com. seq. rem ipsam a Philemone petendam declarat.

10. Παρακαλῶ—δεσμοῖς μου) Παρακαλῶ σε, *Rogo abs te.* Servi si quid deliquissent, precatorem sibi parare solebant, ut notat ad Terentium Donatus. *Filium suum* nominat Onesimum, quia eum Romae fecerat Christianum, idque more Iudaicorum doctorum, qui discipulos suos appellare solebant *filios*. Cf. 1 Cor. IV, 15. 2 Tim. I, 2. Alibi solet addere ἐν πίστει, 1 Tim. I, 2. Masculinum ὃν post τέκνον non tam ad vo-

cem antecedentem, quam ad sensum refertur. Similia exempla apud Scriptores bene graecos reperiuntur. In nomine Onesimi casus quartus respicit ὃν ἐγέννησα. *Ich lege eine Fürbitte ein für meinen Sohn — das ward er mir in jenen Banden — für Onesimus.*

11. Τόν ποτε — εὔχρηστον) Ἄχρηστον, i. e. *noxium*. Onesimus enim non inutilis modo Philemoni fuerat, sed et damnum dederat. Criminis natura non claris verbis indicatur; sed in sequentibus, praesertim Vs. 18. significatio quaedam furti commissi latere videtur. *Heinrichsii* sententia, Onesimum a Philemone ad Paulum Romae captivum missum ad negotia quaedam ecclesiastica curanda, a Paulo vero iusto longius detentum, denique domini vel inclementiam vel acerbitatem timentem, literis ab Apostolo commendatitiis instructum esse, a reliquo argumento plane aliena est. Sic enim Paulus, ut alia taceam, culpam a servo remotam in se transferre debuisset. Εὔχρηστον *perutilem*. Quia Paulo utilis erat, erat et Philemoni. Amicorum enim omnia communia.

12. Ὃν ἀνέπεμψα—προσλαβοῦ) Ἀνέπεμψα, nempe cum hac Epistola. Τὰ ἐμὰ σπλάγχνα, i. e. tanquam mihi carum in primis, s. tanquam me ipsum. Sic Esther. VII, 3. ad Ahasverum: *Dona mihi animam meam*, i. e. populares meos, quos ut animam diligo. Προσλαβοῦ, benigne in domum recipe.

13. Ὃν ἐγὼ—τοῦ εὐαγγελίου) Indicativus ἐβουλόμην hic est pro Subiunctivo, more Graeco. *Voluissem eum mecum retinere*, nempe nisi obstitissent rationes

aliae, quas statim affert. Ἵνα ὑπὲρ σοῦ διακονῇ μοι, ut mihi praestaret, quae tu, si hic esses, omnia mihi esses praestiturus. Ἐν τοῖς δεσμοῖς τοῦ εὐαγγελίου, *in his vinculis, in quae propter religionem coniectus sum.*

14. Χωρὶς — ποιῆσαι) Nolui eum, etsi Evangelii caussa, captivo mihi ministraturum detinere, sine consensu tuo. Γνώμη h. l. est βουλὴ, *voluntas*, igitur χωρὶς τῆς σῆς γνώμης, *contra voluntatem tuam, te invito.* ἵνα μὴ — ἑκούσιον) *Ne extortum esset tuum beneficium, sed voluntarium.* Si Paulus eum retinuisset, non tam apparuisset voluntas Philemonis, quam si eum ad se missum ipse ad Paulum remitteret. Τὸ ἀγαθόν σου, sc. ἔργον, *beneficium tuum.*

15. Τάχα γὰρ — ἀπέχῃς) *Fortasse enim propterea separatus est a te ad breve tempus, ut ille tecum sit olim in aeternum,* i. e. ut tecum felicitate in aeternum fruatur. Quasi dicat: Forte id Dei consilium fuit, quum eum fugere permisit. Ἐχωρίσθη, i. e. fugit. Lenitate verbi mitigat id, quod in re est asperum. Πρὸς ὥραν, ad modicum temporis. Ἵνα αἰώνιον αὐτὸν ἀπέχῃς, ut a me correctus *tuus sit in aeternum.* Αἰώνιον possumus etiam vertere: *semper,* perpetuo: ut sensus sit: *ut eum retineas perpetuo,* servum bonum, tibique utilem; quae sententia praeferenda esse videtur.

16. Οὐκ ἔτι — ἐν κυρίῳ) Οὐκ ἔτι ὡς δοῦλον, supple: *tantum*, quod sequentia ostenduut. Ὑπὲρ δοῦλον, qui tibi sit multo carior servo. Ἀδελφὸν —

μᾶλλόν σοι, qui cari fratris loco habeatur, (nempe a Christianis omnibus,) *maxime a me, et magis adhuc a te.* Καὶ ἐν σαρκὶ, καὶ ἐν κυρίῳ, *quum propter externam conditionem, tum religionis caussa.* Qui servum amat, quia in sua domo est, is eum amat ἐν σαρκὶ, nam σάρξ omnes res externas, statum externum indicat. Ἐν κυρίῳ, *propter dominum,* quia eundem nobiscum dominum colit, quippe Christianus factus.

17. Εἰ οὖν — ὡς ἐμέ) Εἰ οὖν ἐμὲ ἔχεις κοινωνὸν, *si me habes pro amico,* ac proinde rerum tuarum participe. Παραλαβοῦ αὐτὸν, non modo poenam, quam tuo iure exigere poteras, ei condona, sed et benigne eum excipe. *In domum, in animum recepisti,* dixit in re plane simili Plinius Epist. IX, 24. Ὡς ἐμέ, nam amicus Paulo quum esset Onesimus, quod ipsi praestabatur, Paulo ipsi praestari videbatur.

18. Εἰ δὲ — ἐλλόγει) Quae Paulus huc usque scripserat plena erant *humanitatis;* reliqua plenissima sunt *urbanitatis.* Εἴ τι ἠδίκησέ σε, *si quid fugiens abstulit,* quod solent servi fugitivi. Sed *Hagenbachius:* „cur de furto intelligenda sint, non video. Quot quaeso damna infligere possunt servi heris, negligenter officiis vacantes absque omni furti consilio, uti recte inter culpam et dolum distinguunt iuris periti.“ Idem p. 7.: Qui factum, inquit, ut Onesimus herum suum reliquerit, non palam est; nam furtum eum commisisse, ut antiquiores nimis fere audacter statuunt, nonnisi levioribus coniecturis assequi licet. Id tantum ex ipsius epistolae argumento colligi poterit,

eum non qua par est reverentia Philemoni morem gessisse indeque, ut eius vindictae se clam subduceret, aufugisse. Cf. Eiusd. dicta ad Vs. 13. Ἡ ὀφείλει, aut si ex rationibus tuis reliquator erat. Nomen generis pro specie. Τοῦτο ἐμοὶ ἐλλόγει, *id meis rationibus imputa; mihi expensum feras,* Cicero XV, 20. ad Atticum dixit. Haec non ad vivum resecanda, eleganter potius et facete dicta esse, quum mutua inter Paulum et Philemonem officia, tum sequentia satis declarant.

19. Ἐγὼ—ἀποτίσω) Ἔγραψα τῇ ἐμῇ χειρὶ, ut certus sis, habes hic manum meam. Poteris me, ubi voles, convenire ex chirographo. Ἐγὼ ἀποτίσω, formula in se debitum recipientis. In Glossario: ἀποτίω, *pendo, resarcio.* Dubitari potest, scripseritne Apostolus totam hanc epistolam manu propria, an hanc tantum eius particulam, literis forte, ut Hieronymus coniiciebat, maiusculis, quod omnino augeret facetam orationis urbanitatem, quam nemo non agnoscat in eleganti, quae sequitur *praeteritione:* ἵνα μὴ—προσοφείλεις) *Ne tibi dicam, quod te ipsum mihi debeas.* Salutem tuam mihi debes. Ita dicit Paulus, quia Philemonem in religione instituerat. Simplicius in cap. 37. Epicteti, de salutarium rerum praeceptoribus: Τροφεῖς οὗτοι καὶ ἐπιμεληταὶ οὐ τοῦ σώματος ἡμῶν, ἀλλ' ἡμᾶν αὐτῶν εἰσι.

20. Ναὶ—ἐγώ σου ὀναίμην ἐν κυρίῳ) *Sane, carissime, fac, ut hunc fructum percipiam ex te, ut homine christiano.* Ὀναίμην, contracte pro ὀνησαίμην, ab ὄνημι, *prosum,* unde ὄνημαι τινὸς, *fructum capio*

ex aliquo. Usurpatur inprimis de parentibus, fructum disciplinae e liberis percipientibus, quod Kypkius et Wetstenius exemplis ad h. l. probarunt. Voce ὀναίμην Paulus fortassis alludere voluit ad *Onesimi* nomen; nam paronomasiae usus non abhorret a stilo Paulino. ἀνάπαυσον — ἐν Χριστῷ) i. e. Propter Christum fac me tranquillum hac de re, vel: *benigne et amanter Onesimum, filium meum, suscipe, et mentem meam, metuentem, ne quid acerbius in eum consulas, tranquillam redde;* proprie: *ad quietem redige viscera mea.* 1 Cor. XVI, 18. et 2 Cor. VII, 13. τὸ πνεῦμα ἀναπαύειν. *Hagenbachius:* „Tua persona ita in commodum uti velim, ut vere quodammodo *Onesimi*, i. e. utilissimi servi personam erga me agere videaris. Verum enimvero non in rebus ad huius vitae conditionem spectantibus mancipium te exhibeas, sed quod omnium maximum est, ἐν κυρίῳ, i. e. morali sive spirituali vinculo mihi adstrictus.

21. Πεποιθὼς — ἔγραψά σοι) *Fretus tua obedientia haec tibi scripsi.* Fiduciam mihi fecit cognita illa tua, quam Evangelio praestas, obedientia. εἰδὼς — ποιήσεις) Pro certo habeo, plus te facturum, quam ego audeam poscere. Haec verba ad libertatem servo reduci concedendam alludere non absimile est vero.

22. Ξενίαν) *Hospitium.* Suidas ξενίαν, καταγώγιον, κατάλυμα. ἐλπίζω — ὑμῖν) Spero, fore, ut ad preces vestras Deus me (i. e. adventum ad vos meum) vobis concedat. Spero, me liberatum iri ex vinculis meis.

23. 24. Istae *salutationes* persimiles sunt iis, quas in extrema ad *Colossenses* epistola legimus. Conferri possunt, quae *Storrius* ad illustrandam epistolam ad Colossenses collegit.

25. Ἀμήν) Est vox, quam ecclesia respondebat, lectis Epistolis; ideo omnibus Pauli epistolis adscribi coepit.

SCHOLIA

IN

EPISTOLAM AD HEBRAEOS.

De auctore huius Epistolae et Veteres et Recentiores disputarunt. *Clemens Alexandrinus* Pauli Apostoli esse dixit, sed scriptam Hebraeis hebraice, et a *Luca* graece versam, ut docet nos *Eusebius* Hist. Eccles. L. VI, c. 14. *Tertullianus* eam adscripsit Barnabae, de Pudicit. c. 20. *Origines* res quidem et sententias, non autem dictionem et compositionem Pauli esse existimavit. Verba eius legimus apud Eusebium Hist. Eccles. L. VI, cap. 25. ὅτι ὁ χαρακτηρ της λεξεως της προς Ἑβραιους ἐπιγεγραμμενης ἐπιστολης, οὐκ ἐχει το ἐν λογῳ ἰδιωτικον του ἀποστολου, ὁμολογησαντος ἑαυτον ἰδιωτην εἰναι τῳ λογῳ, τουτεστι τῃ Φρασει, ἀλλ' ἐστιν ἡ ἐπιστολη συνθεσει της λεξεως Ἑλληνικωτερα etc. Deinde paucis interiectis: ἐγω δε ἀποφεινομενος εἰποιμ' ἄν, (verba sunt *Origenis*,) ὅτι τα μεν νοηματα του ἀποστολου ἐστιν, ἡ δε Φρασις καὶ ἡ συνθεσις ἀπομνημονευσαντος τινος τα ἀποστολικα, καὶ ὡσπερ σχολιογραΦησαντος τα εἰρημενα ὑπο του διδασκαλου. εἰ τις οὐν ἐκκλησια ἐχει ταυτην την ἐπιστολην ὡς Παυλου, αὐτη εὐδοκιμειτω και ἐπι τουτῳ. οὐ γαρ

εἰκη οἱ ἀρχαιοι ἀνδρες ὡς Παυλου αὐτην παραδεδωκασι. τις δε ὁ γραψας την ἐπιστολην, το μεν ἀληθες θεος οἰδεν. ἡ δε εἰς ἡμας φθασασα ἱστορια, ὑπο τινων μεν λεγοντων, ὁτι Κλημης ὁ γενομενος ἐπισκοπος Ρωμαιων ἐγραψε την ἐπιστολην, ὑπο τινων δε, ὁτι Λουκας ὁ γραψας το εὐαγγελιον και τας πραξεις. Videtur igitur *Origenes* magis ob stili diversitatem, quam propter historica argumenta dubitasse. Ipse *Eusebius* Hist. Eccl. III, 3. Pauli esse hanc Epistolam, non dubitare videtur, sed aliter sentire Romanam Ecclesiam addit. Του δε Παυλου, inquit, προδηλοι και σαφεις, αἱ δεκατεσσαρες. ὁτι γε μην τινες ἠθετηκασι την προς Ἑβραιους, προς της Ρωμαιων ἐκκλησιας ὡς μη Παυλου οὐσαν αὐτην ἀντιλεγεσθαι φησαντες, οὐ δικαιον ἀγνοειν. Ex eodem discimus, saltim Graecam versionem huius Epistolae ex Hebraico factam a Clemente Romano, olim haud paucos existimasse dictionis similitudine inductos, Lib. III, c. 38. *Philastrius* de Haeresibus c. 89. commemoratis variis de Auctore huius Epistolae sententiis, addit: „Et quia addiderunt in ea quaedam non bene sentientes, inde non legitur in Ecclesia, etsi legitur a quibusdam, non tamen in Ecclesia legitur populo, nisi tredecim Epistolae ipsius, et ad Hebraeos interdum. Et in ea, quia rhetorice scripsit, sermone plausibili, inde non putant esse eiusdem Aposoli. Et quia et factum Christum dicit in ea, inde non legitur. De poenitentia autem propter Novatianos aeque etc.“ Patet ex his, ob loca quaedam perperam intellecta abiudicatam esse Paulo hanc Epistolam a nonnullis Veterum. Urgent alii cum *Origine* discrepantiam stili, quod nempe huius epistolae stilus sit multo cultior et elaboratior eo, quem in Pauli epi-

stolis deprehendimus. Sed haec ratio per se non valida esse videtur. Potuit enim Paulus successu temporis, post multa itinera, et consuetudinem cum varii generis hominibus, senex aliter scribere, quam iuvenis. Sic epistolae ad Timotheum multo faciliores sunt aliis epistolis; et tamen nemo negat, eas ab Apostolo Paulo esse scriptas. Ex *Lutheri* sententia, probata *Clerico*, *Heumanno*, aliisque, *Apollos* scripsit Epistolam, quae inscribitur ad Hebraeos. Paulo Apostolo vindicarunt eam *Frid. Spanhemius*, *Lardner*, *Sykes*, *Michaelis*, *Zachariae*, *Storrius* in libro mox laudando, *Meyerus*, et permulti alii. Contra horum sententiam, inprimis contra argumenta *Storrii* multa disputavit *W. C. L. Ziegler* in libro, cui titulum fecit: *Vollständige Einleitung in den Brief an die Hebräer, worin alte und neue Meinungen über Echtheit, Kononicität und Grundsprache desselben aufs neue kritisch geprüft sind, und der Werth des ganzen Briefs näher bestimmt wird.* Goetting. 1791. *Meyeri* argumenta refutavit *Dav. Schulzius: Der Br. an d. Hebr., Einl. Uebersetz. u. Anmkk.* Breslau, 1818. Vid. inprimis p. 26. sqq. Ipse *Schulzius* et post eum *Chr. Frid. Boehme (Epist. ad Hebr. lat. vert. atque Commentario instruxit perpet.* Lips. 1825.) contendunt, neque Paulum, neque alium Apostolum hanc Epist. scribere potuisse. „Stabit, ut opinamur, sententia, illam omnibus reliquis N. T. scriptis adeo praestare tum rebus, tum arte et eloquentia atque grammatica orationis integritate, graecae simili, ut quatenus ex ipsius natura ac ratione aestimare queas, *nemo omnium, qui ad sacrum illum codicem aliquid operis contulerint, huius auctor fuisse videatur.*“ *Boehmius* l. c. p.

XIV. Cf. et *Bleekii* liber: *Der Br. a. d. Hebr. erläutert durch Einl., Uebers. u. fortlaufenden Commentar* T. I. (Isagogen continens) Berl. 1828.

Quinam fuerint *Hebraei*, ad quos scripta sit epistola, de eo variae sunt doctorum hominum sententiae. Nonnulli intelligunt Christianos ex Iudaeis in Asia minori; alii Christianos in Hispania, alii Romanos, alii Palaestinenses, praecipue Hierosolymitanos, alii Christianos et in Palaestina et in Asia minori degentes. Christianis Iudaicis *in Macedonia* inprimisque *Thessalonicensibus*, hanc epistolam scriptam, eamque omnium epistolarum Paulinarum primam esse evincere studuit *Io. Aug. Noesseltus* in Dissert. *De tempore, quo scripta fuerit epistola Pauli ad Ebraeos, deque Ebraeis quibus scripserit etc.* Vid. eius opusc. fascic. I. p. 269. edit. 2. Qui volunt, Iudaeo-christianos *in Palaestina* intelligendos esse, ii inprimis urgent inscriptionem: *ad Hebraeos.* Nam *Hebraei*, inquiunt, ab *Hellenistis* semper distingui solent, ita quidem, ut *Hellenistae* sint Iudaei, qui graeca lingua utebantur, in graecis civitatibus vivebant, mores etiam graecos et instituta sequebantur; *Hebraei* autem sint Iudaei hebraice loquentes, in Palaestina viventes, non utentes moribus et institutis graecis. Quoniam igitur ii, quibus haec epist. scripta est, *Hebraei* vocantur, ergo Iudaeos in Palaestina viventes intelligendos esse censent. Sed hoc argumentum non est satis firmum. Constat enim inter omnes, inscriptiones epistolarum non ab ipsis earum auctoribus additas esse. An vero ii, qui addiderunt inscriptionem vim nominis Hebraeorum assecuti fuerint, valde dubium est. Deinde etiam *He-*

braei magis *a religione* dicti sunt, quam a gente, ut docuit *Carpzovius* in *Prolegominis* quae praefixa sunt eius *sacris exercitationibus in S. Pauli epistolam ad Hebraeos ex Philone Alexandrino.* Helmst. 1750. p. IV. sq. Ex *Storrii* sententia Hebraei, ad quos haec epistola scripta est, sunt Christiani Ex-Iudaei in *Galatia.* Putat nempe, Paulum uno eodemque tempore epistolam ad Galatas, et eam, quae ad Hebraeos dicitur, scripsisse; illam destinatam Christianis ex Paganis, hanc autem Christianis ex Iudaeis. Vid. *Pauli Brief an die Hebräer, erläutert von Gottl. Chr. Storr.* Tüb. 1789. Einleitung, §. 9. Argumenta, quibus sententiam suam confirmare studuit, examinavit et refutavit *Ziegler*, l. c. p. 117. sq. Verosimilior est eorum sententia, qui epistolam *omnibus Iudaeis, christianae civitati adscriptis, per omnes regiones dispersis* destinatam fuisse existimant, ita tamen, ut certae cuidam ecclesiae, unde in ceteras mitteretur, et quidem *Palaestinensi* tradita fuerit. Vid. *Heinrichsii* editionem huius epistolae *perpetua annotatione illustratam.* Goetting. 1792. 8. in Prolegom. p. 12. s. Sed quaestio non est magni momenti, modo illud teneatur, fuisse hanc epistolam destinatam Christianis, et quidem illis, qui antea fuerint Iudaei. Fuerunt nonnulli in ea opinione, scriptam esse ad Iudaeos, a Christi doctrina adhuc alienos. Falsum hoc esse, facile patebit cuivis legenti c. III, 1. 2. 6. 14. V, 12. — IV, 2. 10. X, 32. 33. 34. Ex *Iudaeis* autem, non ex Paganis fuisse hos Christianos, ex universa ratione, qua Auctor in tractando argumento proposito utitur, facile inselligi potest. Nemo enim hanc epistolam intelligere poterit, nisi omnem Iudaicam religionem, nominatim legem ri-

tualem accurate perspectam habeat. Haec scientia ab Iudaeis expectari poterat, non item a Paganis.

Quo tempore scripta sit haec epistola, dubium esse videtur. Ex ipso tamen argumento epistolae, vel, si mavis, libelli, satis apparet, stante adhuc templo scriptam esse; nam de sacrificiis et sacerdotibus Iudaicis ita perspicue et copiose loquitur auctor, quisquis ille fuerit, ut ii, quibus talia scripsit, non potuerint haec de Iudaico cultu tantum e scriptis aut narrationibus aliorum tenuisse, sed tanquam praesentia saepius vidisse. Incidit igitur tempus in Apostolorum aetatem.

Hebraice, vel *Syriace*, primum scriptam esse Epistolam, praeter nonnullos Veterum existimarunt *Iustinianus*, *Caietanus*, *Faber Stapulensis*, et alii, quam sententiam multis exornare studuit *Jo. Dav. Michaelis* in Prolegomenis Paraphrasi suae praemissis, refutatus a *Semlero* in dissert. philologicotheologica, *quod Paulus graece Epistolam ad Hebraeos exaraverit, probante.* Hal. 1761. Cf. etiam Storrius l. c. §. 12. s.

Occasio scribendi ad Hebraeos ex ipsa hac Epistola facile cognosci potest. Iudaei nempe omnibus modis id agebant, ut populares suos ad Christum conversos averterent a Christiana religione. Persecutionibus et minis addebant etiam argumenta, a praestantia religionis Iudaicae desumta: legem Mosis mediantibus Angelis datam esse; Mosen maiorem esse Iesu Nazareno, ignominioso supplicii genere interemto; cultum publicum a Mose, iubente Deo constitutum, esse splendi-

dum, Deoque dignum; Christianis contra nullum esse Sacerdotium, templum nullum, nullas aras et victimas etc. Contra hos igitur Auctor ostendit, Iesum Nazarenum longe superiorem esse angelis, Mose, Pontifice Maximo V. T., omnibusque reliquis sacerdotibus; ex eius morte et cruciatibus pro nobis perpessis, multo maiora et diuturniora bona ad nos redundare, quam ad Iudaeos ex cultu Levitico etc. Ex his aliisque argumentis probat, Christianam religionem esse multo praestantiorem, perfectioremque illa vetere Iudaica, et adhortatur Christianos ad constantiam in religione, et omnium virtutum indefessum studium. In toto hoc argumento tractando auctor se accommodat ingenio eorum, qui a Iudaica ad Christianam religionem transierant, eosque a primis elementis religionis ad altiora ducit. Distinguenda sunt igitur argumenta, quibus auctor huius epistolae utitur ab ipsis veritatibus, quas proponit. Bene *Clericus* ad *Hammond.* ad Hebr. IX. 16. de auctore huius epistolae: „Capita omnia doctrinae christianae, quae persequitur, verissima sunt et possunt ἀποδεικτικῶς ex reliqua scriptura probari, sed ratio, qua illa illustrat, plane est similis consuetudini illorum temporum, ut ex Philone intelligere licet, in quo sunt passim eiusmodi accommodationes locorum S. S. ratiocinationesque inde deductae, in quibus nulla Grammaticae ratio habetur, nec aliud spectatur, nisi ut res ipsa, quae iis illustratur, sit vera. Is mos erat illius aetatis, quem non magis mirari debemus, quam nostras ipsorum consuetudines hodiernas.“ Cf. etiam *S. F. N. Mori* praefationem editioni secundae et tertiae versionis Germanicae huius epistolae praemissam.

CAP. I.

Christus, auctor religionis nostrae, maior est omnibus Prophetis, maior etiam angelis, ergo doctrinae eius atque praeceptis attendere debemus. Cap. I — II, 1 — 4.

1. Πολυμερῶς — προφήταις) *Quum Deus olim variis modis instituisset maiores nostros per Prophetas.* Πολυμερῶς, in Glossario: *plurifariam;* proprie: *per partes multas.* Πολυτρόπως, per *multos modos*, est Synonymum, idem exprimens quod πολυμερῶς, nec est argutandum in his vocabulis, quasi πολυμερῶς ad multas partes vaticiniorum, vel varia tempora, quibus Deus voluntatem suam revelaverit, πολυτρόπως autem ad diversum modum revelandi, e. g. per visa diurna aut nocturna etc. sit referendum. Nec tamen negari potest, Deum *variis temporibus*, e. g. per Abrahamum, Mosen, Davidem et *Prophetas*, i. e. doctores extraordinarios alios edocuisse Israeliticam gentem. Fuerunt etiam *varii* revelationis divinae *modi*, quorum quinque nonnulli numerant, nempe in *visione*, in *somnio*, in *aenigmate*, quum aliud apparet, aliud innuitur, in *figura*, quum rerum imagines apparent, ac denique *allocutione divina.* Λαλεῖν, *docere, instituere*, ut saepe iam habuimus. Οἱ πατέρες h. l. sunt *maiores* Hebraeorum. Significatur, lectoribus gente Iudaeis hanc scribi epistolam. Ἐν τ. προφ. *per Prophetas*, i. e. doctores singularibus dotibus a Deo instructos et exornatos.

2. Ἐπ' ἐσχάτου—ἐν τῷ υἱῷ) *Tandem nunc instituit nos per Filium.* Is igitur legatus est eiusdem Dei, cuius interpretes erant antiqui vates, sed multo est praestantior. Pro ἐπ' ἐσχάτων omnino legendum est ἐπ' ἐσχάτου, sc. μέρους. Hebraice בְּאַחֲרִית הַיָּמִים quod LXX. plerumque vertunt ἐπ' ἐσχάτου τ. ἡμ. e. g. Ierem. XXIII, 20. *posthac, posterioribus temporibus.* Iudaei per tempora posteriora κατ' ἐξοχήν intelligunt tempora Messiae. Ἐλάλησεν ἡμῖν (ὁ θεὸς) ἐν υἱῷ, *edocuit nos Deus per filium.* ἡμῖν oppositum est illi: τοῖς πατράσιν, ac id quidem dictum praecipue de Iudaeis eius aevi, e quorum numero auctor fuit cum lectoribus. Verba ἐν υἱῷ uno tenore legenda sunt cum sequentibus: ὃν ἔθηκε κληρονόμον etc. Non per quemvis filium, v. g. angelum vel hominem Deo inprimis carum, sed per eum, quem constituit Dominum etc., qui proinde est filius Dei sensu eminentissimo. Hic ergo est audiendus; huic praestanda est fides et obedientia. Haec totius epistolae est summa. ὃν ἔθηκε—ἐποίησεν) *Quem constituit Dominum omnium rerum, per quem etiam mundum creaverat.* Κληρονόμος, h. l. est *Dominus, possessor.* Dicitur autem Christus possessor vel dominus omnium rerum, inprimis generis humani dominus, quia conservat et gubernat mundum. Ps. LXXXII, 8. Τιθέναι, שׂוּם, ποιεῖν, *facere, constituere.* Sic etiam Profani. Aelianus H. V, 13. 6. ὁ οἶνος τὰς γυναῖκας τεκνοποιοὺς τίθησιν, *vinum mulieres ad pariendum foecundas reddit.* Δι' οὗ, *per quem.* Grotius δι' οὗ idem esse ait ac δι' ὃν, *propter quem*, et auctorem epistolae putat respexisse ad dictum vetus Hebraeorum: propter

Messiam conditum esse mundum. Sed δι' οὗ est i. q. ἐν ᾧ, dicturque de causa efficiente. Αἰὼν, primo *longum tempus*, postea *aeternitatem*, apud Scriptores N. T. vero κόσμου, *mundum*, significat, ex Hebraismo, ubi עוֹלָם et עוֹלָמִים de mundo accipitur, quia mundus post tot generationes hominum perpetuo durat. Alii per τοὺς αἰῶνας intelligunt temporum periodos, ut sensus sit: Deum eo, quod Iesum constituit Dominum, periodos Oeconomiae Mosaicae a Periodo Messiae separasse, i. e. ipsum filium veluti terminum constituisse insignem temporum computationis. Vid. *Stolzii Erläuterungen zum N. T. Sechstes Heft.* Sed optime locus noster illustrari posse videtur e loco plane simili Io. I, 3., ubi per τὸν λόγον omnia facta esse dicuntur. Cf. ad istum locum a nobis notata, cum similibus *Philonis* locis ibi citatis.

3. Ὃς ὢν τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ) *Qui quum imaginem eius*, (sc. Dei) *omnibus numeris absolutam referat.* Ἀπαύγασμα proprie est ἡλίου φέγγος. Glossarium ἀκτῖνα exponit. Interdum vero est *exemplar plane expressum, viva et absoluta imago.* Philo de plant. Noë p. 221. C. τὸ δὲ ἁγίασμα οἷον ἁγίων ἀπαύγασμα, μίμημα ἀρχετύπου, *Sanctuarium, quasi coelorum exemplar, et character Archetypi;* nam τὰ ἅγια hic de coelo intelliguntur. Δόξα, כָּבוֹד, *maiestas divina*, quae est in excellentissimis attributis eius. Dicitur ergo Christus *exemplar et imago divinae maiestatis.* Quod statim additur Χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, sensu non differt. Nam χαρακτὴρ est ὁμοίωσις, ut Hesychius et Glossarium in-

terpretantur, quaelibet imago aut effigies, cudendo quasi et scalpendo expressa. Eunapius in Iamblicho *βίου χαρακτῆρα* vocat *veram totius vitae delineationem.* Sic hebraicum צֶיר *imago, forma* Ps. XLIX, 15. *Aquila* reddit *χαρακτῆρα.* Ὑπόστασις hic non sumitur, quomodo illud vocabulum Platonici, et, post Origenem, Christiani Platonici accepere, pro *essentia, substantia, persona,* sed *ὑπόστασις θεοῦ* est *Deus ipse.* Filius imago Patris omnibus numeris absoluta dicitur, quia ei est similis potentia, sapientia, bonitate etc., quia per filium intelligimus, qualis sit Pater. *Φέρων τε — τῇ δυνάμεως αὐτοῦ*) *Cuncta gubernans potentissima voluntate,* i. e. *vi sua,* sive per *ipsum.* *Φέρειν* נשׂא, *διοικεῖν, gubernare,* Num. XI, 14. Inde נשׂיא *princeps. Philo* in lib. de. nom. mut. p. 1084. C. *εἰ, πάντα Φέρων σπουδαῖα ὁ θεὸς, ἤνεγκε καὶ τοῦτο γένος, si, quum omnia bona conservet Deus, hoc etiam genus sustentat.* Ῥῆμα, דבר, *voluntas, mandatum,* Ps. XXXIII, 6. Hebr. XI, 3. *Δυνάμεως* pro adiectivo: *potentissima voluntate,* i. e. *vi sua. δι' ἑαυτοῦ — τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν*) *Quum ipse* (in propria sua persona) *peccata nostra expiasset,* puros nos fecisset a poenis peccatorum et ab eorum imperio. *Δι' ἑαυτοῦ, ipse, per se ipsum,* non per sanguinem hircorum et vitulorum, ut Sacerdotes V. T. *Ποιεῖν καθαρισμὸν, purificare,* ut *ποιεῖν λύτρωσιν, redimere,* Luc. I, 68. *ἐκάθισεν — ἐν ὑψηλοῖς*) *Regnat cum Deo in coelo supremo.* Ἐκάθισεν, sc. *ἑαυτὸν, sedere se fecit,* i. e. *ipse se collocavit, consedit.* Μεγαλωσύνη, גְּדֻלָּה, proprie est *magnificentia,* ut 2 Sam. VII, 23. Esth. VI, 3. *maiestas,* et abstracto

posito pro concreto, *qui est maiestate praeditus, Deus maximus, omnique venerationis cultu dignissimus.* Ἐν ὑψηλοῖς sc. μέρεσι, *in coelo supremo. Sedere ad dextram* nostris moribus est, *superiorem locum occupare;* ex orientis moribus, *unus e proceribus regni esse.* Nam rex medium in throno locum occupans, quem sibi honore secundum vellet, ad dextram collocavit, tertium locum assignavit ad sinistram. 1 Reg. II, 19. Matth. XX, 21. Quum igitur Christus Deo dexter sedere dicitur, sensus est, eum cum Deo regnare. Ps. CX, 1. 1 Cor. XV, 25.

4. Τοσούτῳ—ὄνομα) *Eo melior* (praestantior) *angelis, quo excellentiorem dignitatem prae iis accepit.* Κρείττων, i. e. πλείων, *dignior, potior.* Γενόμενος pro ὤν, ut Rom. III, 4. Ὄνομα, שֵׁם h. l. ut alibi, non est nomen, sed *dignitas.* Auctor enim in sequentibus non ex nomine *Filii*, quod Christo tribuitur, in se eius dignitatem comprobare vult (quae argumentatio nulla esset, quia et angeli et homines saepe Filii Dei in Sacris Litteris nominantur); sed ex *dignitate* Christi comprobat, eum infinitis modis maiorem esse Angelis. Iudaei nempe legi Mosaicae praecipuam aliquam vim auctoritatemque tribuebant, ob eam quoque caussam, quod Deus in promulgatione eius ministerio angelorum sit usus, cuius opinionis vestigia reperiuntur c. II, 2. huius epistolae, Act. VII, 53. et Gal. III, 19. Cf. notata ad ista loca. Atque hanc ob caussam Noster instituit comparationem Christi cum angelis. Ostendit nempe, Christum esse *Regem, Dominum* atque *creatorem* omnium rerum (quae est *dignitas* eius), Angelos autem esse *ministros* Dei. Con-

ferri meretur *Car. Chr. Tittmanni* diss. *de comparatione Christi cum angelis in epist. ad Hebr. c. I.* in opusculis theologicis. Lips. 1803. pag. 231. sq. Διαφορώτερον, κρείττον, ὑψηλότερον, ut in Glossario explicatur. Eunapius διαφερόντως habet pro *excellentissime, longe maxime.* Κεκληρονόμηκε, *accepit, sortitus est*, vel etiam *habet*, possidet; nam κληρονομεῖν saepe est *possidere.*

5. Τίνι γὰρ — γεγέννηκά σε) *Cuinam enim dixit: Tu meus es filius, nunc declaro me esse tuum patrem? Cuinam dixit?* i. e. nemini hoc dixit, nisi filio. De hoc loco Ps. II, 7. vide quae annotavimus ad Act. XIII, 33. Schol. *Doederlini* et filii mei *Ern. Fridr. Caroli*, et alios interpretes ad locum Psalmi. De vaticiniis eorumque impletione dignus est, qui legatur *Io. Tobler* in libello, qui inscribitur: *Gedanken und Antworten zur Ehre Jesu Christi und seines Reichs* p. 183. sqq. *Tittmannus* l. c. totum Psalmum de Messia intelligendum atque explicandum esse censet. Fac autem Psalmum II. et alia loca non Messiam solum, sed et Davidem et alios homines magnos V. T. describere; nihil dignitati et veritati vaticiniorum detrahitur. Omnes enim Hebraei fatebantur, quicquid praeclarum et magnum de piis hominibus et Regibus Israelitarum dictum esset Libris V. T., id sensu multo eminentiore pertinere ad Messiam, a Prophetis varie praefiguratum. Sic omnes Hebraei fatebantur, Psalmum secundum, quanquam in Davide aliquo modo impletum, sensu tamen arcano et sublimiore ad ipsum Messiam pertinere, qui supra omnes Filius Dei dicendus sit, a Deo genitus, i. e. ad imperium evectus, non in homines tantum,

sed et in angelos, ut agnoscit *Abarbanel*. Alexandrinorum haec fuit interpretandi methodus; nam esse putabant in Scripturae locis praeter sensum litteralem etiam spiritualem, seu mysticum et typicum. Hoc semel monuisse sufficiat; nam varias doctorum hominum sententias de modo argumentandi, quo Auctor hic et alibi utitur, repetere, huius loci non est. καὶ πάλιν—εἰς υἱὸν) Πάλιν, i. e. *alio loco*, ut Matth. IV, 7. Rom. XV, 10. *Ego illi ero vere pater, et ille erit mihi vere filius.* Nam particula ל in hoc loco non similitudinem notat, sed rei veritatem; quemadmodum: *fuit ei in uxorem*, i. e. uxor revera. Verba nostra desumta sunt ex 2 Sam. VII, 14., ubi non tantum de Salomone, sed et de aliis regibus ex stirpe Davidica, quorum maximus est Messias, agitur. Promittitur nempe Davidi regnum aeternum. Salomonis autem regnum non duravit in aeternum; quapropter ipsi Iudaei hunc locum de Messia interpretati sunt. Igitur non est mirum, Apostolos in disputationibus cum Iudaeis eorum consuetudinem et morem esse secutos. Ceterum vocantur quidem alii etiam *filii Dei*, (e. c. 2 Cor. VI, 18.) sed non eo sensu, quo Christus. Is enim eo sensu et effectu dicitur filius Dei, quod sit Rex et dominus universi generis humani (vid. Ps. LXXXIX, 28. et cf. *Knappii* vers. teuton. Psalmor. ad Ps. II, 7. not. i.). *Angeli* autem et *homines* dicuntur filii Dei, quia sunt creaturae Dei nobiliores, et ab eo prae aliis diliguntur.

6. Ὅταν δὲ πάλιν—τὴν οἰκουμένην) *Et alio loco, ubi filium suum optimum maximumque orbis incolis commendat*, vel: adventum eius nunciat. Est hic

transpositio; recta enim constructio esset: πάλιν δὲ, ὅταν εἰσαγάγῃ etc. Potest tamen πάλιν h. l. significare *contra, e contrario.* Ita legitur apud *Theophr.* Char. I, 4. ubi vid. *Casuabonus.* Εἰσάγειν *introducere, sistere,* interdum, ut h. l. est, *commendandi caussa ostendere, commendare. Philo* de Agricult. p. 193. C. ὁ νομοθέτης τοὺς σοφοὺς—ἄρχοντας—ὡς ἂν ποίμνης εἰσάγει τῶν ἀνθρώπων ἁπάντων, *Legislator sapientes, praefectos tanquam gregis inducit omnium hominum.* Πρωτότοκος h. l. est *Messias,* filius Dei maximus, Deoque omnium dilectissimus, Rom. VIII, 29. Ita autem nominatur ob locum Ps. LXXXIX, 28., ubi *primogenitus Dei* est celsissimus inter reges terrae. Οἰκουμένη, sc. γῆ, תֵּבֵל, *orbis habitatus,* et per meton. *orbis incolae.* καὶ προσκυνησάτωσαν — ἄγγελοι θεοῦ) Sunt, qui existiment, intendi locum Deuteron. XXXII, 43. ubi LXX. post verba εὐφράνθητε οὐρανοὶ ἅμα αὐτῷ, aut ex suo ingenio, aut ex Psalmo mox citando, adiecerant καὶ προσκυνησάτωσαν αὐτῷ π. ἄ. Θ. Sed haud dubie verba, quae Auctor hic adducit, ex Ps. XCVII, 7. graecae tamen translationis desumta sunt, quae habent: προσκυνήσατε αὐτῷ πάντες ἄγγελοι αὐτοῦ. Nec male; nam angeli etiam dicuntur אלהים, propter praestantiam. Ceterum Psalmus XCVII. potest quidem intelligi de Deo Patre; quum autem Deus filio suo tradiderit imperium orbis terrarum, recte de filio rege dicuntur, quae Deo Patri tribuuntur, idque hoc loco eo magis, quia Psalmus hic totus de idolorum abolitione, simulque veri cultus divini introductione et propagatione inter omnes gentes, agit. Huic vero melioris religionis auctorem esse Christum, nemo dubitat. Psalmos omnes a XCIII. ad CI.

in se continere mysterium Messiae, dixit *David Kimchi*. Ceterum recte Noster argumentatur: Si angeli Regem illum maximum adorare debent, ergo sunt illo inferiores.

7. Καὶ πρὸς—λέγει) *Propterea, quod quidem ad angelos attinet, de iis dicit* sc. *scriptura*, Ps. CIV, 4. Sic πρὸς μὲν τοὺς ῥήτορας, πρὸς μὲν τοὺς φιλοσόφους. Potest etiam πρὸς verti *de*, ut infra IV, 13. πρὸς ὃν ὑμῖν ὁ λόγος. Λέγει, sc. ἡ γραφὴ more Iudaicorum Doctorum, qui saepe, citantes Scripturam, utuntur verbo נֹאמַר אֹמֵר. ὁ ποιῶν—πυρὸς φλόγα) *Ventis utitur tanquam nunciis, et fulmine tanquam ministris.* Πνεύματα h. l. sunt venti, πυρὸς φλόξ est *fulmen*. Verba sunt Psalmi CIV, 4. Nihil magnum, inquit, est in nomine angelorum et ministrorum, quum ea nomina scriptura det etiam vento et flammae. Nam omnes creaturae, quibus Deus extra ordinem utitur, eo nomine veniunt. Alii vertunt: *Angelis suis utitur quemadmodum ventis, ministris suis sicut fulguribus*, (ut bis ὡς omissum sit;) h. e. sicut ventis et fulguribus tanquam instrumentis sui imperii, ita quoque angelis utitur. Sed in Psalmis de angelis non est sermo.

8. Πρὸς δὲ τὸν υἱὸν) Sc. λέγει ἡ γραφὴ, s. λέγεται ἐν βίβλῳ ψαλμῶν, nempe Ps. XLV, 7. 8. quem locum de Messia interpretatur Paraphrastes Chaldaeus, et Rabbini multi. Coniunctio δὲ hic ἀλλὰ notat, *enim vero, contra.* ὁ θρόνος—τοῦ αἰῶνος) *Thronus tuus, o Deus, est aeternus*, semper manebit, ut ὁ Θεὸς sit pro Vocativo. Alii post ὁ θεὸς supplent ἐστι, et construunt: ὁ θεός ἐστιν ὁ θρόνος σου εἰς τὸν αἰῶνα τοῦ αἰῶ-

νος, *Deus est thronus tuus*, i. e. *Deus thronum tuum* (imperium *tuum*) *firmabit in perpetuum. Thronus* nempe per metonymiam saepe ponitur pro imperio, et per novam metonymiam *Deus* dicitur *thronus*, quod sit huius imperii auctor et stator. Sic divinus vates saepe Deum appellat *petram, munimentum, gaudium suum*, i. e. auctorem suae securitatis et laetitiae. ῥάβδος — τῆς βασιλείας σου) Hic iterum ἡ ῥάβδος τῆς βασιλείας σου est subiectum. *Regimen tuum est iustum, rectum*, tu iuste et secundum leges imperas. Causa inest, cur eius imperium aeternum futurum sit. Ῥάβδος, שֵׁבֶט, est Symbolum regiminis. Εὐθύτης, *rectitudo*, pro adiectivo εὐθεῖα.

9. Ἠγάπησας — ἀνομίαν) *Amas caussam bonam*, i. e. eum qui caussam bonam habet, *et abhorres a caussa mala*, ab eo, qui malam habet caussam. Ἠγάπησας, hebr. אָהַבְתָּ pro Praesenti. Δικαιοσύνη, *caussa bona*, et ἀνομία *caussa mala*; quemadmodum צדיק et רשע de eo, qui caussam bonam vel malam habet, Exod. II, 13. XIII, 7. Num. XXXV, 31. διὰ τοῦτο — μετόχους σου) *Hinc Deus, Deus* inquam *tuus, oleo laetitiae te largius perfudit quam socios tuos*, i. e. *te, Regem, maiore felicitate ac maiestate affecit, quam socios tuos, reges alios terrestres et dignitate longe inferiores.* Ἔλαιον ἀγαλλιάσεως, *oleum laetificum vel exhilarans.* Hebraei in conviviis et festis diebus unxerunt se oleo, ad significandam laetitiam. Solebat etiam inauguratio Regum fieri unctione. Sensus igitur huius loci esse videtur: Deus te inauguravit Regem multo feliciorem aliis Regibus.

Christus nempe est rex regum, dominus dominorum. Accusativus ἔλαιον more Graeco positus est eo sensu, quo Latini Ablativum usurpant. Οἱ μέτοχοι, Socii, h. l. videntur esse Reges coaevi et terrestres, Messia longe inferiores. Varias interpretum sententias de consilio et occasione, qua iste Psalmus sit compositus recensuit filius meus *Ern. Frid. Carolus*, in Scholiis.

10. Καὶ—οἱ οὐρανοί) Ex Ps. CII, 26—28. Totum hunc locum sumsit auctor ex versione interpretum Alexandrinorum. Comparationem cum textu hebraico vid. ap. *Tittmannum* l. c. p. 243. s. Hunc Psalmum in se non agere de Messia, quilibet facile perspicere potest. Nec Noster hoc dicit. Quia autem Filius Dei, de quo hic sermo, mundum creavit, ut supra Vs. 2. dixerat, ideo omnino etiam de eo valet, quod loco cit. de Deo, creatore dicitur. *Tu olim, Iehova, orbem fabricasti, et coeli sunt opus potentiae tuae.* Κατ' ἀρχάς, לפנים, בראשית Gen. I, 1. Θεμελιοῦν, *fundare, aedificare, parare*, similitudine sumta ab aedificiis. *Manus* Dei esse eius potentiam, sapientiam ac bonitatem omnibus notum.

11. Αὐτοὶ—παλαιωθήσονται) Ἀπολοῦνται, יאבדו *peribunt.* Διαμένεις, Vulg. *permanebis*, διαμενεῖς, quam lectionem nonnulli praeferunt. Tu permanebis, etiamsi illa interierint omnia. Αὐτοὶ et πάντες non tantum ad οὐρανούς, sed etiam ad τὴν γῆν, et τὰ ἔργα τῶν χειρῶν referuntur. Comparatio mundi cum veste *Philoni* non est inusitata. In Lib. de profug. p. 466. C. Deum ait *vestibus* amictum esse, quae sint terra, aër, ignis, aqua, et universus mundus. Παλαιωθή-

σονται, *veterascent*, tanquam vestes diuturno usu attritae. *Coelorum* nomine hic intelligi debet, non suprema illa regio, sedes divinae maiestatis et angelorum, sed aër et aether quae terram velut vestiunt. Vestes, ante quam pereant, veterascunt. Sic et aëris et aetheris vires minuentur. Mundum hunc interiturum esse, crediderunt prisci Hebraei, ut patet ex Ies. LI, 6. Iob. XIV, 12. et vetus haec est opinio, inter plures antiquitatis populos recepta. Vid. *Grotius de verit. relig. christ.* L. I. §. XXII. p. 115. sq. Ien. 1726. et eiusd. annotatt. ad 2 Petr. III, 7.

12. Καὶ ὡσεὶ — ἀλλαγήσονται) *Tanquam amictum complicabis eos, et permutabuntur* (novis), antiquis coelis novi substituentur. Περιβόλαιον, לבוש, *amictus, pallium, vestis exterior.* Εἱλίσσειν, seu ἑλίσσειν, *volvere, complicare.* Vestes, ubi usui amplius non sunt, solent complicari et abiici. Sic et aër et aether auferentur. Alii praeferunt lectionem ἀλλάξεις, quam duo Codices et versiones nonnullae exhibent; sed sine idoneis rationibus. Καὶ ἀλλαγήσονται, *permutabuntur*, aliis nempe, novis coelis, hebr. ויחלפו. Antiquis coelis novi substituentur, 2 Petr. III, 13. σὺ δὲ — ἐκλείψουσι) *Tu autem semper idem es, nec unquam esse desines.* Cf. Ps. CII, 25 — 27. coll. Ies. XXXIV, 4. LI, 6. Σὺ ὁ αὐτὸς εἶ, *semper es ille ipse*, nunquam aliam formam ac vestitum induis. Sic Deut. XXXII, 39. *Videte, quod ego sim* הוא *ille ipse. Philo* de *Sole* eum nunquam ἀλάσσειν sed permanere αὐτὸν, ait in lib. de profug. p. 458. E. More humano Deo tribuuntur *anni*, sed omnis imper-

fectio removetur, dum additur, annos eius non desituros, i. e. eum in aeternum duraturum.

13. Πρὸς τίνα — τῶν ποδῶν σου) *Cuinam angelorum unquam dixit: imperes mecum, donec hostes omnes tibi subiecero?* Deus non fecit angelum aliquem regem. Angeli sunt potius ministri. Locus extat Ps. CX. Κάθου ἐκ δεξιῶν μου, *Sede a dextris meis.* Phrasis desumta a rege qui, quum filium suum in regni societatem admittit, eundem a dextra sedere iubet. Cf. 1 Cor. XV, 25., ubi nostra Phrasis per βασιλεύσιν explicatur. *Ex hostibus facere subsellium pedum* est, eos vincere, sibique subiicere; mos enim erat Regum Orientis victos calcare pedibus Ios. X, 24. Ps. XLVII, 14. Vid. infra not. ad c. X, 13. Cf. *Knappii* dissert. *de Iesu Christo ad dextram Dei sedente*, in *Scriptis varii argumenti* etc. Tom. I. Halae 1805. p. 41. sqq.

14. Οὐχὶ πάντες — σωτηρίαν) *Nonne potius sunt Spiritus, qui tanquam ministri Dei mittuntur ab eo, ad utilitatem eorum, quibus opem ferre decrevit.* Λειτουργικὰ πνεύματα, *Spiritus ministrantes*, sc. Deo. Λειτουργεῖν, de Sacerdotibus etiam Rom. XIII, 6. usurpatur. Σωτηρίαν κληρονομεῖν, *salutem consequi.* Σωτηρία autem h. l. non de salute aeterna intelligi debet, sed de auxilio in periculis et adversis. Κληρονομεῖν, *adipisci, consequi.* Hoc igitur vult Apostolus: Angeli ubique nominantur ministri; nuspiam legimus iis imperium concessum esse.

CAP. II.

1. Διὰ τοῦτο—παραῤῥυῶμεν) *Quapropter oportet nos eo magis animum intendere eis, quae percepimus,* (Evangelio nobis tradito,) *ne pereamus.* Διὰ τοῦτο, quum, ut iam ostendimus, maior sit etiam angelis ille nostrae doctrinae auctor. Περισσοτέρως, *eo magis, eo curiosius*, desto sorgfältiger. Eo sensu haec vox in Positivo occurrit apud *Philonem.* De Abrahamo p. 373. A. Καὶ ὅσα ἄλλα πέριττος νοῦς Φρονήσει συμβιῶν εἴωθε διερευνᾶσθαι, *et quicquid aliud curiosa mens cogitando solet quaerere.* Προσέχειν absolute dictum est pro προσέχειν τὸν νοῦν, s. διάνοιαν. Τοῖς ἀκουσθεῖσι, sc. ῥήμασι, *doctrinis* (nempe christianae religionis,) *quas percepimus.* Μὴ παραῤῥυῶμεν, proprie: *ne dilabamur*, q. d. ne dilabatur nobis et effluat illa salus, ne excidamus ea, ne deseramus doctrinam. Glossarium habet: μὴ ἐξωλισθήσωμεν, ἐκπέσωμεν. *Ne cadamus*, i. e. *ne pereamus* vertunt Syrus et Arabs: nec aliter hic sumserunt Chrysostomus et Graeci alii. Alii vertunt: *ne obliviscamur;* ne haec doctrina negligenter elabatur animis nostris. *Praeterfluere doctrinam*, esset negligere doctrinam. Vid. *Io. Bened. Carpzovium* super h. l. Nostram interpretationem confirmant sequentia.

2. Εἰ γὰρ—βέβαιος) *Quum enim lex Mosis, Angelorum ministerio promulgata, firmitatem et valorem acceperit*, ut nemini eam violare impune licuerit. Ὁ λόγος hic est lex Mosaica, ut ipsa series orationis

ostendit. Quod attinet verba δι' ἀγγέλων λαληθείς, vide quae ad Act. VII, 53. et Gal. III, 19. annotavimus. Βέβαιος ἐγένετο, *valorem accepit*, firma rataque facta est, ita ut nemo impune eam transgredi posset. καὶ πᾶσα—μισθαποδοσίαν) *Ita ut quaelibet transgressio voluntaria iustam poenam acceperit.* Παράβασις, פֶּשַׁע, et παρακοή, מְרִי, dicuntur de illis peccatis, quae apertum legis contemtum secum ferunt, quorum ultorem se Deus profitetur, Deut. XXXII, 35. Μισθὸς et μισθαποδοσία saepius *virtutis mercedem*, hoc loco autem *poenam neglecti obsequii* significant, quo sensu etiam apud Herodotum et Thucydidem occurrere, ostendit *Blackwall* Crit. N. T.

3. Πῶς ἡμεῖς—σωτηρίας;) *Quomodo nos evademus poenam, si negligamus tam salutarem doctrinam, (institutionem, quae nobis viam ad tantam felicitatem ostendit?)* Πῶς ἡμεῖς ἐκφευξόμεθα, sc. τὴν ἔνδικον μισθαποδοσίαν. Πῶς, *qui fieri potest, ut*, quam multo minus nos etc. Τηλικαύτης σωτηρίας, i. e. λόγου σωτηρίας τηλικαύτης. Nam λόγου subaudiendum esse, ex sequentibus satis patet. Nempe doctrina Evangelii monstrat nobis viam ad aeternam salutem, quum lex tantum salutem brevem et terrenam obtulerit. ἥτις ἀρχὴν—ἐβεβαιώθη) *Quae initio a Domino ipso promulgata, ab iis, qui audiverant, ad nos pervenit.* Ἀρχὴν λαβεῖν, Polybio frequens, sed nec Philoni inusitatum. Sic Lib. I. de vit. Mosis p. 614. E. dicitur: ἀρχὴν λαβὼν τοῦ γενέσθαι ἐν Αἰγύπτῳ. Λαλεῖσθαι, pro τοῦ λαλεῖσθαι. Εἰς ἡμᾶς, i. e. ἡμῖν, ut εἰς ὑμᾶς 1 Petr. I, 25. Βεβαιῶσαι saepe quidem est *confirmare;* sed h. l. saltem videtur

esse *pervenire*, quia de confirmatione huius doctrinae demum commate sequenti exponitur. Βεβαιόω, forsitan a βαίνειν, quod est *ire, venire,* vim *confirmandi* accipit, quia *eundo* fama crescit, et ita confirmatur. Paulus si est huius epistolae auctor, hic, ut solet, communicative loquitur, quum dicit: *nos* accepimus doctrinam ab iis, qui eam a Domino audiverunt. Intelligit Hebraeos, ad quos scribit. Hi enim iam ab aliis Apostolis et LXX. discipulis, qui αὐτόπται et ἀκούσαντες testes erant, doctrinam acceperant; quorum in numero Paulus non fuit, post ascensionem Iesu Christi vocatus. Sic omnis tollitur difficultas, quam alii in hoc loco vident, quo Paulum Epistolae huius Auctorem negari arbitrantur.

4. Συνεπιμαρτυροῦντος—θέλησιν) *Cuius praeterea veritatem Deus confirmavit variis miraculorum generibus, et distributis donis Spiritus S. pro suo favore.* Vocabulum συνεπιμαρτυρεῖν Philo etiam habet, de vit. Mos. p. 671. E., ubi de allegorica significatione sacrarum vestium Pontificis Maximi loquitur: συνεπιμαρτυρεῖ δὲ καὶ ἡ χρόα, *confirmat et color.* Aristoteles quoque de mundo: συνεπιμαρτυρεῖ ὁ βίος ἅπας, *confirmat et omnis vita.* Σημεῖα καὶ τέρατα καὶ δυνάμεις coniunguntur, ut indicetur magnitudo et varietas miraculorum, ut Act. II, 22. Μερίζειν, *distribuere,* de donis spiritualibus dicitur Rom. XII, 3. 1 Cor. VII, 17., quia non omnibus omnia dabat Deus, sed quae, et quantum, et quibus vellet, Eph. IV, 7. Θέλησις, חֵפֶץ, *benignus Dei favor.* Κατὰ τὴν αὐτοῦ θέλησιν, *prout ipsi visum est.* Argumentatio Vs. 2. 3. 4. talis est: Si lex Mosaica ne-

glecta poenas attulit, etiam Christi doctrina neglecta poenas afferet.

5. Οὐ γὰρ — λαλοῦμεν) *Noluit autem Deus angelis tradere imperium in nova hac constitutione.* Redit Apostolus ad materiam, quam antea tractaverat, et cohaeret hoc comma cum c. I, 14. Affert caussas cur Angelis non fuerit concessum imperium in humanum genus. Est nempe in se iam hominis dignitas non multo inferior Angelorum conditione. Τὴν οἰκουμένην τὴν μέλλουσαν intellige tempora N. T. novam constitutionem in regno Messiae. Nam Hebraeis עוֹלָם הַבָּא, *futurus mundus*, ἡ οἰκουμένη ἡ μέλλουσα, est tempus Messiae, regnum Messiae. Rerum omnium universitatem intelligit *Storrius* ad h. l. not. c.) et d.), ne angelis quidem exceptis not. m.). Sed hanc significationem h. l. nec verba Psalmi Vs. 6. citata, nec consilium Apostoli admittere videntur. Davides enim describit imperium hominis *in hunc orbem terrarum;* Auctor huius Ep. autem Psalmi locum transfert ad Iesum, quatenus is est *Messias*, cuius regnum continetur administratione salutis humanae per doctrinam et effectiones fructuosas cum usu huius doctrinae coniunctas, non autem in totius universi regimine. Christus enim superior est quidem angelis omnibusque creaturis dignitate; sed hoc non pertinet ad administrationem regni sui, quod totum est morale, et salutem hominum, non angelorum respicit. Infra Vs. 16.

6. Διεμαρτύρατο—λέγων) *Testatur potius ille ipse divinus vates,* qui praedixit ea, quae legimus Ps. XLVII. Haec allegandi sacrum Codicem et alios scri-

ptores formula saepe occurrit apud *Philonem*. De plant. Noë, p. 226. E. *εἶπε γάρ που*. In aliis locis p. 4. E. *εἶπε γάρ τις*, sc. *Plato* in Timaeo. Pag. 719. D. *ὡς ἔφη τις*, sc. *Heraclitus*. Neque vero Philo, licet vage dicat *τις*, ignorasse auctores censendus est, qui ne recentiorum quidem industriae effugerunt. Sed ita solent Iudaici scriptores Sacram inprimis Scripturam citare: de qua illorum allegandi formula *Oecumenius*, ad hunc ipsum locum epistolae, *ὡς εἰδότας*, ait, *τὰς γραφὰς, διαλεγόμενος οὐ τίθητιν τῶν λεγόντων τὰ ὀνόματα*. Desumta esse sequentia verba ex Ps. VIII, 5. 6. 7. omnibus notum. Describitur autem in eo carmine dignitas hominis, quem Deus terrarum orbis Dominum constituit. *τί ἐστιν — ἐπισκέπτῃ αὐτὸν*) *Quid est homo, quod eius recordaris? quid est homine natus* (mortalis), *quod eius curam peculiarem geris?* Quid est homo, nempe cum Deo comparatus. Verba זָכַר et פָּקַד significant: *peculiarem alicuius curam gerere*. *Υἱὸς ἀνθρώπου*, בֶּן־אָדָם, *mortalis*. Non statim apparet, quomodo hoc, et quod sequitur, cum praecedentibus cohaereat. Videtur autem Scriptor occurrere obiectioni eorum, qui dicere poterant, angelos tamen longe superiores esse hominibus; Christum autem hominem fuisse, ergo inferiorem angelis. His respondetur, hominem in se non multo inferiorem esse angelis; Christum vero omnes reliquos homines dignitate superare longissime, nec aerumnas, quas passus est ei esse dedecori, sed potius honori. Homo hic non describitur ut humilis, sed ut excellens, quoniam ei imperium totius orbis concessum est, ut contextus Psalmi docet.

7. Ἠλάττωσας — ἀγγέλους) *Inferiore quidem angelis loco constituisti eum per breve tempus*, vel: *non multum inferiore loco angelis eum constituisti.* Utrumque enim sensum verba admittunt. Si per βραχύ τι temporis indicatur deminutio, διάστημα vel χρόνος elliptice subauditur, ut expresse in L. III. leg. Allegor. p. 37. E. πρὸς βραχὺν χρόνον. De vita contempl. p. 894. D. βραχύ τι μέρος νυκτὸς. Sed βραχύ τι opponitur etiam τῷ πολλῷ et μεγάλῳ ut βραχύτατα ζῶα τοῖς μεγίστοις, p. 502. B. Chaldaeus βραχύ τι exprimit per קליל, *paullulum.* Haec explicatio praeferenda videtur. Olim enim erimus ἰσάγγελοι, *angelis aequales.* Παρ' ἀγγέλους, hebr. מאלהים. Sed vocabulum אלהים interdum etiam *Angelos* notat, quemadmodum interpretes graeci hic et in aliis locis sumserunt. δόξῃ — αὐτὸν) *Maiestate et honore ornasti eum.* Δόξα, כָּבוֹד, maiestas. Τιμὴ הָדָר, *honor, dignitas.* Στεφανόειν, proprie *palmam alicui tribuere*, aut *victorem declarare;* deinde *ornare* significat, sive id corona fiat in ludis, sive aliis quibuscunque rebus.

8. Πάντα — ποδῶν αὐτοῦ) *Omnia ipsius potestati subiecisti,* atque arbitrio reliquisti, rebus utendi. Πάντα, nempe omnes creaturas in orbe terrarum, e. g. πρόβατα καὶ βόας, ut in Psalmo legimus. Illustrat Gen. I, 26. 27. Ex dominio in res creatas patescit hominis dignitas. ἐν γὰρ — ἀνυπότακτον) *Nihil excepit*, nempe rerum creatarum, in his terris. Non de Deo, sed de auctore Psalmi dicitur, eum nihil excepisse. De poëtis saepe dicitur, eos fecisse, quod de aliis praedicant. Sic *Horatius* Satyr. I. *Poëta iugulat Memno-*

nem, i. e. canit, eum iugulatum esse. Philo in Lib. de opif. mund. p. 19. B. de beneficiis locutus, quibus homo a Deo mactus est, omnia omnino addit ei subiecta esse, exceptis coelestibus, quae diviniorem sortita partem essent. *νῦν δὲ — ὑποτεταγμένα*) Sensus est, illa verba Psalmi in nullo hominum plenum effectum habuisse. Nam utimur quidem rebus creatis, sed non omnia nobis subiecta sunt. Utimur e. c. pecoribus, verum saepe etiam a pecoribus violamur. Nunc autem ostendit Noster Vs. 9. sqq. id, quod de nullo homine stricte dici possit, id de Christo solo dici strictissimo sensu posse. Ergo locus Psalmi, qui litteraliter de homine agit, nunc ad Iesum transfertur. Summa rei est: Deus non angelum quendam, sed hominem facere voluit Dominum. Sed non nisi unus homo est, qui verissime et strictissime dominus *omnium* dici possit.

9. *Τὸν δὲ — θανάτου*) Constructio videtur esse talis: *Ἰησοῦν δὲ βλέπομεν διὰ τὸ πάθημα τοῦ θανάτου δόξῃ καὶ τιμῇ ἐστεφανωμένον, τὸν βραχύ τι παρ' ἀγγέλους ἠλαττωμένον, ὅπως χάριτι* etc. *Iesum autem videmus* (scimus) *propter perpessionem supplicii maiestate et honore esse ornatum*, Iesum inquam, *qui per breve tempus inferior factus est Angelis, ut ex benigno Dei decreto, mortem pro omnibus gustaret.* *Βλέπομεν*, i. e. *certo cognoscimus*, Iesum esse dominum omnium rerum, nempe ex regni effectibus, quos ipse Christus praedixerat, missione Spiritus sancti, vocatione gentium, rebusque aliis. Maiestate et honore ornatus est Iesus longe maiore, quam qui in alios homines cadit; nam superior est creaturis omnibus, et coelestibus et terrestribus. *Διὰ τὸ* non consecutionem solam

significat, sed plus aliquid, i. e. dignum fuisse Iesum, qui in tantum eveheretur, eo quod se deprimi passus esset ad mortem usque ignominiosam. Cf. Philipp. II, 8. 9. χάριτι θεοῦ, *beneficio*, i. e. ex benigno Dei consilio. Lectio χωρὶς minus probanda videtur; nec inest ei sensus. Omnes sane explicationes durissimae sunt, et multo studio quaesitae. Praefero igitur cum aliis lectionem χάριτι θεοῦ, *beneficio Dei*. Ceterum utraque lectio est antiqua. Vide *Griesbachium* ad h. l. in primis *H. Ph. Conr. Henke: codicis Uffenbachiani, qui epistolae ad Hebraeos fragmenta continet, recensus*, etc. Progr. repetitum in Sylloge commentatt. theologicar. edita a *Pott et Ruperti* Vol. II. 1801. Γεύεσθαι θανάτου, *gustare mortem*, i. e. *mori*, sine emphasi, Matth. XVI, 28. Marc. IX, 1., hebr. טעם המות. Ὑπὲρ παντὸς pro ὑπὲρ πάντων, sc. ἀνθρώπων. Ostendit Apostolus contra Iudaeos, mortis supplicium, quod Christus sustinuit, dignitati eius adeo nihil detrahere, ut potius maximo ipsi sit honori. Varias difficillimi huius loci interpretationes recensuit *G. I. Dindorf* in additamentis ad *I. A. Ernesti Lectiones Academicas in epist. ad Hebr.* etc. 1795. 8. omnino hic conferendus. Non repugno, si quis eum cum aliis malit vertere: *Sed eum qui, dum mortem pateretur, paullulum infra angelos* (olim) *esset depressus, Iesum, videmus gloria ac dignitate ornatum, eo consilio*, (s. effectu,) ut omnibus pateret, eum mortem subiisse e *benigno Dei consilio*.

10. *Etenim par erat, ut is, per quem et in cuius gloriam omnia sunt* (Deus), *eum, qui multos filios* (homines) *ad felicitatem perducere debuit, auctorem salutis eorum, vexationibus probatum ad*

summam dignitatis fastigium eveheret. Ratio redditur, cur Iesus per supplicium mortis ad breve tempus (paullulum) tenuior fuerit angelis, quia hoc maxime consentaneum fuisset consilio Dei, quod per Christum assequi voluisset, h. e. homines beare. Ἔπρεπε αὐτῷ, s. θεῷ, dignum erat Deo; congruebat cum attributis *divinis*, *ut Christum vexationibus probatum praemio ornaret.* Δι' ὃν τὰ πάντα, καὶ δι' οὗ τὰ πάντα, *ad cuius gloriam, et per quem omnia existunt.* Est descriptio summi Dei. Cf. Rom. XI, 36. Participium ἀγαγόντα refer ad ἀρχηγὸν i. e. multos filios ad gloriam *ducturum.* Ad ἔπρεπε τῷ θεῷ non potest referri; nam sic dici deberet ἀγαγόντι. Idem est autem ἀγαγόντα quod ἡγεμόνα seu ἀγωγέα, qua voce utitur Philo, *de duce exercitus*, et de Mose *principe*, qui proprie dici βασιλεύς non poterat. Δόξα, *felicitas.* Πολλοὺς υἱούς, i. e. *multos homines.* Hi vocantur h. l. filii Dei, quia per eum facti sunt. Ἀρχηγὸς, *auctor.* Sic Dionys. Halic. Antiqq. L. III. habet ἀρχηγοὺς τῆς ἐπιβουλῆς, *auctores insidiarum*, et L. IV. τῶν νόμων πονηρῶν ἀρχηγὸν, *malarum legum auctorem.* Τελειωθῆναι h. l. idem est ac ἀχθῆναι εἰς δόξαν, ad felicitatis metam perductum, dominum summum constitutum esse. Nam ex usu loquendi τελειωθῆναι est, *ad finem, metam pervenisse, consummati laboris praemio frui.* Infra XII, 23. Phil. III, 12. Praemium autem, quod Christus est consecutus, erat summum dominium. Quum nempe Christus omnia perpessus esset, in vitam revocatus, et totius generis humani dominus constitutus est. Aliis τελειῶσαι est *consecrare*, *muneri consecrare*, ut Num. III, 3. XXI, 10.

11. Ὁ, τε γὰρ — πάντες) *Nempe expians et expiandi omnes eandem naturam habere debebant.* Ἁγιάζειν, כִּפֶּר, *expiare*, Exod. XXIX, 33—36. Expiat autem, qui efficit, ut aliis, a favore Dei propter peccata exclusis, aditus pateat ad favorem et gratiam Dei. Ἐξ ἑνὸς, sc. αἵματος, vel σπέρματος, vel γένους, sc. εἰσι. *Omnes eandem habent*, vel habere debebant *naturam;* quam interpretationem sequentia confirmant. Cf. c. V, 1. Conveniens erat, auctorem salutis humanae non esse angelum, sed humana natura praeditum. Alii ἐξ ἑνὸς referunt ad Deum. Omnes unum habent Patrem, Deum, omnium rerum creatorem, Vs. 10., cuius filii, ad summam felicitatem perducendi, sunt omnes homines. Vs. 10. 6. 7. δι' ἣν—καλεῖν) *Quam ob causam haud dedignatur, fratres eos appellare.* Bene observavit Chrysostomus, phrasin οὐκ ἐπαισχύνεται de eo dici, qui maior quum sit, minoribus tamen sese sociare haud dedignatur.

12. Ἀπαγγελῶ — ὑμνήσω σε) *Praedicabo virtutes tuas fratribus meis: in concione te celebrabo.* Ostenditur ex locis quibusdam V. T., quod Messias non erubescat, homines appellare suos fratres. Verba haec sunt ex Ps. XXII, 23. Nervus omnis et probatio latet unice in vocabulo τοῖς ἀδελφοῖς μου. Ἐν μέσῳ, בְּתוֹךְ, Ἐκκλησία, קָהָל, conventus populi Israëlitici in templo. Ceterum ipsi Iudaei hunc Psalmum de Messia exponebant. Disputat igitur ex concessis. Hoc ipsum etiam de sequentibus locis valet.

13. Καὶ πάλιν — ἐπ' αὐτῷ) *Et alio loco: Ego ei confidam.* Πάλιν, *alio loco*, ut supra I, 5. Sum-

tus est locus ex Ies. VIII, 17. Probatur autem hoc testimonio, Messiam eiusdem naturae cum reliquis hominibus esse, quia, non aliter ac ceteri mortalium, spes suas in Deo Patre haberet sitas, Ps. XXII, 10. 11. καὶ πάλιν — ὁ θεὸς) *Et deinde: Ecce me et liberos, quos mihi Deus dedit.* Πάλιν hic est *deinde.* Similiter et Philo inter duo, quae se in S. Codice excipiunt, commata, καὶ πάλιν interiicit, idque alibi interpretatur per καὶ εὐθὺς λέγει, aut εἶτ' ἐπιλέγει, aut εἶτ' ἐπιφέρει, *et deinde addit*, sive, *quae quum dixisset, ita pergit.* Exempla affert *Carpzovius.* Eadem ratione, quem hic Apostolus adducit, locus integer ex Iesaia sumtus est, non obstante eo, quod inter comma 17. et 18. interiicit καὶ πάλιν. Τὰ παιδία, iterum sunt homines, nominatim vero ii, quos Deus disciplinae Messiae tradiderat. Deus filios suos Christo dat educandos, Io. XVII, 12.

14. Ἐπεὶ οὖν—μετέσχε τῶν αὐτῶν) *Quoniam igitur filii* (de quibus Vs. 13.) *corpus mortale habent, ipse similiter tale nactus est.* Σάρξ καὶ αἷμα, hebr. בָּשָׂר וָדָם, *totus homo*, inprimis *corpus hominis mortale, fragile*, 2 Cor. IV, 11. Τὰ παιδία h. l. non vertendum est *infantes*, sed *liberi*, nempe Dei. Respicitur ad locum Iesaiae modo citatum, Vs. 13., et intelligendum est totum genus humanum. Παραπλησίως Glossarium apprime interpretatur ὁμοίως, i. e. *plane, ac per omnia similiter.* Cf. intra Vs. 17. Μετέχειν, *participem esse*, et per meton. consequentis *nancisci.* Ἵνα διὰ — τὸν διάβολον) *Ut morte sua privaret vi et potestate eum, qui habebat imperium in mortem, nempe Diabolum*, i. e. ut ipse posset mori, et morte sua efficere, ut mors, Diaboli fraude tyranni-

dem quasi in homines exercens, nobis non amplius sit metuenda. Τὸ κράτος ἔχειν τινὸς, *imperium habere alicuius rei.* Glossarium: τὸ κράτος, ἐξουσία, βασιλεία. Imperium habet in mortem, qui potest interficere, qui ius necis habet. Quum autem diabolus h. l. dicitur ius necis habere, id proprie intelligi non potest, sed quodam modo, aut certo respectu; nam proprie Deus habet imperium mortis et vitae. Respicitur fortassis ad opinionem, cui Hebraei a pueritia erant innutriti, esse aliquem malum angelum, qui supra mortem dominaretur; eum מַלְאַךְ מָוֶת dicebant, ex Proverb. XVI, 14. non recte quidem, deducentes, atque miranda de pso fabulantes plurima. Nomina etiam varia ei tribuebant, ut אשמדי (Tob. III, 8. 20.) Ἀσμοδαῖον, *Asmothi;* porro סמאל: *Samael,* quem penes Maimonidem, More Nev. 2. 30. narrant ex Pirke Elieser, serpenti antiquo inequitasse, atque Evam seduxisse. Hunc praeterea κατ' ἐξοχήν ראש כל השטנים *caput omnium malorum Angelorum* appellabant, Angelum דומה *Dumah*, item יצר הרע *Angelum malum*, et *mortis*, eumque die secundo creatum esse asserebant. Fortassis etiam respicitur ad historiam lapsus, ut Io. VIII, 44., ubi diabolus dicitur homicida esse ab initio. Diabolus nempe fuit auctor mortis, quia per peccatum mors introducta est. Καταργεῖν, *destruere, vim alicuius rei debilitare et tollere.* Fractam autem esse, dicit Apostolus, vim mortis per mortem Christi. Is enim morte sua obsignavit promissionem vitae post mortem corporis aeternae et beatissimae; rediit etiam in vitam, et nos etiam in vitam revocabit. Sic liberavit nos a metu mortis.

15. Καὶ ἀπαλλάξῃ — δουλείας) *Et liberaret metu eos, qui mortem serviliter metuebant per omnem vitam suam.* Ἀπαλλάττειν et ἀπαλλάττεσθαι de manumissionibus et de liberatione a servitute proprie adhibetur; hic vero supplendum est τοῦ φόβου, quod ex sequentibus intelligitur. Ἔνοχον εἶναι δουλείας, *obnoxium esse servituti*, et quidem per metum, i. e. metu servili constrictum esse, animo ita affectum esse, quomodo servi solent, qui dominos metuunt, vitae atque necis auctores. Διὰ παντὸς τοῦ ζῆν, pro διὰ πάσης ζωῆς, ut etiam Philo et alii loquuntur.

16. Οὐ γὰρ — ἐπιλαμβάνεται) *Profecto enim non Angelis* (immortalibus naturis) *auxilium fert, sed Abrahami posteris.* Ἐπιλαμβάνεσθαί τινος, non potest indicare: *assumere alicuius naturam*, sed proprie est *prehendere aliquem*, deinde etiam saepe *prehendere aliquem opis ferendae caussa; opem ferre.* Σπέρμα Ἀβραάμ, *posteri Abrahami.* Hebraeis scribens, satis habet de illis loqui; de gentibus alibi loquendi locus. Saltim posteri Abrahami h. l. non sunt spectandi ut natio aliqua, sed opponuntur angelis.

17. Ὅθεν ὤφειλε — τοῦ λαοῦ) *Unde debuit plane similis fieri fratribus suis, ut nostri possit misereri, tanquam Pontifex Maximus, cui tuto fidere possimus, quod attinet munus, quo apud Deum pro nobis fungitur in expiandis peccatis populi.* Ὅθεν, *proinde*, quia illorum opitulator et auxiliator est. Κατὰ πάντα, in omnibus iis, quae ad naturam nostram necessario pertinent; ergo etiam in perferendis miseriis,

rebus adversis et calamitatibus, χωρὶς tamen ἁμαρτίας, c. IV, 15., ἵνα ἐλεήμων γένηται, *ut fiat misericors.* Quienim ipse sensit mala et mortem, is scit, quid hoc sit, malis affligi; ergo misericordia erga alios tangitur. Πιστὸς h. l. est, qui munere suo bene fungitur, cui fidere, nosque et caussam nostram tuto concredere possumus. Τὰ πρὸς τὸν θεὸν, i. e. κατὰ τὰ πρὸς τὸν θεὸν πράγματα, s. ἀνήκοντα. Ἱλάσκεσθαι, כִּפֶּר, *peccatorum poenas auferre*, Levit. V, 6. Frequentior est phrasis: ἱλάσκεσθαι θεὸν περὶ ἁμαρτιῶν, καθαρίζειν, ἀφαιρεῖν ἁμαρτίας.

18. Ἐν ᾧ — βοηθῆσαι) *Quia enim ipse calamitates pertulit, hoc magis potest moveri ad opem ferendam iis, qui mala experiuntur.* Ἐν ᾧ, בַּאֲשֶׁר, *quia.* Πειράζεσθαι, *explorari*, quod fit calamitatibus. Δύναται, i. e. potest moveri ad auxiliandum. Nihil enim maiorem ad miserandum vim habet, quam malorum similium, quae nobis evenere, memoria. Virg. Aen. I, 630. *Non ignara mali miseris succurrere disco.*

CAP. III.

1. Ὅθεν — Ἰησοῦν) *Quae quum ita sint, fratres christiani, quibus, sicut et nobis, bona coelestia offeruntur, considerate, quantus sit legatus ille divinus et Pontifex Maximus, quem* (nostrum) *profitemur, Iesus.* Iam ostendit Apostolus, Christum maiorem esse Mose, atque diligentius propterea audiendum. Ὅθεν, quum ita se habeant, quae diximus hac-

tenus. Ἅγιοι, *Christiani*, Rom. I, 7. 1 Cor. I, 2. Κλῆσις ἐπουράνιος, *oblatio coelestium bonorum*. Offeruntur vero hominibus bona coelestia et spiritualia per institutionem in religione christiana. Ergo particeps vocationis coelestis est is, qui religionem christianam didicit. Quoad sensum non differt eorum interpretatio, quibus κλῆσις ἐπουράνιος est invitatio ad religionem christianam, coniunctamque cum illa felicitatem, ut ἐπουράνιος idem sit ac οὐρανόθεν, *e coelo*, i. e. a Deo, ut ἡ ἄνω κλῆσις Philipp. III, 14. Κατανοήσατε, bene attendite, quis et quantus sit. Ἀπόστολος, *legatus*, nempe divinus, maior Mose, et omnibus reliquis legatis. Ἀρχιερεὺς τῆς ὁμολογίας, Pontifex Maximus, quem nos profitemur, cuius munere nititur spes nostra, ἀρχιερεύς, ὃν ὁμολογοῦμεν. Vocabulum sacerdotis non est metiendum sacerdotum Leviticorum ratione, sed consuetudine veterrima Hebraeorum, apud quos prima et propria eius significatio erat haec, ut denotaret *ministrum*, veluti principis aut Dei ipsius, ut 2 Sam. VIII, 18. cf. 1 Chron. XVIII, 17. 2 Sam. XX, 26. Igitur vocabulum sacerdotis Christo tributum pertinet ad ea nomina, quae opus eius salutare in genere exprimunt; et si inest notio sacrificandi, ea accessit extrinsecus, nimirum ex disputatione Apostoli, atque ex ea demum intelligenda et explicanda est. Sic h. l. ἀρχιερεὺς in universum est salutis minister et princeps; comparatur enim cum Mose, qui partes ministri divini et servatoris populi sustinuit hactenus, quatenus eum primo e servitute in libertatem vindicavit, rempublicam eius et cultum legibus constituit, ac denique eum tanquam rex in deserto aluit, et ad felicitatem promissam duxit. Vid. *Chr. Tittmanni* Progr.

de notione Sacerdotis in epistola ad Hebraeos, in Opusculis theol. p. 211. sqq. Χριστὸν, deest in optimis codicibus, versionibus nonnullis et Patribus.

2. Πιστὸν ὄντα — οἴκῳ αὐτοῦ) *Qui concreditò sibi a Deo munere fideliter praefuit.* Comparatio instituitur cum Mose, qui Num. XII, 7. dicitur πιστὸς ἐν ὅλῳ τῷ οἴκῳ θεοῦ. Τῷ ποιήσαντι αὐτὸν, *qui eum constituerat*, nempe Pontificem Maximum, i. e. redemtorem humani generis. Ποιεῖν, עשׂה, *constituere*, 1 Sam. XII, 6. Moses fidelis erat erga Deum, tum in ducendo et regendo populo, tum in perficiendis divinis iussibus. Christus fidelis erat, dum duplici negotio, sibi demandato, docendi (Jo. XII, 49.) et moriendi (c. X, 18.) fideliter functus est. Οἶκος et Graecis et aliis gentibus frequenter est *familia*. Familia autem illa, cui Moses fideliter praefuit, est populus Israëliticus, οἶκος Ἰσραήλ, Act. II, 36.

3. Πλείονος — ὁ κατασκευάσας αὐτὸν) *Is enim eo maiore honore dignus est Mose, quo magis paterfamilias dignitate superat familiam.* Γὰρ referendum ad Vs. 1. Nunc enim ratio affertur, cur attendere debeamus Iesum; quia nempe maior est Mose. Παρὰ hic particula comparans. Satis fuerat dicere πλείονος ἤ, aut πολλῆς παρὰ. Sed solent saepe comparationes bis exprimi. Hebraei dicerent. נשנב הוא יותר ממשה. Δόξα, *honor, dignitas.* Ὁ οἶκος hic iterum est *familia*, et ὁ κατασκευάσας αὐτὸν, non est Aedilis, ut multi volunt, sed *omnibus rebus necessariis instruens domum* et *familiam;* nam κατασκευάζειν saepissime est *praeparare, instruere,*

adornare, ut Matth. XI, 10. Qui autem domum omnibus necessariis instruit, vocari solet paterfamilias. Alia etiam ratio reddi potest, cur Christus vocetur ὁ κατασκευάσας οἶκον, *auctor, conditor*, adeoque ex adiuncto *dominus familiae*, paterfamilias. Nempe κατασκευάζειν dicuntur in genere ii, qui ullo modo *auctores alicuius rei* sunt. Sic de Antiocho, qui per continua bella regionem vastaverat, 1 Macc. III, 29. χάριν τῆς πληγῆς ἧς κατεσκεύασεν ἐν τῇ γῇ, propter vastationem regionis cuius auctor erat. Vid. *Kuinoelii observatt. ad N. T. ex apocryphis V. T.* ad h. l. *Paterfamilias* autem vocatur Christus, quia auctor est novi populi, qui ab eo nomen gerit, *familiae chrsitianae*, moderante tamen Deo, qui summus est Paterfamilias, Vs. 4. *Morus* in versione teutonica not. f. ita connectit verba: τιμὴν τοῦ οἴκου ἔχειν, *in domo habere honorem et dignitatem*. Ergo πλείονα τιμὴν τοῦ οἴκου ἔχει, *qui maximus est in familia*. Sic ordo esset: *Deus*, tanquam mittens maior Iesu (Io. XIV, 28. 1 Cor. XI, 3.), *Christus*, a Patre missus; *Moses*. Totum hoc comma ita vertit *Morus*: *Doch hat iener einen grossen Vorzug vor dem Moses; aber in so ferne, dass der Stifter des Hauses immer noch der Vornehmere darinnen ist.*

4. Πᾶς γὰρ — ὑπό τινος) i. e. *Unaquaeque familia habet suum caput*, Dominum, qui ipsi prospicit. Cf. Vs. 3. ὁ δὲ — θεὸς) i. e. *Deus est summus quasi Paterfamilias*, cui populus Veteris et N. T. originem suam debet, qui et Christum et Mosen misit. Τὰ πάντα, pro ταῦτα πάντα, ut Rom. XI, 29.

5. Καὶ Μωσῆς — θεράπων) ὡς θεράπων, *tanquam administrator;* talis fuit Moses, non autem auctor familiae, igitur non potest summa dignitate frui. Vox θεράπων non est plane eadem quae δοῦλος; nam δοῦλος, opponitur τῷ ἐλευθέρῳ, sed θεράπων τοῖς τέκνοις, vel ut hoc loco τῷ υἱῷ. *Ammonius:* Θεράποντες καὶ οἰκέται διαφέρουσι. Θεράποντες μὲν γὰρ οἱ ὑποτεταγμένοι φίλοι ἐφ' ὧν θεραπεύονται οἱ προσήκοντες, Οἰκέται τῶν δεσποτῶν. Verti igitur potest θεράπων, *minister, administrator* familiae, vel ut vetus Glossarium, *famulus.* Promiscue tamen haec usurpantur, ut patet ex Luc. XII, 42. Apocal. XV, 3. εἰς μαρτύριον τῶν λαληθησομένων) *Ut referret ad populum* nomine Dei *promulganda.* Μαρτυρεῖν non tantum est *testari,* sed etiam *mandata referre,* sicut μαρτύριον est *doctrina,* 1 Cor. I, 6. II, 1. Moses ne castra quidem movebat, nisi Dei iussu.

6. Χριστὸς—οἶκον αὐτοῦ) Vel potius αὐτοῦ. *Christus vero tanquam filius familiae praefuit.* Moses erat ἐν τῷ οἴκῳ, et pertinebat ad familiam; Christus vero ἐπὶ τὸν οἶκον, supra familiam, ut eius praefectus et dominus. Ille est in *aliena* domo, ἐν τῷ οἴκῳ αὐτοῦ, sc. *Dei;* hic *propriam suam* habet, ἐπὶ τὸν οἶκον αὐτοῦ. Si retinetur αὐτοῦ, et ad Deum refertur, sensus est, Christum praefectum esse familiae Dei, non tantum ut ministrum, sed etiam ut *dominum.* οὗ οἶκός ἐσμεν ἡμεῖς) *Cuius familia sumus nos,* Christiani. *Et erimus* scilicet; nam praesens hic futurum comprehendit. ἐάνπερ — κατάσχωμεν) Est traiectio. Ἐὰν βεβαίαν κατάσχωμεν μέχρι τέλους τὴν παῤῥησίαν καὶ τὸ καύχημα τῆς ἐλπίδος. *Si firmiter retinuerimus usque*

ad finem, fiduciam et laetam spem. Quod saepissime inculcat lectoribus, vid. Vs. 14. coll. c. X, 23. 35. 36. al. Παῤῥησία, fiducia, quae ponitur in Dei Christique auxilio. Καύχημα saepe idem valet quod ἀγαλλίαμα. Καύχημα τῆς ἐλπίδος est igitur *laetitia spei*, spes illa laeta, nempe vitae aeternae, sub iis legibus, sub quibus a Christo promissa est. μέχρι τέλους, *usque ad finem*, i. e. sine intermissione, donec spes illa habet exitum.

7. Διὸ — ἅγιον) *Quapropter admoniti a Spiritu sancto sic:* Hoc solent interpretes coniungere cum eo, quod post longum Scripturae testimonium sequitur: βλέπετε ἀδελφοί Vs. 12. Posset vero elliptice intelligi: Putate, vobis etiam dicta esse, quae Deo inspirante dixit divinus vates, nempe Ps. XCV, 7—11.; vel ita, ut cohaereat διὸ Vs. 7. cum Vs. 8. μὴ σκληρύνετε, *proinde ne sitis contumaces.* Pergit vero Apostolus in cohortatione ad constantiam in tenenda spe et fiducia usque ad finem, et maiorem a Christianis obedientiam praestandam esse novae religioni ostendit, quam veteri a Mose promulgatae. Universam hanc cohortationem et dissertationem Vs. 7. — cap. IV, 11. auctor epistolae ceu fundamento superstruit Psalmo XCV., quem praeeuntibus LXX. interpretibus Davidi attribuit (cap. IV, 7.), dissentientibus recentioribus commentatoribus nonnullis, qui exilii demum temporibus vatem carmen istud cecinisse non sine omni veri specie arbitrantur. Alii Grotium secuti, hunc Psalmum in celebritate festivitatis τῆς Σκηνοπηγίας seu tabernaculorum conscriptum esse existimant, atque τὸ σήμερον ad illum diem referunt. Quicquid sit, Psaltes,

postquam commate 7. Israelitas cohortatus erat, ut tandem nunc (היום, σήμερον) voci Dei obtemperarent, inde a comm. 8. Deum ipsum inducit loquentem, et graviter Israelitas commonefacientem, ne imitentur perversos mores maiorum suorum, qui ex Aegypto educti in deserto propter inobedientiam suam perierant, nec pervenire potuerant in terram Cananaeam. Hanc enim terram, Abrahamo huiusque posteris promissam, intelligendam esse, abunde patet ex Num. XIV, 21. 22. 23. 28. 30. et XXXII, 10. 11. 12., quo illa Psalmi verba manifeste respiciunt. Igitur *vox Dei*, quam Iudaei audiverant, erat promissio de occupanda Palaestina. Et tamen dubitarunt, se esse ingressuros in Palaestinam, ideoque rebellarunt. Sic in Psalmo. Auctor Epistolae vero illam historiam accommodat ad christianam religionem, et per vocem Dei intelligit salutem promissam per Christum, vel evangelicam doctrinam, *τὴν κλῆσιν ἐπουράνιον*, supra Vs. 1.

8. Μὴ σκληρύνητε—ἐν τῇ ἐρήμῳ) *Ne animum exhibeatis intractabilem, sicut olim in loco nominato rebellio factum est, tempore tentationis in deserto.* Cf. Exod. XVII, 7. Μὴ σκληρύνητε τ. καρδ. ὑ., אַל־תַּקְשׁוּ. Habemus idem verbum Exod. VII, 3. XIII, 15. Deut. II, 30. tribuique solet, ut verbum כָּבֵד et similia, tum Deo, tum hominibus, sed sensu non nihil diverso. Ἐν τῷ παραπικρασμῷ, in loco nominato מְרִיבָה, Exod. XVII, 7. Num. XX, 13. 24. Est autem *παραπικρασμὸς*, *exacerbatio*, rebellio, et sic LXX. verterunt hebraeam vocem מריבה. Πειρασμὸς, pro מַסָּה est itidem nomen loci in deserto,

ex historia sic dicti. Haud inusitatum est Graecis interpretibus nomina Hebraea propria in Graecismum appellative transferre, ut, pro *Meribah* et *Massa* dicere παραπικρασμὸν et πειρασμὸν. Ita etiam Philo infinitis in locis scripsit, quando e. g. Iacobum Ἄσκητὴν, Labanum Λευκασμὸν, Saram Ἀρχὴν, Cainum Κτῆσιν vocat, quae, ut ubique, sic inprimis in libro de nominum mutatione legere potes. Sic Targumistas quoque nomina propria transferre appellative, non obscurum est. *Dies Massae* est tempus illud, quo circa Massam egit populus; sicut dies *Madian* Ies. IX, 4. Verba: ὡς ἐν — ἐρήμῳ, *Storrius* non male vertit: *Am Orte der Widersetzlichkeit, zur Zeit der Herausforderung.*

9. Οὗ ἐπείρασαν — τεσσαράκοντα ἔτη) *Ubi tentarunt me maiores vestri. Dubitarunt de potentia mea, quanquam per XL. annos opera mea perspiciebant.* Particula οὗ eadem est quae ὅπου, quomodo etiam Codices duo legunt, et refertur ad loca, quae praecessere *Meribah* et *Massa*, sive ad παραπικρασμὸν καὶ πειρασμὸν, qui uterque erat locus ἐν τῇ ἐρήμῳ. In Hebraico occurrunt verba נַסּוֹנִי et בְּחָנוֹנִי. Utrumque denotat, dubitare de auxilio Dei, an possit et velit opem ferre, eique importune praescribere. Καὶ, hebraicum גַּם, *etsi;* qua significatione particula sumitur Io. XVIII, 25. *Quanquam viderant opera mea;* coturnices, mannam acceperant etc. Verba τεσσαράκοντα ἔτη, leguntur et in Psalmo, et in quibusdam Graecis Codd. ad Versum demum *sequentem;* quod est accuratius; nam tum, quum ad Meribam re-

bellarunt Iudaei, nondum effluxerant quadraginta anni, sed hoc factum est in medio itinere. Theodoretus tamen, Oecumenius et alii ad *nonum* comma referunt. Erasmus plane reiicit. Hanc populi impietatem, et contra deum rebellionem in caussa fuisse Philo ait, Lib. I. de vita Mosis p. 639. C. quod, quum *secundo* mox *anno*, postquam Aegypto demigraverant, agros dividere Syriae potuissent, per invia errantes, vix tandem *anno quadragesimo* sedes fixas fuere nacti.

10. Διὸ προσώχθισα — τὰς ὁδούς μου) *Quapropter pertaesus illius nationis dixi: Semper prave sentiunt; ipsi adversantur meis consiliis.* Προσώχθισα τῇ γενεᾷ ἐκείνῃ Castellio optime vertit: *itaque pertaesus illius nationis.* Hebr. אקוט. Est vero קטט sive קוט *fastidire, abominari.* Sirac. I, 25. ἐν δυσὶν ἔθνεσιν προσώχθισεν ἡ ψυχή μου, *a duabus gentibus anima se mea avertit*, s. *duas potissimum gentes abominor.* Suidas ex hoc Epistolae loco: προσώχθισα ait ἐβδελυξάμην, δυσηρεστήθην. Idem sensus enascitur, si vertas: *offensus fui*, ex etymologia; nam compositum est hoc verbum ex πρὸς et ὀχθίζω, quod est ab ὄχθη, *ripa*, et proprie significat *offendere.* προσοχθίζειν proprie de navibus dicitur, quae ad littus impingunt, cum appellere volunt, tum de iis, qui in terra ad lapidem pedem offendunt, denique de iis, qui ad aliorum facta offendunt, et propterea iis irascuntur. Ἀεὶ πλανῶνται τῇ καρδίᾳ. i. e. *semper prave sentiunt;* semper falsas de me habent opiniones. Putant, me non esse veracem, non potentem. Καρδία, *animus*, hic praecipue ad iudi-

candi facultatem refertur. Ὁδοὶ Θεοῦ esse possunt, quae in commate antecedente dicuntur τὰ ἔργα.

11. Ὡς ὤμοσα — κατάπαυσίν μου) Ὡς *itaque*, ut Hebraeum אֲשֶׁר. Divinum iusiurandum habetur Num. XIV, 21. 28. et Deuter. XXIX, 20. 21. *Iram* Dei figurate seu κατ' ἄνθρωπον dici, nec debere, quomodo penes homines, per affectum turbulentum explicari, satis notum. Εἰ, אִם, in iuramentis absolute positum, idem valet, quod οὐκ. Secundum alios rectius aliquid subauditur: *ne pro Deo habear*, aut, ut Ezech. XVII, 19. *ne vivam ego*. Εἰ εἰσελεύσονται εἰς τὴν κατάπαυσίν μου, *non pervenient in locum quietis* (et felicitatis), *quem iis destinaveram*. Κατάπαυσις, *locus quietis*, in historia populi Israelitici est Canaan, regio illa, ubi populus a longis iactationibus quievit, ut Deut. XII, 9. Addit Deus voculam μου, quia eius boni Auctor erat, et quia arca, ubi Deus praesens esse credebatur, tunc vagari desiit, Ps. CXXXII, 8. 14. Sed noster illam historiam accommodat ad Christianos. Nunc igitur κατάπαυσις a Deo promissa allegorice est *possessio quaedam quieta, requies, similis ei, qua Deus ipse fruitur*. Est igitur Dilogia in phrasi κατάπαυσις θεοῦ, cui occasionem dedit ambiguitas vocabuli κατάπαυσις, quod non solum hebraeo מְנוּחָה respondet, verum etiam pro שַׁבָּת vel שַׁבָּתוֹן ponitur, v. c. Exod. XXXI, 15. 2 Macc. XV, 1. Sic etiam verbum καταπαύειν adhibetur, mox de hominibus sabbatum celebrantibus, e. g. Ex. XXXIV, 21., mox de Deo, ut Gen. II, 2. Ex. XXXI, 17.

12. Βλέπετε — θεοῦ ζῶντος) *Cavete, fratres, ne quis vestrum defectione a vero Deo ostendat animum malum et incredulum.* Καρδία πονηρὰ ἀπιστίας, est καρδία πονηρὰ καὶ ἄπιστος, *animus malus et incredulus;* nam Genitivus est pro adiectivo. Animum malum vero is etiam ostendit, qui promissionibus et minis Dei fidem non habet. *Defectio a vero Deo* h. l. est defectio a christiana religione. Valde autem efficaciter dictum ἀπὸ θεοῦ ζῶντος, nam qui vivit, i. e. semper vivit, semper etiam poenas sumere potest. Ἐν τῷ pro εἰς τὸ, quae particularum mutatio frequens his et aliis libris. Nolite redire ad Iudaismum, sicut illi in Aegyptum, unde eos Deus eduxerat. Qui a Christo dificit, simul deficit a Deo.

13. Ἀλλὰ παρακαλεῖτε — ἀπάτῃ τῆς ἁμαρτίας) *Sed urgete alter alterum quotidie, quoad hodiernum diem appellare quis poterit, ne quis vestrum obduratus, ab his etiam seducatur, qui iam defecere.* Παρακαλεῖτε ἑαυτούς, i. e. ἀλλήλους, *instate, atque urgete alter alterum,* sc. institutione et doctrina, admonitione, precibus, consolatione, reprehensione, castigatione, prout nempe opus est. Nam haec omnia in hoc verbo latere, bene ostendit *Carpzovius.* Ἄχρις οὗ τὸ σήμερον καλεῖται, i. e. *per totam vitam vestram,* quam diu vobis dici *potest* illud Psalmi: *hodie* etc. Ἵνα μὴ σκληρυνθῇ τις ἐξ ὑμῶν, *ne quis vestrum occalescat,* contumax fiat, contra Deum rebellet. Verba ἀπάτῃ τῆς ἁμαρτίας vel proprie sumi possunt, *fraude peccati,* i. e. deceptus sua incredulitate; nam ἁμαρτία h. l. est ἀπιστία; vel ἁμαρτία pro ἁμαρτωλοῖς potest esse appositum, ut

sensus sit: *ne quis vestrum obduratus seducatur ab Apostatis.* Nam multi omnino ex Hebraeis videbantur, metu vexationum, persecutionis, et calamitatum seducti, ab Evangelica professione illo tempore deficere velle; multi etiam omnino defecerant.

14. Μέτοχοι — κατάσχωμεν) *Participes enim sumus beneficiorum Christi,* (hac conditione sumus veri Christiani,) *si, quem coepimus professioni christianae dare, assensum, ad finem firmum tenemus.* Μέτοχοι τοῦ Χριστοῦ, *participes Christi*, i. e. beneficiorum Christi, *veri nominis Christiani.* Ὑπόστασις, *fundamentum*, quo quid nititur, hinc LXX. hoc. voc. de spe et fiducia firma et certa utuntur. H. l. est idem quod supra Vs. 6. ἐλπὶς dicitur. Cf. infra XI, 11. Ἀρχὴ τῆς ὑποστάσεως per Hypallagen nostris his libris non infrequentem, pro ὑπόστασις ἡ ἐξ ἀρχῆς, vel ἣν ἤρξασθε ἔχειν, *spes illa, quam ab initio habuimus, fides incepta.*

15. Ἐν τῷ λέγεσθαι — παραπικρασμῷ) *Quum autem dicitur: hodie* etc. Supple: *quaero*, scire velim. Connectendus nempe est hic versus cum sequenti. Iterum ad animum revocat historiam contumacium Israëlitarum, verbis usus Davidis in hoc commate, partim ex persona *divini vatis*, partim ex *sua.* Alii vertunt: *Dum* (inquam) *illud* (vobis) *acclamatur: hodie, quum vocem Dei audieritis,* (cavete) *ne animi vestri occalescant,* uti factum etc., ut post ἀκούσητε subaudienda sit formula: *etc.* et repetendum sit e Vs. 12. βλέπετε. Alii aliter.

16. Τίνες γὰρ—διὰ Μωσέως) Accedo Chrysostomo, Theodoreto et aliis, qui haec verba interrogative sumunt. Apostolus enim Hebraeis suis proponit exemplum Israëlitarum veterum, eo fine, ut ostendat, non satis esse audire et tenere mandata Dei, sed obediendum etiam, et fidem adhibendam promissionibus divinis. Cf. Vs. 19. Ergo non est legendum τινὲς, sed τίνες. Γὰρ, non est particula rationem reddens, sed interrogatio. Sic igitur cohaerent Vs. 15. 16. *Quum autem dicitur: hodie, quando auditis* etc. quaero: *Quinam fuerunt illi, qui audientes* Dei vocem, *rebellarunt?* Παρεπίκραναν, *rebellarunt*, ad iram provocarunt. Ἀλλ' οὐ; *annon?* Dicit Auctor, omnes illos Israelitas punitos esse propter hanc rebellionem. Omnes rebellarunt; omnes perierunt. Israelitae, qui Deum ad iram provocaverunt, eo gravius peccarunt, quod maximis beneficiis erant ornati, ἐξελθόντες ἐξ Αἰγύπτου διὰ Μωσέως. Hebraei, ad quos Auctor scribit, qui per christianam religionem longe maiora beneficia acceperant, facile poterant hoc applicare.

17. Τίσι δὲ—ἐν τῇ ἐρήμῳ;) Ἁμαρτάνειν hic sumitur in sensu illo graviore, quo respondet Hebraico שָׁגָה, *deficere a Deo.* Πίπτειν ἐν τῇ ἐρήμῳ, Philoni est λοιμώδει νόσῳ διαφθείρεσθαι ἐν ταῖς ἀβαταῖς ἐρημίαις. Πίπτειν, *mori*, et quidem morte violenta, vel morbo graviori. Τὸ κῶλον, hebr. פֶּגֶר, *cadaver*, corpus, vel potius *artus corporis*, ut pes truncatus, manus scissa, aut digitus, brachium etc. De ruinis idolorum, quae Deus vastaverat, habetur Levit. XXVI, 30. Cf. Num. XIV, 29. 31—36.

18. Τίσι δὲ ὤμοσε—ἀπειθήσασι;) Cf. supra Vs. 11. Poenarum autem hic duo genera sunt: *perire in deserto*, et: *possessione Syriae et Palaestinae carere.* Nullum est discrimen hoc loco inter ἀμάρτημα, ἀπείθειαν, et ἀπιστίαν, ut quidam Interpretes volunt; nam ἀπείθεια sequenti versu est ἀπιστία, eadem illa quae ἁμάρτημα in versu antecedente dicebatur; et ipsa ἁμαρτία dicitur ἀπιστία Io. XVI, 9.

19. Καὶ βλέπομεν—δι' ἀπιστίαν) Βλέπομεν, i. e. εἴδαμεν, ex historia cognoscimus. Quod enim non fidem habuerunt, non potuerunt terram promissam ingredi. Δι' ἀπιστίαν, *propter diffidentiam.* Ostendit igitur Auctor, qui non fidem constantem Deo habuerint, ideoque religioni, eos gravissimas poenas daturos, neque ad felicitatem perventuros esse.

CAP. IV.

1. Φοβηθῶμεν—ὑστερηκέναι) *Sollicite igitur caveamus, ne, quum (et nobis) promissio sit reliqua perveniendi in locum quendam tranquillitatis* (et felicitatis), *aliquis vestrum tardavisse videatur*, i. e. serio veniat, atque adeo excludatur. Post μήποτε, et τὴν κατάπαυσιν αὐτοῦ, comma videtur esse ponendum, ut καταλειπομένης ἐπαγγελίας sint Genitivi consequentiae. Nunc allegorice tractat Apostolous hanc historiam, applicans ad Christianos, quod hactenus dixerat. Nos etiam habemus promissionem divinam, similem illi, quam veteres Israëlitae acceperant, multo tamen maiorem, melioremque. Καταλείπεσθαι, non so-

lum est *relinqui, negligi*, sed et *reliquum*, vel *residuum esse*. Sic ἐλπὶς καταλειπομένη dicitur *spes adhuc residua*, quod patet ex locis apud Wetstenium. Ὑστερεῖν, *posteriorem esse cursu, remanere, tardius venire*. Polyb. Hist. IX. c. 13. ποτὲ μὲν ὑστερεῖν, ποτὲ δὲ προτερεῖν ἀνάγκη, *modo tardius, modo maturius venire necesse est*. Verba δοκεῖν et φαίνεσθαι, ut latinum *videri*, saepe redundant, aut ponuntur, si res iam absoluta et certa est. Sic Cicero in fine periodorum ponit *esse videatur*, pro *sit*. Demosthenes pro corona, 26. φαίνομαι τετυχηκὼς, pro τετύχηκα. Φοβηθῶμεν, sollicite caveamus. Quaenam autem sit illa promissio, Christianis data, et κατάπαυσις illis parata, in sequentibus explicatur.

2. Καὶ γὰρ — κἀκεῖνοι) *Nam et nos promissionem egregiam accepimus, sicut et illi*. Εὐαγγελίζειν h. l. simpliciter est: *boni aliquid promittere*. Sensus est: Nobis promissum est bonum, ut et illis. Illis promissa erat Palaestina; nobis alia, coelestis nempe felicitas promissa est. ἀλλ' οὐκ — τοῖς ἀκούσασιν) *Sed promissio audita illis non profuit, non accepta firmissima fide ab audientibus*. Ὁ λόγος τῆς ἀκοῆς, קל שמועה, דבר שמע, *promissio audita*, λόγος ἀκουόμενος, vel *perceptio promissionis*, ἡ ἀκοὴ τοῦ λόγου. Nam ὁ λόγος, sicut hebr. דבר saepe est *promissio*, et Scriptor h. l. intelligit ἐπαγγελίαν de ingredienda terra Canaanitica, pressis misere Israelitis suavissimam. Συγκεκραμένος τῇ πίστει elegans est locutio, qua ad digestionem ciborum in succum respicitur. De aquae mixtura et vini adhibetur 2 Maccab. ult. οἶνος ὕδατι συγκεκρασθεὶς ἡδὺς. Sensus igitur loci

nostri est: *Non commixta ab audientibus in succum et sanguinem*, i. e. quia audientes non perpendebant eam animis, nec fide firma et fiducia accipiebant. Alii legunt συγκεκερασμένους, alii συγκεκραμένους, respiciendo ad ἐκείνους. Sed recepta lectio, quae extat in Syr. Erp. Vulg. Cyr. et codicibus nonnullis, recte praefertur.

3. Εἰσερχόμεθα — οἱ πιστεύσαντες) *Fruemur itaque quiete et felicitate, qui credimus*, exclusis nempe aliis omnibus, qui non habent fidem divinis promissionibus. Praesens εἰσερχόμεθα hic ponitur pro omni tempore. Ostendit nunc Apostolus, Christianis paratam esse felicitatem et quidem multo meliorem ea, quae Israelitis erat promissa, analogam divinae quietis. Κατάπαυσις h. l. non historice sed allegorice intelligitur. Est nempe *requies* imago felicitatis. Ergo κατάπαυσις θεοῦ est felicitas, similis ei beatitudini, qua Deus fruitur. Eam pariter, qui fidem Deo habent, adepturos esse, Philo dicit, lib. de Cherub. pag. 122. C. et seq. Verba quippe instituit de diebus festis, in quibus munera Deo offerebant. Maxima, ait, munera, virtutes esse, per quas *fidem* intelligit, cuius ope ad veram Dei festivitatem (illam *Sabbatum* ac *Quietem* interpretatur,) perveniremus. Deinde pergit: Solus Deus vere festum agit, solus enim gaudet, laetatur, hilaritate paceque fruitur. — Καὶ διὰ τοῦτο καὶ τὸ Σάββατον, ἑρμηνεύται δ' ἀνάπαυσις, θεοῦ φησὶν εἶναι Μωϋσῆς πολλαχοῦ τῆς νομοθεσίας, οὐχὶ ἀνθρώπων, ἀπτόμενος φυσιολογίας ἀναγκαίας. Τὸ γὰρ ἐν τοῖς οὖσιν ἀναπαυόμενον, εἰ δεῖ τἀληθὲς εἰπεῖν, ἕν ἐστιν, ὁ θεός. *Et ideo Sabbatum*, i. e. *quies*, *Dei esse*,

non hominum, Moses multis in locis dicit, loquens ex physiologia necessaria. Quod enim in rebus quiescit, nihil praeter Deum est. Addit, οἰκειότατον εἶναι μόνῳ θεῷ τὸ ἀναπαύεσθαι, *soli Deo proprium esse, quiescere.* καθὼς εἴρηκεν — κατάπαυσίν μου) Supplendum hic aliquid videtur, nempe δι' ἀπιστίαν (c.I II, 19.) vel simile quid. Sola incredulitas excludit. Recte monet *Heinrichsius*, argumentationem esse hanc: Si Deus iuravit *incredulis*, eos non ingressuros εἰς τ. καταπ., sequitur, *non nisi* τοὺς πιστεύοντας (emphatice) ingredi. Parenthesi includuntur haec verba. Saltem, quae statim sequuntur, καίτοι τῶν ἔργων ἀπὸ καταβολῆς κόσμου γενηθέντων, optime connectuntur cum prioribus huius commatis verbis. *Requiem intelligo, ab omnibus operibus, a mundo condito* (inter homines) *peractis*, i. e. felicitatem et summam laetitiam illam, qua homines fruentur, peractis iis negotiis, quae in hac vita ab hominibus peragenda erant. Καί τοι, *et quidem.* Sic apud Plutarchum in Caes. καί τοι καὶ λόγον τινὰ κατέσπειραν εἰς τὸν δῆμον: *et quidem sermonem quendam disseminarunt in vulgus.* Eadem significatione saepius apud Philonem occurrit. Intelligitur hic, ut Primasius ad hanc epistolam p. 507. recte monet, *regnum coeleste*, sive felicitas aeterna, ad quam quos pervenire contigerit, planissime requiescent a laboribus et aerumnis eius seculi, non tantum a molestiis longi itineris, ut olim Israelitae. Ergo illa felicitas, quae credentibus promissa est, non est similis ei qua Israelitae fruebantur, sed similis ei, qua Deus ipse fruitur, maxima et perfectissima. *Griesbachius* in Progr. 1792. scripto, (*Quid Ebr. III*, 7. — *IV*, 11. καταπαύσεως

θεοῦ imagine adumbretur, disquiritur,) eorum sententiam probat, qui *ἀναπαύσεως* nomine indicari volunt cessationem ab operibus Mosaicae legis; quietem ac liberationem a iugo cervicibus Iudaeorum imposito, quod neque patres eorum nec ipsi ferre poterant, Act. XV, 10., quod vero excutiunt qui aures suas dant Christo blande compellanti: ad me venite omnes *οἱ κοπιῶντες*, ego vos *ἀναπαύσω* etc. Matth. XI, 28 — 30. Receptiori interpretationi *καταπαύσεως* de aeterna felicitate inprimis hoc opponit, quod huius vitae acerbitates et aerumnae, a quibus quiescent probi Christiani, nullo modo comparari possint cum operibus, a quibus Deus septima illa die quievisse seu cessasse narratur. — Verum hoc quidem est; sed eadem difficultas premere videtur eorum sententiam, qui cessationem ab operibus legis Mosaicae intelligi volunt; etenim nec haec comparari possunt cum operibus, a quibus Deus septima die quievit. Varias variorum interpretum sententias attulit et diiudicavit *Dindorfius* in additamentis ad *Ernesti* Lectiones academicas in hanc epistolam, p. 289. sqq. dignus, qui hic conferatur. Caeterum durae huiusmodi comparationes et allegoriae non offendebant lectores, qui iis inde a pueritia assueti erant. Vid. notanda ad Vs. 10.

4. Εἴρηκε—τῶν ἔργων αὐτοῦ) *Dicit enim* (scriptura) *de die septimo ita: et requievit Deus die septimo ab omnibus operibus suis.* Monet Apostolus his verbis, mentionem fieri in sacris litteris *quietis Dei*, *καταπαύσεως θεοῦ*. Hominibus etiam promissam esse quietem, mox (Vs. 5.) deducet ex alio, supra iam memorato loco. Εἴρηκε, sc. *ἡ γραφή*. Ποῦ, i. e. *ἐν*

τινὶ τόπῳ, nempe Gen. II, 2. Philo Lib. de conf. ling. pag. 327. E. καὶ ἐν ὕμνοις που λέλεκται. Non solebant Iudaei loci librum et caput nominare, quia a prima aetate ita libris istis assueverant, ut quisque, auditis verbis, locum nosset. Locum Geneseos *Philo* interpretatur Lib. I. leg. Alleg. p. 43. A. Κατέπαυσεν, ait, ὁ θεὸς τῇ ἑβδομῇ ἡμέρᾳ ἀπὸ τῶν ἔργων αὐτοῦ, ὧν ἐποίησε. Τοῦτο δ' ἐστὶ τοιοῦτον. Τὰ θνητὰ γένη παύεται πλάττων ὁ θεὸς, ὅταν ἄρχηται ποιεῖν τὰ θεῖα, καὶ ἑβδομάδος οἰκεῖα, *desinit Deus genera mortalia creare tum, quum incipit facere divina, et naturae Sabbati convenientia.* Explicat igitur Alexandrinus τὸ καταπαύεσθαι, *mortales res non amplius creare sed in divinioribus occupari*, quod sine dubio significat, *desinere rebus fortuitis producendis, et felicitate suae essentiae necessaria perfrui.* Similem in modum loquitur eodem libro, p. 41. D. πρῶτον οὖν ἑβδόμῃ ἡμέρᾳ καταπαύσας τὴν τῶν θνητῶν σύστασιν, ἄρχεται ἑτέρων θειοτέρων διατυπώσεων. πάυεται γὰρ οὐδέποτε ποιῶν ὁ Θεὸς etc. *Primum igitur septimo die, requiescens ab operibus mortalibus, alias diviniores formationes incipit. Nunquam enim Deus desinit operari* etc. Videtur etiam Nostro haec Dei requies esse imago summae laetitiae et felicitatis.

5. Καὶ ἐν — κατάπαυσίν μου) Ex hoc loco intelligimus (ex mente Apostoli,) *hominibus* etiam promissam esse requiem, et quidem Dei requiem. Nam in isto Psalmi loco mentio fit hominum, qui in illam quietem ingredientur, vel non ingredientur. Nervus est in verbo εἰσελεύσονται; hoc enim ad homines pertinet.

6. Ἐπεὶ οὖν — εἰς αὐτὴν) *Quandoqaidem igitur sit reliquum, quosdam introire ad illam*, scil. quietem, seu in locum illius requiei, i. e. omnibus patere aditum ad eum; nam excluduntur tantum ii, qui non credunt. Sic intellexit Syrus. Is enim vertit: מטל הכיל דאית הוא אתרא דאנש אנש נעול לה *quoniam igitur est locus, in quem unusquisque ingredi potest.* Ἀπολείπεται, *cogitur, sequitur, efficitur.* καὶ οἱ πρότερον — δι' ἀπείθειαν) *Atque qui prius* (Mosis tempore) *evangelio*, promissione, *erant praediti, non introirent propter incredulitatem.* Οἱ πρότερον εὐαγγελισθέντες sunt illi, qui ex Aegypto exierant, quibusque promissa erat requies, sed sub conditione fidei et obsequii, supra Vs. 2. 3.

7. Πάλιν — σήμερον) *Aliud tempus constituit, aliud hodie*, quo sc. possit perveniri ad eam, de qua saepius dictum, requiem, s. felicitatem. Post σήμερον recte ponitur colon. ἐν Δαβὶδ — εἴρηται) *Per Davidem dicens post tantum temporis*, (annis quadringentis, vel quingentis post illam historiam, quae est in Numeris, quum Iudaei iam illo promisso excidissent), *quemadmodum brevi ante diximus.* Davides multo post promissionem, Iudaeis in deserto factam, vixit, et tamen *quietis* alicuius, adhuc exspectandae, mentionem facit. Ergo non potest obiici, post illam Israelitis promissam requiem, aliam non esse exspectandam. Recte potius colligitur, praeter illam κατάπαυσιν, ad quam Iosua populum perduxerat, aliam dari, cuius participes fieri Davidis aetate omnes poterant, qui divinis mandatis obtemperarent. Verba καθὼς εἴρηται, no-

tant: *quemadmodum brevi ante memoratum est*, sc. cap. III, 7. 8.

8. Εἰ γὰρ—ἡμέρας) *Si enim Iosua eos ad quietem* sc. veram et stabilem, *perduxisset, non locutus esset* (Deus per Davidem) *de alio postmodum tempore*, quo nempe cavendum sit, ne excludamur e requie. Aoristus Indicativi κατέπαυσε, pro plusquamperfecto Subiunctivi positus, sumitur μεταβατικῶς, ut hebr. הישׁיב in Hiphil. i. e. *quiescere fecit*. Perduxit Iosua quidem Israelitas ad requiem, sed non ad perfectam et stabilem. Haec igitur adhuc exspectanda est, nempe quies *vera, perfecta*, ac *stabilis*. Cf. Hebr. XIII, 14. Qui ἐν τῇ ἄλλῃ ἡμέρᾳ τοὺς εὐαγγελισθέντας ἀναπαύει, est Iesus, Dei filius, Matth. XI, 28. 29.

9. Ἄρα ἀπολείπεται—τοῦ θεοῦ) *Ergo relinquitur perfectissima requies*, maxima felicitas, *populo Dei*. Qui ad populum Dei pertinent, veri Christiani, nec non ii, qui relicto Iudaismo religionem christianam suscipiunt, ii omnes adipisci possunt eam felicitatem, quam Christus promisit. Ὁ Σαββατισμὸς, שַׁבָּתוֹן, proprie est *cultus Dei* Sabbato peragendus, hic vero est gaudium coeleste, verum ac perpetuum. Philo τὸ Σάββατον, allegorice ut dicit, *verissimam quietem* interpretatur, quando mens a curis ac terrenis negotiis liberata, *βίον ἔνδιον καὶ γαλήνιον, vitam serenam et quietam* adepta est. Atque haec serena et quieta vita, nulla alia quam coelestis est, ubi omnium ἱερωσύνη ac σαββατισμὸς, quemadmodum Levitarum olim sacerdotium, οὐκ ἐπίγειον erit ἀλλ' ὁλύμπιον κτῆμα.

10. Ὁ γὰρ—ἰδίων ὁ θεὸς) *Qui enim ad eius* (Dei) *requiem pervenit, is et ipse a suis operibus requi-*

escit, sicuti Deus a suis, i. e. qui felicitatem illam, divinae similem adipiscetur, is purissima et perfectissima voluptate fruetur. *Quies Dei* est summa illa voluptas, quam ex suis summis perfectionibus et operibus capit. *Quies hominum* autem quandam similitudinem cum Dei quiete habebit in eo, quod in coelesti vita a negotiis molestis omnibus, curis, adversitatibus, peccatis liberati, voluptatem summam obtinebunt, ex amore Dei et admiratione operum divinorum ortam. Philo in Lib. de sacrif. Abelis et Cain. pag. 149. C. Ἑορτὴ γὰρ ψυχῆς ἡ ἐν ἀρεταῖς εὐφροσύνη τελείκ, *quies enim animae est perfecta in virtutibus voluptas.* Totum hunc locum esse allegoricum, facile intelligitur; nam historia transfertur ad rem similem, diversam quidem in multis, sed in quibusdam tamen apte respondentem rei, cum qua comparatur. Sensus, allegorice expressus, hic erit: Deus quiescit; populo eius promissa est quies; Israelitae non pervenerunt ad quietem ob incredulitatem; credentes autem fruentur ista quiete. Huius allegoriae sensus propriis verbis expressus erit: Deus est beatissimus; etiam homines Deus beatos reddere vult; Israelitae propter incredulitatem non facti sunt participes felicitatis; credentes autem certissime fruentur ista felicitate. Ceterum non est, cur offendamur hac allegoria. Accommodata est enim haec ratio illustrandi doctrinas ingenio Iudaeorum, qui omnia allegoriis demonstrare conabantur, ut dilucide apparet e libris Rabbinicis, maxime vero e Philone. Quae igitur argumenta nobis videntur parum idonea esse, eadem ad persuadendos Iudaeos vim haud exiguam habere poterant.

11. Σπουδάσωμεν—κατάπαυσιν) Demus operam, ut ad summam illam futuri seculi tranquillitatem perveniamus. Rebus aliis omissis, hoc agamus. ἵνα μὴ—ἀπειθείας) *Ne quis misere pereat propter similem infidelitatis modum.* Ὑπόδειγμα, pro quo frequentius adhibetur παράδειγμα, est *exemplum.* Ἐν pro διὰ. Verbum πέσῃ non refertur ad phrasin πίπτειν ἐν ὑποδείγματι τῆς ἀπειθείας, *incidere in exemplum diffidentiae*, sed absolute ponitur ἵνα μή τις πέσῃ, ut c. III, 17. et notat *ne quis misere et ipse cadat pereatque.*

12. Ζῶν γὰρ ὁ λόγος τοῦ θεοῦ, καὶ ἐνεργὴς) *Quidquid enim Deus effatur, id vim habet et efficaciam.* Verum est, quod Deus minatur et promittit. Non est vana et sine viribus ira. Ὁ λόγος, דבר saepe notat, quicquid Deus promittit, aut minatur. Hic *minas* intelligendas esse, quales Ps. XCV. continentur, ipse contextus docet. Ζῶν, quicquid agit, et vim suam exserit. Ἐνεργὴς, *efficax*, idem significat. Καὶ τομώτερος ὑπὲρ πᾶσαν μάχαιραν δίστομον) *acutius quocunque ense utrinque acuto.* Hac allegoria exprimitur acerbitas doloris, qui oritur e neglectis minis divinis, quasi e vulnere graviter inflicto. ὑπὲρ in comparatione pro μᾶλλον ἢ ponitur. Μάχαιρα non est culter, sed *ensis*, ξίφος. Τομώτερος in Glossario explicatur τμητικώτερος. Στόμα μαχαίρας, *acies gladii*; ῥομφαία autem seu μάχαιρα δίστομος, Hebraei חֶרֶב פִּיפִיּוֹת, *ferrum utrinque acutum.* Καὶ διϊκνούμενος—μυελῶν) *penetrans adeo, ut vitam et animum, compages et medullam*

separet. ψυχὴ, נֶפֶשׁ, *vita.* Πνεῦμα, רוּחַ, vel *halitus,* vel *animus, Spiritus hominis; Albreschius* simplicissimum esse ait, rationem coniungendi ψυχὴν et πνεῦμα ex populari loquendi ratione deducere, qua totus homo, omnia eius cogitata, sensa, consilia, studia ita appellata in universum fuerint. Sensus est: minae Dei gravissime animum vulnerant, et tristissimos habent effectus. *Verbis* tribuere et alii Scriptores solent *ora, acumen, penetrationem,* ut Eunapius in Iamblicho *Alypio* dat ἐν τοῖς λόγοις ὀξύτητα καὶ τομὴν. Comminationes Dei perterrefacere debent homines; ubi vero homines non emendantur his comminationibus, infligitur poena, quam Deus minatus fuerat. Καὶ κριτικὸς—καρδίας) *et diiudicat etiam cogitationes et consilia animi.* Minis Dei tribuitur, quod proprie Dei est. Ἐνθυμήσεις et ἔννοιαι sunt *sensa et cogitata,* ut in vita communi: *Gesinnungen und Gedanken, Gedanken und Empfindungen.* Sensus: Comminationes Dei non tantum ad facta sed etiam ad cogitata nostra pertinent. Si vel animo cogitamus, falsa vel dubia esse, quae Deus minatur, poena digni sumus.

13. Καὶ οὐκ—ἐνώπιον αὐτοῦ) *Neque ulla res creata eum latet.* αὐτοῦ, scil. θεοῦ, de quo hic sermo; quocum nobis est negotium. πρὸς ὃν ὑμῖν ὁ λόγος. Κτίσις hic non est praecise *opus et actio humana,* sed *creatura,* et inprimis *homo.* Ἀφανὴς, *absconditus, ab aspectu et visu remotus,* qui latet, adeoque ignoratur. Deus novit omnes homines accuratissime, non tantum externa eorum opera, sed et cogitationes. πάντα δὲ—ὁ λόγος) *Omnia potius sunt manifesta et patent oculis eius, de quo nobis est sermo.* Γυμνὰ

dicuntur manifesta, quae oculis tam plane patent, ut nihil omnino absconditum sit. Τετραχηλισμένα sunt *aperta, patefacta,* uti apparet e serie orationis. A nomine τράχηλος, *collum,* τραχηλίζειν est *retorquere, reflectere alicuius collum.* Hinc facies sursum vertitur; fit igitur conspicua, magis venit in conspectum. Perizonius ad Aeliani V. H. XII, c. 58. ex retectis delatorum noxiorumque faciebus et collis, omniumque conspectui pro poena expositis vim verbi τραχηλίζεσθαι declarari posse arbitratur, et eam ob caussam provocat ad Plinii Panegyricum c. 34. et ad Sueton. Vitell. c. 17. πρὸς ὃν ἡμῖν ὁ λόγος) *Quocum nobis est negotium:* nam λόγος saepe est res, negotium. Πρὸς haud raro notat *cum.* Vel πρὸς ὃν est i. q. περὶ οὗ, *de quo* nobis sermo est.

14. Ἔχοντες οὖν — τοῦ θεοῦ) *Quum igitur Iesus, filius Dei, in coelum exaltatus, sit noster Pontifex Maximus.* Post longiorem digressionem de Iudaeis in deserto, redit tandem Apostolus ad Pontificem, cuius mentionem c. III, 1. facere inceperat, et ostendit, Iesum maiorem esse Pontifice Maximo V. T. De notione vocabuli ἀρχιερεὺς cf. quae ibi notata sunt. Ex hoc et aliis huius epistolae locis patet, uno eodemque vocabulo sacerdotis ad utramque conditionem Iesu Christi, et humilitatis et gloriae respici, ut in vocabulo σωτῆρος et similibus, continerique notionem salutis felicitatisque humanae et *instauratorem* et *datorem;* nam statim additur, nos habere ἀρχιερέα μέγαν, qui coelum ascenderit, quamvis idem quoque omnis generis calamitates, similiter ut nos, perpessus sit. Διεληλυθότα τοὺς οὐρανούς, qui per aërem aetheremque pervenit in

summum coelum, sedem divinae maiestatis. Philo de Pontifice Maximo Iudaeorum refert, Lib. II. de monarch. p. 821. D., illum quotannis in sanctissimo templo per *τέσσαρας στοὰς εἰς μεσαίτατον τὸν νεὼν, παντὸς λόγου κρείττονα, per quatuor Porticus, in medium Sanctum Sanctorum, nulla eloquentia exprimendum,* ingredi solitum fuisse. Has quatuor *Porticus* s. *Atria,* Hebr. חֲצֵרִים, Sacerdotum, Virorum, Foeminarum, Peregrinorum, Iosephus nominat, easque tot quasi *οὐρανοὺς* repraesentasse, dicunt Iudaeorum alii. Initio citati libri dicit *Philo, coelum* unice dici verum *sacrarium Dei* et *templum* dignissimum oportere; nam alterum illud, manu factum, propter solam hominum pietatem dedicatum esse. Cf. infra c. VIII, 2. et IX, 11. 12. Christus autem, postquam morti se obtulerat ob peccati veniam, in coelum ascendit, et ad Deum abiit, ut hoc eius abitu in coelum ad summam dignitatem declararetur, expiationem consummatam esse, iamque paratam potestatem appropinquandi Deo, eumque cogitandi et invocandi ut propitium. *Τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ* non famulum, sed filium Dei, ut supra III, 6. *κρατῶμεν τῆς ὁμολογίας*) *Retineamus professionem,* i. e. firmi in ea persistamus; faciamus id, quod promisimus; maneamus in christiana religione.

15. *Οὐ γὰρ ἔχομεν — χωρὶς ἁμαρτίας*) Non *enim habemus Pontificem Maximum, qui non afficiatur adversitatibus nostris, sed eiusmodi, qui perinde ac nos omnia afflictionum humanarum genera pertulit, excepto peccato.* *Δύνασθαι* hic referendum est ad effectum, ut supra II, 18. *Ἀσθενείαι* hic sunt adversa, quibus subiacent Christiani, ut Rom. VIII, 26. 1 Cor-

II, 3. etc., inprimis vero calamitates ob religionem perferendae. Potest vero etiam intelligi imbecillitas mentis et animi, quae ad peccatum ducit. Πεπειρασμένος, *exercitatus* variis afflictionum generibus. Δὲ, *sed.* Καθ' ὁμοιότητα, *perinde ut nos.* χωρὶς ἁμαρτίας) *sine peccato,* ita ut non aberraret ab officio, ut integritatem servaret.

16. Προσερχώμεθα — βοήθειαν) *Accedamus igitur bono animo ad thronum Dei propitii, ut favorem eius consequamur, nobisque contingat beneficium auxilii maxime opportuni.* Οὖν, quum tantum habeamus commendatorem. *Accedamus* sc. precibus nostris, *ad thronum gratiae,* i. e. ad Deum summum, nobis propitium. Deus comparatur cum Rege, qui throno insidet. Hebraei dicunt, Deum, ubi videt totum mundum esse damnabilem, surgere a solio iudicii, מֵעַל כִּסֵּא הַדִּין, ut sedeat in solio misericordiae; בְּכִסֵּא רַחֲמִים, quod maxime post Christum apparuit. Μετὰ παῤῥησίας, cum bona spe, s. fiducia. Ἔλεος h. l. est. חֶסֶד, *auxilium.* Εὑρῶμεν, נִמְצָא, consequamur. Εὔκαιρον, quale convenit tempori.

CAP. V.

1. Πᾶς γὰρ — ὑπὲρ ἁμαρτιῶν) *Quilibet enim Pontifex ex hominibus delectus, hominum caussa constituitur, ut cultum Dei administret,* i. e. *ut offerat sacrificia varia pro peccatis.* Cohaerent haec cum superioribus, neque divelli debuerant. Ostendere

enim vult Apostolus, Christum omnia habere, quae in summo Sacerdote requiruntur, et quidem modo excellentissimo. Λαμβάνειν hic, ut לָקַח Num. XXV, 4. est *segregare*. Ὑπὲρ ἀνθρώπων καθίσταται τὰ πρὸς τὸν Θεὸν, *constituitur ad rem divinam peragendam pro hominibus*. Τὰ πρὸς τὸν Θεὸν, i. e. κατὰ τὰ πρὸς τὸν Θεόν πράγματα. Δῶρά τε καὶ θυσίας hebr. קרבנים ומנחות vocabula satis generalia sunt, quibus *sacrificia* exprimuntur. Interdum δῶρα קָרְבָּנִים in specie dicitur de holocaustis, Levit. IV, 3. Quum igitur quivis Pontifex, non sui ipsius, sed aliorum hominum caussa constituatur, hoc idem valet etiam de Christo.

2. Μετριοπαθεῖν — πλανωμένοις) Μετριοπαθεῖν, *moderate se gerere, moderatione uti, misericordia alicuius tangi*, iram continere, adeoque non immodica severitate uti. Vocem hanc usurpat Iosephus, Ant. XII, 3. 2., ubi Vespasianum et Titum laudans, quod quantumvis Iudaeis ob pertinacem rebellionem irati, iis tamen Antiochiae et Alexandriae ius civitatis non ademerint, addit: Οὐεσπασιανοῦ δ' ἄν τις καὶ Τίτου τὴν μεγαλοφροσύνην εἰκότως ἐκπλαγείη, μετὰ πόλεμον καὶ τηλικούτους ἀγῶνας, οὓς εἶχον πρὸς ἡμᾶς, μετριοπαθησάντων, *Vespasiani et Titi magnanimitatem merito quis obstupescat, qui, post tot bella et certamina nobiscum, nihil immoderate in nos statuerunt*. Suidas: μετριοπαθεῖν· ἐκ μέρους τὰ πάθη κατέχεσθαι, συγγινώσκειν. Ἀγνοοῦσι καὶ πλανωμένοις, qui per incogitantiam, per oblivionem legis, aut subito motu absque deliberatione lapsi sunt. In

criminibus gravioribus, si innotuissent, nihil poterat sacerdos summus. ἐπεὶ—ἀσθένειαν) *Quia et ipse undique premitur infirmitate*, imbecillitati est obnoxius. Metaphora a veste et περιβολαίῳ desumta. Ἀσθένεια modo ad animum, modo ad corpus refertur. Hic de infirmitate animi usurpatur, qua accidere potuit Sacerdoti, ut aut oblivisceretur praecepti alicuius de tam multis, aut ut id non ita repente ipsi in mentem veniret. Quoniam ipse est homo, et scit, quid sit peccare, igitur fert indulgenter eos, qui inscii peccant, nec iis irascitur.

3. Καὶ διὰ ταύτην—ὑπὲρ ἁμαρτιῶν) Διὰ ταύτην, sc. ἀσθένειαν. De sacrificiis, quae a sacerdotibus, quum *pro se ipsis*, tum pro *universo populo* offerebantur, Leviticus inprimis est legendus. *Pro populo* singulis diebus duo faciebant תָּמִידִים *iugia*, mane et vespera Pontifex pariter et alii sacerdotes, offerentes ante *pro se ipsis*, Levit. IX, 7. Praesertim pro se ipsis, et populo omni sacrificabant Pontifices Maximi in anniversario diei Expiationis sacro, Levit. XVI, 6. 11. 17. 24. De sacrificiis Pontificum *pro peccatis*, quae ex *oblivione* aut *inconsiderantia* ipsi commiserant, lege Levit. IV, 3—12. Similitudinem Christi et Pontificis humani non ultra tertium comparationis extendendam esse, sponte apparet. Similitudo nempe haec est: Humanus Pontifex ipse peccat; ergo lenis est erga peccantes. Christus afflictus est; ergo libenter opem fert afflictis. Quare addit Apostolus c. IV, 15. χωρὶς ἁμαρτίας.

4. Καὶ οὐχ ἑαυτῷ—Ἀαρών) *Praeterea non arrogat sibi aliquis honorem* (munus publicum), *sed qui*

vocatus a Deo, ut et Aaron vocatus est. Aaron ex Dei decreto Exod. XXIX, 4. sqq. Num. VIII, 20. sacerdos constitutus est, ut in eius familia munus hoc maneret haereditarium. Hic novum argumentum tractatur. Ostenditur nempe, Christum iure meritoque haberi pro Pontifice, quamvis non ortus sit e tribu Levi. Τιμὴ, munus publicum, ad quod quis rite vocatus est, nominatim in hoc loco ἱερωσύνη. Erat nempe sacerdotium τιμὴ, κατ' ἐξοχήν, et a Iudaeis regiae dignitati ac splendori praeferebatur, ut ex Agrippae litteris ad Caium patet, quas Philo legationi ad istum inseruit. Vid. p. 1031. C. Ita commate sequente, quod hic τιμὴ dicitur, δόξα est.

5. Οὕτω καὶ — γεγέννηκά σε) Οὐχ ἑαυτὸν ἐδόξασε, *non ipse sibi honorem tribuit.* Qui superbia ducebantur, vel aliis affectibus, eum ad se rapere honorem tendebant, ut, qui cum Core conspiraverant; ut Alcimus et Maccabaei, quum tamen iure hereditario Aaronis gens a Deo privilegium accepisset, ut maior natu per totam vitam summus Sacerdos permaneret. Christum autem Pontificem constituit Deus. Locum Ps. II, 7. iam supra I, 5. adductum, iam repetit, ut ostendat, Christum ab eodem vocatum esse ad Pontificatum, a quo esset pro filio, vel summo Rege declaratus, i. e. a Patre, ac proinde longe augustiori sensu sacerdotem esse, quam fuerint sacerdotes Aaronitici.

6. Καθὼς — Μελχισεδὲκ) Ἐν ἑτέρῳ, sc. τόπῳ. Locus autem habetur Ps. CX, 4. Ἱερεὺς et Ἀρχιερεὺς promiscue usurpantur. Κατὰ τὴν τάξιν in hebraico textu: עַל־דִּבְרָתִי, i. e. καθάπερ, κατὰ τὸν ὁμοιό-

τητα, *instar*, ut 2 Maccab. IX, 18. litterae Antiochi ad Iudaeos dicuntur ἐπιστολὴ ἱκετηρίας τάξιν ἔχουσα, i. e. *plane litterarum supplicatoriarum instar scriptae.* Christus est Sacerdos similis Melchisedeco; ergo non opus erat, ut ex tribu Levi nasceretur. Hoc Scriptor infra c. VI, 20. et c. VII. ulterius persequitur. Nunc explicat, quid nobis prosit noster Pontifex, Iesus Christus. Obrutus mersusque calamitatibus, expertusque scit, quid sit, miseriis adfligi, adeoque hominibus eas perferentibus libenter auxilium fert, sollicitis nominatim de piamine et salute piamen et salutem exhibet, Vs. 7. 8. 9.

7. Ὃς ἐν ταῖς — προσενέγκας) *Qui inter homines adhuc degens, preces et supplicationes ad eum, qui eum morti poterat eripere, cum querelis et lacrymis effundens.* Ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς σαρκὸς αὐτοῦ, *illo tempore, quo inter mortales homo agebat.* Ἡμέρα enim, sive in numero plurali ἡμέραι, dicuntur pro χρόνος, καιρὸς, ut בימים *in diebus.* Σάρξ, hebr. בשר, *tota hominis natura.* Aut, si mavis, σάρξ h. l. *status infirmus ac multis malis obnoxius*, ut Ies. XXXI, 3., ut ad tempus passionis Christi respiciatur. Δεήσεις τε καὶ ἱκετηρίας, *preces et supplicationes*, 2 Maccab. IX, 18. X, 16. Μετὰ κραυγῆς ἰσχυρᾶς καὶ δακρύων, nonnulli referunt ad historiam Iesu in horto Gethsemane, ubi ἐκτενέστερον προσηύχετο, Luc. XXII, 44., alii vero ad clamorem in cruce. Ad utrumque recte referri potest. καὶ εἰσακουσθεὶς ἀπὸ τῆς εὐλαβείας) *Et ex sollicitudine ereptus.* Εὐλάβεια, יִרְאָה, *timor, anxietas,*

Ios. XXII, 24. יִרְאֵי Ies. LVII, 11. et aliis locis. Hesychius εὐλαβεῖσθαι, φοβεῖσθαι. Εἰσακούεται autem ἀπὸ τῆς εὐλαβείας, qui ex sollicitudine, et qua premitur, anxietate cordis, *eripitur* atque *liberatur*. Ita sumitur εἰσακούειν pro σώζειν 2 Paralip. XVIII, 31. et Ps. XXII, 24. Ἀπὸ pro ἐκ. Alii voc. εὐλάβεια h. l. *pietatis, reverentiae* significatione accipiendum praecipiunt, Praepositionem ἀπὸ autem vertunt *propter, ob* (ut Luc. XIX, 3. XXIV, 4. Actor. XII, 14. Ioann. XXI, 6.), ut sensus sit: *et propter pietatem tandem exauditus a Deo.* Sed priorem interpretationem censemus praeferendam.

8. Καίπερ ὢν—τὴν ὑπακοήν) *Quamvis esset filius, tamen patiendo discere debuit obedientiam*, vel patiendo documentum sui in Patrem obsequii edere debuit. Obedientia Christi in eo erat, quod negotium sibi a Deo demandatum perfecit; ad hoc negotium pertinebat etiam, ut moreretur. Hoc Christus praestitit, eoque declaravit, se velle obedire. Dum autem Iesus inter lacrimas et supplices preces tempus extremarum miseriarum transegit, mortique se obtulit, expertus miserias ipse novit, quid sit obedire, quam durum, molestum, grave sit, alterius voluntati se accommodare, durissimis quibusque altero postulante se exponere. Phrasis: *discere obedientiam* h. l. humano more sumta, commode de Christo est explicanda. Alludit Scriptor ad proverbium graecum: παθήματα, μαθήματα, quales sententiae, et cum simili Paronomasia sunt ferme in linguis omnibus. Ita apud Herodotum Croesus dicit sibi γεγονέναι μαθήματα τὰ παθήματα, i. e. rebus adversis se redditum esse doctiorem. Ἀφ' ὧν

ἔπαθε, i. e. ἀπ' ἐκείνων, ὧν vel ἃ ἔπαθε. Καίπερ ὢν υἱὸς. Vulgo pater tractat filium leniter, nec cogit illum, patiendo obedire. Deus vero duriter tractavit Christum, filium sibi carissimum.

9. Καὶ τελειωθεὶς — σωτηρίας αἰωνίου) *Et felicem rerum suarum exitum consecutus*, i. e. *constitutus Dominus, etiamnum est caussa et dator salutis aeternae omnibus ei obsequentibus.* Vid. notata ad c. II, 10. Αἴτιος *auctor, qui est in caussa.* Ita Philo in fine libri de Cherub. Deum nominat αἴτιον τοῦ σώζεσθαι, *quo auctore salutem adipiscimur.* Τοῖς ὑπακούουσιν αὐτῷ, *obedientibus ipsi*, i. e. religionem eius suscipientibus, eique convenienter se gerentibus, Christianis veris. Respicitur simul ad ὑπακοὴν Christi Vs. 8. Christus obedivit Patri suo, et factus est Dominus omnium. Sic et nos, si Christo obedimus, accipiemus aeternam salutem.

10. Προσαγορευθεὶς — Μελχισεδέκ) Προσαγορευθείς, נִקְרָא, *vocatus, constitutus.* Redit Apostolus ad rem susceptam Vs. 6., sed mox iterum digreditur usque ad c. VII, 1.

11. Περὶ οὗ — ταῖς ἀκοαῖς) *De qua re prolixius nobis est dicendum; nam difficilis est res explicatu, quia segnes estis auribus* (ad discendum), i. e. propter segnitiem vix ac ne vix quidem potestis capere. Digressio, quae continet increpationem, adhortationem, ac solatium ad finem usque capitis sequentis. Δυσερμήνευτος, *difficilis explicatu.* Artemidorus 3. Oniroorit. 67. τοῦτον οὖν τὸν τρόπον καὶ οἱ ὄνειροι μεμιγ-

μένοι εἰκότως εἰσὶ ποικίλοι καὶ πολλοῖς δυσερμήνευτοι. Νωθροὶ Graecis proprie sunt *tardi ad ambulandum.* Ex segnitie autem oritur imbecillitas ingenii, et plane stupor, sic quidem etiam νωθρὸς pro homine *stupido* sumitur, quomodo Laertius *Hipponicum* νωθρὸν καὶ χασμώδη nominat.

12. Καὶ γὰρ — τῶν λογίων τοῦ Θεοῦ) Ὀφείλοντες εἶναι διδάσκαλοι, *qui iam deberetis esse idonei ad docendos alios.* Διὰ τὸν χρόνον, pro ratione temporis, ex quo percepistis Evangelii doctrinam. Πάλιν h. l. est *iterum.* Olim enim a Christo, deinde ab Apostolis satis iam instructi erant doctrinis religionis. χρείαν — τοῦ θεοῦ) *opus est vobis aliquem vos docere prima rudimenta oraculorum divinorum.* Τινὰ, *aliquem.* Alii malunt τίνα, *quaenam sint prima elementa*, et supplent με post χρείαν ἔχετε. *Opus habetis, me docere vos.* Τὰ στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς, *prima rudimenta;* nam illud ἀρχῆς est ἐξηγητικὸν. Omnium artium principia vocantur elementa. Τὰ λόγια τοῦ θεοῦ, *oracula Dei*, praecepta et instituta divina, et h. l. doctrina christiana, in qua sunt maxima et summe necessaria Dei oracula, quae et sic dicuntur 1 Petr. IV, 11. καὶ γεγόνατε — τροφῆς) *Ac facti estis* tales, *quibus opus sit lacte, neque vero solido cibo.* Doctrinam cibo comparari (vid. 1 Cor. III, 2. coll. 1 Petr. II, 2.), apud multos scriptores obvium. Arrianus in Epict. II, 16. οὐ θέλεις ἤδη ὡς τὰ παιδία ἀπογαλακτισθῆναι, καὶ ἅπτεσθαι στερεᾶς τροφῆς. Plura exempla vide apud *Carpzovium.*

13. 14. Πᾶς γὰρ — καλοῦ τε καὶ κακοῦ) *Quisquis enim lacte* (tantum) *nutriendus est, non capit insti-*

tutionem iustam (perfectiorem), *infans enim est. Peritiorum vero est solidus cibus, quorum sensus per habitum ita sunt exercitati, ut utile et noxium discernere possint.* Ὁ μετέχων γάλακτος, supple: tantum. Νήπιοι, *infantes*, et τέλειοι, *adulti* sibi opponuntur. Philo in lib. de agricult. pag. 188. E. ἐπεὶ δὲ νηπίοις μέν ἐστι γάλα τροφὴ, τελείοις δὲ τὰ ἐκ πυρῶν πέμματα, καὶ ψυχῆς γαλακτώδεις μὲν ἂν εἶεν τροφαὶ κατὰ τὴν παιδικὴν ἡλικίαν — τελεῖαι δὲ καὶ ἀνδράσιν εὐπρεπεῖς — αἱ ὑφηγήσεις. *Quoniam autem infantibus lac nutrimentum est, adultis vero, quae e frumento coquuntur: animae quoque suum lac debetur in aetate tenera, sicut viros perfectum alimentum decet.* Λόγος δικαιοσύνης, *institutio iusta*, veri nominis institutio, est illa στερεὰ τροφὴ, quae mox nominatur τελειότης, et Genitivus est pro Adiectivo. Sic iusti nominis statura dicitur, quae ad summum pervenit. Et אֱמֶת, *veritas*, saepe vertitur δικαιοσύνη. Στερεὰ τροφὴ, *solidus et validus cibus.* Ἕξις, *habitus.* Mosi ἕξιν νομοθετικὴν tribuit Philo, L. II. de vita eius, p. 1154. E. Τὰ αἰσθητήρια γεγυμνασμένα ἐχόντων πρὸς διάκρισιν καλοῦ τε καὶ κακοῦ, i. e. αἴσθησιν γεγυμνασμένην ἐχόντων etc. Τὰ αἰσθητήρια, proprie: ὄργανα τῆς αἰσθήσεως, hoc loco ipsum τὴν αἴσθησιν significant. Quanquam et *organa sensoria* recte intelligere potes. Sicut enim in homine externo lingua, palatum, nares indicant, quae res bonae, quae malae sint, sic et homo interior sua habet αἰσθητήρια, per quae facile iudicat, quid verum, quid falsum. Καλὸν, *utile*; κακὸν *noxium.* Ceterum notandum est, *lac infantibus prae-*

bendum Vs. 12. primas quidem esse doctrinas Christi, sed *solidiorem cibum* esse subtiliorem modum doctrinas christianas ducendi ex umbris Veteris Testamenti, non autem excellentiorem Christi cognitionem. Cf. c. VI, 1.

CAP. VI.

1. Διὸ — φερώμεθα) *Quapropter, missis nunc primis initiis doctrinae Christianae, ad doctrinam paullo difficiliorem progrediamur.* Διὸ, ne semper tales maneatis, quales iam esse vos dixi, spectans maximam vestri partem. Ἀφεῖναι λόγον, *omittere sermonem*, nihil de aliqua re *dicere*. Arrianus Diss. Epict. L. IV, c. 1. τὸν μὲν Καίσαρα πρὸς τὸ παρὸν ἀφῶμεν, *de Caesare in praesentia loqui desinemus.* Ὁ τῆς ἀρχῆς τοῦ Χριστοῦ λόγος, per enallagen ἡ ἀρχὴ τοῦ περὶ Χριστοῦ λόγου, prima christianae doctrinae initia. Φέρεσθαι, *festinare, se convertere* ad aliquid proponendum. Per τὴν τελειότητα Apostolus non intelligit excellentiorem religionis christianae cognitionem, quae primis initiis sit opposita; huius enim cognitionis, quam exquisitiorem dicunt, nihil posthaec Apostolus commemorat, sed Iudaeorum proprium sacrae scripturae interpretandae modum. Nam c. VII. sqq. copiose persequitur rationem more Iudaico e Scripturis eruendi excellentiam Christi doctrinaeque christianae; et supra c. V, 11. Hebraeos νηπίους dixerat ac νωθροὺς ταῖς ἀκοαῖς propterea, quod comparatio Christi cum Melchisedeco esset difficilis ad interpretandum, i. e. eruendum e scripturis. μὴ πάλιν

—νεκρῶν ἔργων) i. e. *onn iterum repetentes prima fundamenta, de resipiscentia a peccatis.* Philo de septenar. p. 1187. B. ἀρχὴν βαλλόμενος ὥσπερ θεμέλιον. Νεκρὰ ἔργα *facta mortua*, i. e. mortem efficientia. Mors autem saepe ponitur pro quacunque miseria. Erga νεκρὰ ἔργα erunt *opera, quae miseriam afferunt, peccata*, Philo in fine Lib. I. leg. Allegor. p. 60. Ὁ δὲ ψυχῆς θάνατος ἀρετῆς μὲν φθορά ἐστι, κακίας δὲ ἀνάληψις, *animae mors est corruptio virtutis et assumtio vitii.* Sic ἀποθνήσκειν, *mortis reum esse*, Rom. VII, 10. et verba מות תמות Gen. II, 17. Symmachus interpretatur θνητὸς ἔσῃ. Locum de *peccato*, ac *resipiscentia ab illo* Ioannes baptista iam inculcaverat, Matth. III, 2. 8. — καὶ πίστεως ἐπὶ θεὸν) *De fide et fiducia in Deum*, praecipue qualem doctrina Christi requirit. Fides in Christum simul est fides in Deum.

2. Βαπτισμῶν διδαχῆς) De baptismis in multitudinis numero loquitur Apostolus, quia Iudaeis multae erant rituales lotiones, lege mandatae, non modo ad sordium purgationem, sed ad peccatorum etiam abstersionem, et sequiori aetate Baptismus, qui ad regenerationem *proselytarum* pertinebat. Accessit denique baptismus christianus. Nosse autem Hebraei discrimen debebant inter hunc et illos; nam haec doctrina erat θεμέλιον πρῶτον religionis christianae. Ex *Storrii* sententia, quam *Heinrichs* probat, βαπτισμοὶ, est baptismus qui *in plures homines* confertur. Nam pluralis saepe impersonaliter adhibetur, sive de uno, sive de pluribus sermo sit. Vid. Marc. V, 35. coll. Luc. VIII, 49. ἐπιθέσεώς τε χειρῶν) *De impositione ma-*

nuum, quae Symbolum erat donorum Spiritus Sancti, quae promissa atque data sunt Christianis in baptismo. Quid de hac manuum impositione et donis Spiritus S. statuendum sit, diximus ad 1 Tim. IV, 14. ἀναστάσεως — αἰωνίου) *De resurrectione mortuorum et poenis aeternis.* Κρῖμα αἰώνιον, *poenae aeternae*, cf. Matth. XXIII, 14. Luc. XXIII, 40. Rom. XIII, 12. Videtur igitur ἀνάστασις νεκρῶν hic esse resurrectio piorum ad beatam et aeternam vitam.

3. Καὶ τοῦτο—ὁ Θεὸς) i. e. *Iam agite igitur, Deo auxiliante.* Verba καὶ τοῦτο ποιήσομεν, cum Oecumenio, Theophylacto, Theodoreto recte referuntur ad comma 1. ἐπὶ τὴν τελειότητα φερώμεθα, *ad rem paullo difficiliorem progrediamur*, nempe ad explicationem V. T. et accommodationem eius ad Christum; ad comparationem historiae et oeconomiae V. T. cum nova hac et christiana oeconomia etc. Ἐάν περ ἐπιτρέπῃ ὁ Θεὸς, permittente, et vires largiente Deo. Alii τοῦτο referunt ad initia doctrinae christianae, ut sensus sit: Sed et hoc suo tempore faciam; denuo inculcabo vobis prima religionis christianae elementa.

4. 5. 6. Ἀδύνατον — παραδειγματίζοντας) (4) *Difficillimum enim est, eos, qui semel recte edocti sunt, et penitus perceperunt doctrinam coelestem, et participes facti sunt Spiritus sancti*, (5) *et gustarunt egregiam* (laetam) *Dei promissionem et vires* (bona) *novae huius constitutionis*, (6) *sed defecerunt, ad meliorem mentem revocare, quum illi filium Dei* (Messiam) *denuo quasi in crucem agant, et omnium*

contumeliae exponant. Commata 4. 5. 6. inter se connexa sunt; et bene cohaerent cum antecedentibus. Dicit nempe Apostolus, rem sibi non esse cum Apostatis, quales tum erant inter Hebraeos, c. X, 26., nec se istorum in gratiam prima elementa religionis repetere velle, frustraneum hoc arbitratus: siquidem fieri non posse ut eiusmodi homines corrigantur; similes enim eos esse terrae improbae, in quam, quod semen conieceris, periret omne, Vs. 7. 8. Ἀδύνατον, construendum esse cum πάλιν ἀνακαινίζειν εἰς μετάνοιαν, nemo non videt. Hic locus maxime in caussa fuit, cur diu Romana ecclesia cunctata sit, hunc librum in canonem recipere, ut liquet ex *Tertulliano de pudicitia.* Nam in illa controversia, an lapsi in persecutionibus in gremium ecclesiae recipi possent, illi qui severiores erant in lapsos, hunc locum urgebant. Quia autem Romana ecclesia in disciplina erga lapsos mitior erat ceteris ecclesiis, hunc autem locum suae consuetudini contrarium esse putabat, igitur hanc epistolam Pauli esse negabat. Sed ἀδύνατον h. l. non est metaphysice impossibile, sed potius res ita difficilis, ut propemodum sit impossibilis, ut centies in vita communi dicere solemus. ἅπαξ, *semel*, opponitur τῷ πάλιν Vs. 6. φωτισθέντες sunt *edocti*; nam φῶς *lumen*, saepe est *institutio*, quo sensu φωτίζειν occurrit 2 Cor. IV, 4. 6. Exod. IV, 12. et multis aliis locis. Alii intelligunt baptisma. Et φωτισμὸς dicitur quidem *baptisma* a Patribus Apostolicis, Clemente Romano, Iustino Martyre, aliisque Ecclesiae doctoribus; sed hic et in loco parallelo c. X, 26. φωτίζεσθαι est λαβεῖν τὴν ἐπίγνωσιν τῆς ἀληθείας. Γεύεσθαι τῆς δωρεᾶς ἐπουρανίου, *penitus per-*

cepisse et intellexisse, *fide etiam apprehendisse doctrinam Evangelii*, vel beneficia religionis christianae. *Gustare* eodem sensu usurpatur a *Philone* Lib. I. de monarch. p. 816. A. μάρτυρες δ' οἱ μὴ χείλεσιν ἄκροις γευσάμενοι φιλοσοφίας, ἀλλὰ τῶν λόγων καὶ δογμάτων αὐτῆς ἐπιπλέον ἐστιαθέντες. *Sicut testantur, quicunque non extremis solum labris philosophiam degustarunt, sed plene delectati sunt dogmatum eius epulis.* Lib. de somn. p. 590. A. ψυχαὶ δ', ὅσαι θείων ἐγεύσασθε, *at vos, o animae, quotquot percepistis amorem Dei.* Ἡ δωρεὰ ἡ ἐπουράνιος, varie explicatur; mihi autem videtur esse ipsum beneficium religionis, quod recte vocatur *donum coeleste, vel divinum*, Eph. I, 3. Μετόχους πνεύματος ἁγίου, *participes Spiritus sancti*, i. e. donorum, et beneficiorum religionis christianae, qualia sunt: rectior Dei cognitio, adiumenta virtutis, solatium in afflictionibus, spes felicitatis aeternae firmissima.

5. Καλὸν θεοῦ ῥῆμα, *egregia illa promissa*, hebr. טוב דבר, Ier. XXIX, 10. XXXIII, 14. Intelligitur h. l. Evangelium, ut recte viderunt Chrysostomus, Theophylactus, Oecumenius, Ambrosius, et opponitur legi V. T. quae erat ζυγὸς καὶ Φορτίον ἀβάστακτον, Act. XV, 10. Γεύεσθαι hic construitur cum Accusativo, non cum Genitivo; ut commate antecedente. Sed Plato etiam habet: νέους αὐτῶν γεύεσθαι, et λόγον γεύεσθαι. Δυνάμεις μέλλοντος αἰῶνος secundum nonnullos sunt *dona miraculosa tempore N. T.* Nam δυνάμεις saepe sunt *miracula*, dona miraculosa, et μέλλων αἰὼν, עולם הבא, *tempora Messiae.* Sed

δυνάμεις rectius h. l. esse possunt *vires*. *Gustare* vel *experiri* vires regni Messiae, esset: experiri quid religio christiana efficere possit? Potest autem nos reddere felices. Possumus etiam intelligere *vitam aeternam*, quae interdum vocatur *mundus futurus*. Δύναμις, חַיִל, *opes, bona*. Ita γεύεσθαι δυνάμεις μέλλοντος αἰῶνος esset: *habere praegustum vitae aeternae*.

6. Παραπεσόντας hic dici eos, qui a religione christiana deficiunt, iam ad comma 4. monuimus. Hebraei etiam נָפַל sic usurpant, et verbum מָעַל, παραπίπτειν vertitur Ezech. XIV, 13. XV, 8. XVIII, 24. Πάλιν ἀνακαινίζειν, non est pleonasmus; nam ἀνὰ in compositione non semper significat πάλιν. In phrasi πάλιν ἀνακαινίζειν εἰς μετάνοιαν aut subaudiendum est ἑαυτούς, aut integer sensus est: πάλιν ἑαυτοῖς ἀνακαινίζειν ὁδὸν εἰς μετάνοιαν, aut denique, si mavis, ἀνακαινίζειν est שׁוּב, quod saepe significat *in priorem statum restituere*, ut Ps. CIII, 5. Thren. V, 21., ut sensus sit: nemo tantus est magister, qui id facere possit. ἀνασταυροῦντας—παραδειγματίζοντας) i. e. Publice ostendunt, credere se, Christum dignum fuisse cruce, omnique ignominia. Ἀνασταυροῦν idem est quod σταυροῦν, nec significat *rursus crucifigere* (qui hoc statuunt, vertunt: *dum filium Dei rursus denique cruci affigunt, quantum in iis est)*. Sic apud Sextum Empir. Pyrrh. Hyp. III, 24. Πέρσας δέ φασιν ἀνασκολοπίζειν τοὺς ἀποθανόντας. Ubi ἀνασκολοπίζειν simpliciter est *suspendere*. Ἑαυτοῖς, *apud se*. Ex egregia figura dicuntur facere id, quod approbant

actum. Παραδειγματίζειν est ὑβρίζειν, *aliquem infamare*. AdChristianos sceleste v iventes hoc dictum referri nequit. Nam sermo est de Christianis, qui redeunt ad religionem Iudaicam. Sensus igitur totius loci est talis: Non facile fieri posse, ut ad sanam mentem redeant illi, qui, quum instituti fuerint, et praestantiam religionis christianae cognoverint, ita ab ea defecerint, ut Iesum Messiam contemnant atque publicae ignominiae eum exponant.

7. Γῆ γαρ—ἀπὸ τοῦ Θεοῦ) *Nam ager, qui crebrum imbrem combibit, et gignit fruges, utiles colentibus eum, copiosa messe ornatur*, (vel fertilior redditur.) *Bibere* etiam Graecis terra dicitur, quum irrigatur; veluti Anacreon carmen εἰς τὸ δεῖν πίνειν incipit: ἡ γῆ μέλαινα πίνει. Philo comparat terram cum spongia, aquam super sese venientem imbibente. Βοτάνη h. l. idem valet, quod hebr. עֵשֶׂב, et significat omne id, quod ex terra nascitur, etiam *fruges*. Εὔθετον ἐκείνοις, δι' οὓς καὶ γεωργεῖται, *utiles illis per quos* (vel propter quos) *colitur*, i. e. fundi Dominis. Μεταλαμβάνει εὐλογίας ἀπὸ τοῦ Θεοῦ, i. e. *larga et copiosa messe a Deo ornatur*. Similis phrasis 2 Cor. IX, 6. Applicatio facilis. Tellus, quae pluvias accepit, est Christianus, qui bona religionis accepit; is fert fruges, i. e. bene utitur sua religione; Deus ei benedicit, i. e. praemiis eum ornat, et in hac et in futura vita.

8. Ἐκφέρουσα — εἰς καῦσιν) Ἀδόκιμος καὶ κατάρας ἐγγύς, *inutilis est, et domino suo maxime displicet*, ita ut eam exsecretur, adeoque ab eo negligitur, non

amplius colitur. Hesychius: *ἀδόκιμον, πονηρὸν, ἀποβλητον, ἄχρηστον.* Ἐγγὺς rem brevi futuram significat. Brevi futurum est, si talis manet, ut dominus terram talem exsecretur. Ἧς τὸ τέλος εἰς καῦσιν, *cuius* (scil. *terrae*, veluti ob improbitatem fallaciamque puniendae) *exitus erit combustio.* Hebraismum sapit, in quo חָיְתָה cum praepositione לְ construitur, quae commode redditur per *εἰς*. Metaphora ab agricolis sumta, qui agros exurunt steriles. Virgilius, Georg. I, 84. *Saepe etiam steriles incendere profuit agros.* Et est Metonymia. Nam de terra dicitur, quod proprie iis rebus convenit, quae terrae superstant. Hic erit exitus, ut tandem dominus pertaesus sumtuum, villam et arbores, et senticeta exurat, habeatque derelictui. In applicatione sentibus et tribulis respondet contemtus christianae religionis; maledicto herili, damnatio; incendio poena gehennae.

9. Πεπείσμεθα—σωτηρίας) *Attamen de vobis meliora, et salutem vestram speramus.* Particula δὲ hic est adversativa, *attamen.* Πέπεισμαι, hic non est *certus sum;* nam de Hebraeorum *νωθρότητι* supra Vs. 2. erat questus, sed *spero, mihi persuadeo.* Τὰ κρείττονα, sc. *τούτων*, meliora, quam ut et vos a religione deficiatis. Ἐχόμενα σωτηρίας, *quae cohaerent cum salute; quae efficiunt et augent salutem,* vel *ipsa salus.* Nam ἔχομαι, sequente genitivo, *adhaereo alicui, vicinus, proximus sum,* in universum de iis dicitur, *quae quocunque modo cum altero sunt coniuncta.* Interdum ἐχόμενα redundat. Sic apud Philonem de Agric. p. 202. C. *τὰ καρτερίας καὶ σωφροσύνης καὶ τῆς ἄλλης ἀρετῆς*

ἐχόμενα sunt *fortitudo, temperantia, reliquaeque virtutes.*

10. Οὐ γὰρ — καὶ τῆς ἀγάπης) Sic enim legendum, non vero τοῦ κόπου τῆς ἀγάπης. *Non enim iniquus est Deus ita, ut obliviscatur* (i. e. rationem habeat nullam) *operis vestri ac amoris, quem ostendistis in nomen eius, quippe qui ministraveritis sanctis atque ministretis.* Τὸ ἔργον, per enallagen sunt *bona opera* Christianorum. Ἀγάπη, *liberalitas.* Οὐ γὰρ ἄδικος ὁ Θεὸς. Iustitiae est implere promissa, quare Deus iniustus aliquo modo dici posset, si non staret promissis. Obliviscitur autem, qui non remuneratur. Ἧς ἐνεδείξασθε εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ, *quam declarastis eius caussa*, erga eum. τὸ ὄνομα θεοῦ, ipse Deus. Sensus: ex obsequio erga Deum. διακονήσαντες — διακονοῦντες) Διακονεῖν per Synecd. est *victum et vitae necessaria procurare et suppeditare, beneficia exhibere.* Intelliguntur hic officia humanitatis et pietatis, quae ob Christi nomen vinctis et afflictis exhibuerant Hebraei, consolando fratres, cohortando, et varias pro iis molestias sustinendo.

11. Ἐπιθυμοῦμεν — ἄχρι τέλους) Τὴν αὐτὴν σπουδὴν, *par studium.* Πρὸς τὴν πληροφορίαν τῆς ἐλπίδος ἄχρι τέλους, *quod attinet spem et fiduciam firmissimam, ad finem usque retinendam.* Πληροφορία τῆς ἐλπίδος, *spes plena.* Haec Hebraeis adhuc defuerat. Vel: *unde spes salutis* (ipsis) certo confirmatur.

12. Ἵνα μὴ — τὰς ἐπαγγελίας) *Ne remissiores fiatis,* (nempe in fiducia et spe,) *sed imitemini eos, qui*

fide et constantia consecuti sunt bona ipsis promissa. Νωθρὸς, *tardus ad sperandum;* qui non facile sperat, sed semper dubitat. Μακροθυμία hic non est longanimitas, sed *patientia, constantia in adversis.* Κληρονομούντων positum pro κληρονομησάντων, Praesens pro Praeterito, et κληρονομεῖν est *adipisci, consequi.* Ἐπαγγελίαι, per meton. *bona promissa.*

13. Τῷ γὰρ—καθ' ἑαυτοῦ) *Quum enim Deus Abrahamo promitteret aliquid, iuravit per seipsum, quia per superiorem se non poterat iurare.* Ἐπαγγελίαν intelligit, quae statim Vs. 14. adducitur. Sumit Apostolus a promissione Abrahamo facta occasionem dicendi de firmitate voluntatis divinae, quam ex iureiurando illustrat. Deum nonnisi *per seipsum* iurare Philo etiam dixit, respiciens ad verba Gen. XXII, 16. 17. L. III. Alleg. p. 98. E. Ὁρᾷς γὰρ, ὅτι οὐ καθ' ἑτέρου ὀμνύει Θεὸς· οὐδὲν γὰρ αὐτοῦ κρεῖττον, ἀλλὰ καθ' ἑαυτοῦ, ὅς ἐστι πάντων ἄριστος. Idem Scriptor L. de plantar. Noë. p. 225. E. ὅρκον describit: τὸ πίστεως βεβαιότατον σύμβολον, μαρτυρίαν Θεοῦ περιεχούσης, *fidei signum longe firmissimum, coniunctum cum Dei testimonio.*

14. Λέγων — πληθυνῶ σε) *Profecto, valde fortunabo te, et insigniter multiplicabo te,* posteros tuos. Eadem verba in LXX. loco Gen. XXII, 17., nisi quod pro πληθυνῶ σε, ibi est πληθυνῶ τὸ σπέρμα σου. Ἦ μὴν, *certe, profecto,* est iurandi formula, quam adhibent optimi scriptores, Herodotus, Xenophon, Demosthenes, aliique. Εὐλογῶν εὐλογήσω σε hebr.

כִּי־בָרֵךְ אֲבָרֶכְךָ, *valde, omnino te fortunabo.* Quamvis enim non semper sit emphasis in eiusmodi loquendi formula, in nonnullis tamen locis repetitio verbi eiusdem amplificare omnino significationem videtur; quemadmodum μέθην μεθύειν, non modo nude *inebriari*, sed subinde *vehementer inebriari*, significat. Πληθυνῶ σε. In hebraeo est: *semen tuum*, posteros tuos.

15. Καὶ οὕτω — ἐπαγγελίας) *Et quum constans in fide permansisset, consecutus est tandem promissam felicitatem*, non tantum numerosam posteritatem post mortem sed etiam aeterna bona; nam haec omnino exspectavit, Hebr. XI, 10. sqq.

16. Ἄνθρωποι — ὀμνύουσι) *Apud maiorem se*, nimirum apud Deum summum, omnibus rebus praestantiorem. καὶ πάσης — ὁ ὅρκος) Constr. καὶ ὁ ὅρκος εἰς βεβαίωσίν (sc. πρόσθετος s. προστιθέμενος) ἐστιν αὐτοῖς πέρας πάσης ἀντιλογίας, *ut iusiurandum ad confirmationem additum, finiat omnes controversias*, vel omnia dissidia. Καὶ, ῾, *ut.* Ἀντιλογία, quasi *cogitatio in contrarium*, tanquam id, quod dicitur, verum non esset: adhibetur de disceptantibus in iudiciis, ac controvertentibus. Nisi potius ἀντιλογία h. l. sit *dubitatio*, quod contextus requirere videtur, ut infra c. VII, 7. Iusiurandum igitur omnes lites vel dubitationes componit, ita ut firmetur aliqua causa. Propterea, quod iusiurandum apud homines tantopere valeat ad res confirmandas, Deum quoque dicit eodem usum esse apud Abrahamum.

17. Ἐν ᾧ περισσότερον — ἐμεσίτευσεν ὅρκῳ) *Quam ob caussam, quum Deus excellentissimo modo confirmare vellet iis, ad quos promissio pertinet, consilium eius esse immutabile, interposuit iusiurandum.* Ἐν ᾧ, sc. πραγματι (nempe Deum inter et Abrahamum agendo), i. e. διὸ, διὰ τοῦτο. Περισσότερον, *multo insignius*, pro Superlativo: *modo excellentissimo gravissimoque.* Οἱ κληρονόμοι τῆς ἐπαγγελίας, *ad quos illa promissio, Abrahamo facta,* εὐλογῶν εὐλογήσω σε, quasi haereditatis iure *pertinet*, quibus Deus aeque ac Abrahamo promisit, se eos fortunare velle, si fide imitentur Abrahamum. Potest vero per enallagen intelligi ipse Abrahamus. Μεσιτεύειν, *intervenire*, et speciatim *intervenire iureiurando, interponere iusiurandum.*

18. Ἵνα διὰ — ἐλπίδος) *Ut per duas res immutabiles, in quibus Deus fidem fallere non potest, certum solatium habeamus, nos, qui eo confugimus, ut teneamus propositam nobis spem.* Διὰ δύο πραγμάτων ἀμεταθέτων, *per duas res, quarum Deum non poenitet*, nempe promissum et iuramentum. ψεύδεσθαι improprie dicitur, cuius verbis aliquis fallitur, ideo quod ea non intelligat. Παράκλησις hic non *adhortationem* significat, sed *consolationem.* καταφυγόντες κρατῆσαι, i. e. πρὸς τὸ seu εἰς τὸ κρατῆσαι τῆς προκ. ἐλπ., nisi potius velis πρὸς καταφεύγειν καὶ κρατῆσαι, *qui eo confugimus, ut firmiter teneamus spem nobis propositam*, nempe in Evangelio, et promissione illa, de qua antea erat sermo. Metaphora a navigatione desumta; nam haec spes statim cum ancora comparatur. Dicere videtur Apo-

stolus, nobis Christianis *iureiurando* aliquid a Deo promissum esse. Sed ubi extat illud iusiurandum? Respondeo: In exemplo Abrahami, quod nobis proponitur, ut ex eo aliquid discamus. Discimus vero ex illo, Deum, si aliquid velit, serio illud velle; si aliquid promittat, serio illud promittere. Iam Deus nobis Christianis aliquid promisit. Ergo spes nostra tam certa est, ac si Deus promissionem iureiurando confirmasset. Fortassis etiam respicitur ad cap. VII, 20. sq. Dum enim Deus Christo promisit iureiurando sacerdotium, nobis promisit salutem aeternam per hunc nostrum sacerdotem aeternum adipiscendam.

19. Ἣν ὡς ἄγκυραν — καταπετάσματος) Ἣν (sc. ἐλπίδα, non παράκλησιν, ut nonnulli volunt) ἔχομεν ὡς ἄγκυραν τῆς ψυχῆς ἀσφαλῆ τε καὶ βεβαίαν, *cui spei innitimur, tanquam tutae et firmae animi ancorae.* Profani etiam *spem* cum *ancora* comparare solent. Demophilus in *similitud. opusc. myth. Galei:* τὸ αὐτό ἐστιν ἐξ ἀσθενοῦς ἀγκυρίου σκάφος ὁρμίζειν, καὶ ἐκ Φαύλης γνώμης ἐλπίδα, *idem est navem infirmae ancorae et spem animo perverso inniti.* Εἰσερχομένην iterum ad ἐλπίδα refertur. *Haec spes penetrat veluti velum interius, extendit se ad coelum.* Τὸ καταπέτασμα, פָּרֹכֶת, *interius velum*, Sancto Sanctorum oppansum, quo discernebatur a Sancto. Hoc loco intelligitur *coelum* (sicut c. VIII, 2. IX, 11.), quod cum templo comparatur, ex Iudaeorum more.

20. Ὅπου πρόδρομος — αἰῶνα) Πρόδρομος, *praecursor*, est quasi *primipilus* et auctor, infra c. XI, 10.

XII, 2., qui nobis aperuit introitum in coelum. Post digressionem satis longam redit Apostolus ad propositum, et explicat locum Ps. CX, 4., quem adduxerat supra c. V, 6. 10.

CAP. VII.

1. Οὗτος γὰρ — ὑψίστου) *Hic enim Melchisedecus* fuit *rex Salemi* etc. Rectius tamen, ut *Wolfius* monuit (in Curis ad h. l.) haec verba referuntur ad phrasin Vs. 3. ultimam: μένει ἱερεὺς εἰς τὸ διηνεκές. Scriptor enim c. VI, 20. dixerat, Christum factum esse Pontificem in aeternum, et quidem ad exemplum Melchisedeci. Itaque probandum erat, Melchisedecum talem fuisse; quod in sequentibus perficitur. Historia Melchisedeci et Abrahami legitur Gen. XIV, 18. sqq. Est autem *Melchisedech* nomen proprium in Phoenice, sive Cananea, pari forma qua Adonisedek, Ios. X, 10. Nam interponere Iod nominibus compositis, mos est illarum gentium. *Salem* videtur fuisse tota regio a Iebusaeis, Chittaeorum affinibus occupata, vel etiam huius regionis sedes regia, haud procul a planitie, quae antea Siddimorum vallis, deinde mare Salsum dicebatur, ubi Sodoma ac Gomorrha, Adama et Zeboim erant sitae; quae urbs sequenti forte tempore deleta disiit esse, aut aliud adepta est nomem. Nisi plane Salimorum terra, a Saulo, asinam quaerente, peragrata, 1 Sam. IX. 4. et a Graecis dicta Σααλίμ, intelligatur. Ἱερεὺς τοῦ Θεοῦ ὑψίστου. Gessit nempe Melchisedecus rex simul munus Sacerdotis, quod pristinis gentibus erat usitatum. ὁ συναντήσας—εὐλογήσας

αὐτὸν) Gen. XIV, 17. *Obviam profectus Abrahamo, reverso a caede regum, eique bona precatus est.* Εὐλογεῖν est verbum satis late patens. Nostro loco reddi debet: *bene precari, gratulari.* Non benedictio sacerdotalis, sed bona vota, et amicae gratulationes intelliguntur. In Genesi Melchisedecus dicitur Abrahamo panem et vinum obtulisse, i. e. hospitio eum excepisse.

2. Ὧι καὶ δεκάτην—Ἀβραάμ) Δεκάτην, sc. μοῖραν vel μοιρίαν. Ἀπὸ πάντων sc. τῶν ἀπροθυμίων, Vs. 4. Persolvit autem Abrahamus decimas in honorem Dei summi, quem et Melchisedecus et Abrahamus colebant, Gen. XIV, 40. Vetustissimus mos fuit omnium gentium de praeda decimam Deo dare. πρῶτον μὲν — εἰρήνης) Βασιλεὺς δικαιοσύνης, i. e. βασιλεὺς δίκαιος, *rex iustus.* Βασιλεὺς εἰρήνης, *rex pacificus*, vel potius *salutem, incolumitatem afferens.*

3. Ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος) Syrus hic non male: *cuius nec pater, nec mater scripti sunt in genealogiis.* Genus eius a Mose non recensetur, ac ne pater quidem aut mater; unde videas, quantum hic distet a Leviticis sacerdotibus, qui patre debebant esse Aaronide, matre autem Israëlitide, Levit. XVIII, 1. XXI, 14. Sic Seneca Epist. CVIII., quum dixisset duos Romanos Reges esse, *quorum alter patrem non habeat, alter matrem*, idipsum explicans dicit, de *Servii* matre dubitari; *Anci* patrem nullum dici. μήτε ἀρχὴν — ἔχων) Nempe in Mosis historia, qui alioqui de viris magnis agens addere solet, quando nati, quan

do mortui sint. *Carpzovius: Qui primus est atque ultimus in sui generis sacerdotio.* Ἀφωμοιωμένος δὲ τῷ υἱῷ θεοῦ) *Similis autem Messiae*, nempe ex mente vatis in Ps CX. Μένει ἱερεὺς εἰς τὸ διηνεκές, i. e. λέγεται μένειν, Psalmus ait, *eum manere sacerdotem in perpetuum.* Sic autem dicitur, quia munus eius in suo genere unicum est, primum pariter et ultimum. εἰς τὸ διηνεκές, *in perpetuum, perenne, in aeternum.* Dicitur alibi de eo, quod per omnem vitam durat. Sic Plutarchus Caesarem ait Dictatorem fuisse εἰς τὸ διηνεκές, *per omnem vitam, perpetuum.*

4. Θεωρεῖτε — ὁ πατριάρχης) *Animo vero perpendite, quantae dignitatis sit ille, cui Abrahamus adeo, caput gentis nostrae, prosolvit decimas manubriarum.* Ἀκροθίνια, *manubiae.* Apud Latinos, Ciceronis certe ac Livii aetate vocabulum hoc significabat eam praedae partem, quae Imperatori cedebat, ut illam ad sacra vel publica opera, templa inprimis erigenda et ornanda, impenderet. Καὶ Ἀβραὰμ, *ipse adeo Abrahamus.* Ὁ πατριάρχης, רֹאשׁ אָבוֹת *caput gentis Iudaicae ac patrum.* Πατριὰ apud LXX. et *tribum* et *familiam* notat.

5. Comparat decimas ab Abrahamo Melchisedeco datas, cum iis, quae Levitis debebantur. Καὶ οἱ μὲν — ἀδελφοὺς αὐτῶν) *Ex posteris Levi sacerdotium accipientes*, i. e. Sacerdotes ex Levi et Aaronis posteritate oriundi. Ἐντολὴν ἔχουσιν, *ius hoc habent*, מְעַשְּׂרִים. Ἀποδεκατοῦν τὸν λαὸν, *a popularibus suis decimas exigendi.* Κατὰ τὸν νόμον, *secun-*

dum normam a Deo praescriptam. καίπερ—Ἀβραάμ) *Quanquam ex eodem Abrahamo erant procreati.* Competebat quidem Sacerdotibus ius decimandi, sed tantum in fratres, non se superiores, vel dignitate praestantes. Ex lumbis exire dicuntur Hebraeis, qui ex alicuius semine nascuntur, Gen. XXXV, 11. Exod. I, 5. etc.

6. Ὁ δὲ — εὐλόγηκε) Cuius genus neque a Levi, neque ab Abrahamo deducitur, i. e. Melchisedecus, is decimas exegit ab *Abrahamo*, et bona apprecatus est ei, qui promissiones acceperat (Abrahamo nempe). Quantus igitur debet haberi Melchisedecus, qui bona poterat apprecari ei, cui Deus ipse ea promiserat!

7. Χωρὶς — εὐλογεῖται) *Sine dubio autem minor* (dignitate) *a maiori bonis votis impertiri solet.* χωρὶς πάσης ἀντιλογίας, *sine omni dubio; per se intelligitur;* αὐτόδηλον est. Τὸ ἔλαττον ὑπὸ τοῦ κρείττονος, Graecismus neutrius generis, pro: οἱ ἐλάττονες ὑπὸ τῶν κρειττόνων. Verbum εὐλογεῖν hoc loco est, *efficaciter, nomine et auctoritate Dei fausta atque felicia apprecari.* Sic Summus Sacerdos Iudaico populo *nomine Dei* bona apprecatus est, solenni illa formula Num. VI, 22. sqq. Alias inferiores dignitate superioribus bona apprecari possunt; sed hoc non faciunt vi muneris sibi demandati, ut Pontifices apud Iudaeos facere solebant.

8. Καὶ ὧδε—ὅτι ζῇ) *Et hic quidem,* in lege Levitica, *decimas sumunt, qui moriuntur,* ac plures habent in suo munere successores; *illic autem,* in loco

Geneseos, *is decimat, qui testimonio probatus est, quod vivat*, quem locus Psalmi vivere testatur, qui sacerdotii sui primus fuit et ultimus. Melchisedecus enim perpetuo vivere dicebatur secundum illum Psalmi locum, quoniam nihil de eius morte memoratur. Ὧδε μὲν *hic quidem*, opponitur τῷ ἐκεῖ δὲ, *illic autem*, ne repetendum esset ex Vs. 5. οἱ ἐκ τῶν υἱῶν Λευὶ τὴν ἱερατείαν λαμβάνοντες, et ex Vs. 6. ὁ μὴ γενεαλογούμενος ἐξ αὐτῶν.

9. Καὶ ὡς ἔπος — δεδεκάτωται) *Et, ut ita dicam, in persona Abrahami ipse Levi, cuius posteri decimas accipiunt, dedit decimas.* Audacior videbatur locutio; ideo Apostolus adiicit aliquod μεῖλιγμα. ὡς ἔπος εἰπεῖν, usitata optimis scriptoribus dictio.

10. Ἔτι γὰρ — ὁ Μελχισεδέκ) Phrasis ἐν τῇ ὀσφύϊ εἶναι, significat, Levin, et universam adeo tribum Leviticam sacerdotalem non ἐνεργείᾳ, sed δυνάμει fuisse in Abrahami et patrum suorum lumbis.

11. Εἰ μὲν οὖν — Ἀαρὼν λέγεσθαι;) *Iam si perfecti aliquid fuisset in sacerdotio Levitico, (nam respublica Israelitica ei tanquam fundamento nitebatur,) quid opus erat, alium Sacerdotem excitare, qui Melchisedeco, non autem Aaroni similis esse diceretur?* Τελείωσις fit per Sacerdotium i. e. Sacerdotium efficit id, quod efficere debet, vere expiat, vere tranquillat, vere sanctos, pios *et felices* reddit homines. Hoc autrm Sacerdotium Leviticum efficere non poterat. Quare alius Sacerdos erat constituendus, qui morti non esset obnoxius, ideoque meliora perficeret.

Ὁ λαὸς — νενομοθέτητο, *populus legem habebat de sacerdotio Levitico*, i. e. vi legis subiectus erat sacerdotio, tota civitas Iudaica eo (Sacerdotio) nitebatur, nec sine eo existere poterat. Νομοθετεῖν, *legem ferre*, et in Passivo *legem latam accipere, per leges regi et adminitrari* Ἐπ' αὐτῇ, sc. ἱερωσύνῃ, ea conditione, ut populus illi Sacerdotio esset subiectus. Ἐπὶ h. l. exprimit *conditionem*. In sequentibus: τίς ἔτι etc. urget scriptor verba Psalmi: κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδὲκ, ut evincat promitti sacerdotem non Leviticum. Ἀνίστασθαι dicitur, qui munus aliquod publicum ordítur, ut Exod. I, 8. Λέγεσθαι, nempe in Psalmo. Cur ille venturus Sacerdos ibi dicitur fore instar Melchisedeci, et non instar Aaronis?

12. Μετατιθεμένης — γίνεται) *Translato enim sacerdotio* in aliquem non Aaronidem, quod futurum praedicit Psalmus, *necessario etiam lex* de Sacerdotio *auctoritatem suam amittit*. Νόμου sc. ἱερατικοῦ, de quo supra egerat. Iudaei volunt, legem nulla in parte mutatum iri. At ex Psalmo apparet, mutatum iri, et quidem in eximia eius parte, nempe de sacerdotio; neque enim stante lege sacerdos aliquis esse potuit non Aaronides. Haec mutatio Sacerdotii erat in eo, quod Messias factus sit Sacerdos, non Leviticus, sed plane alius. Μετάθεσις, *transmutatio, abolitio*.

13. Ἐφ' ὃν—τῷ θυσιαστηρίῳ) *Iam vero is, de quo illa* (in Psalmo) *dicuntur, alia de stirpe natus est* etc. Illud γὰρ eo pertinet, ut, praestructis, quae oportebat, iam ostendat, sensum Psalmi illius omnibus partibus in Iesum Nazarenum competere. Ἐφ' ὃν, *in*

quem i. e. *de quo*, in quem ista dicta competunt. Μετέχειν Φυλῆς, *esse de tribu.* Cf. c. II, 14. Ἀφ' ἧς οὐδεὶς προσέσχηκε τῷ θυσιαστηρίῳ, *ex qua nemo operam dedit altari.* Προσέχειν, *animum attendere;* hinc per meton. *curare, operam dare.* Sic προσέχειν πολέμῳ, πράξει, ἔργοις, frequentia apud Graecos. Quidam Codices προσέσχε habent; alii προσέστηκε τῷ θυτιαστηρίῳ, *appropinquavit altari,* sed eodem utrinque sensu.

14. Πρόδηλον — ἐλάλησε) Ἀνατέταλκεν, *ortus est.* Respicitur ad locos V. T. ubi Messias צֶמַח, *germen,* (quod LXX. reddiderunt ἀνατολήν,) vocatur. Vide Zachar. III, 8. VI, 12. et Ies. LX, 1. Εἰς ἣν, *de qua,* ut modo ἐφ' ὅν, com. 13. Moses nihil dixerat, sacerdotem esse eligendum e tribu Iuda. Sequitur ergo ex Psalmo, aliam legem legi Mosis substitutum iri. Λαλεῖν interdum etiam est *promittere.*

15. 16. Καὶ περισσότερον—ζωῆς ἀκαταλύτου) *Et hoc ipsum* (quod dixi de legis mutatione,) *amplius etiam inde liquet, quod talis promittitur Sacerdos alius, Melchisedeco similis, qui non sit constitutus, vi legis, quae ad homines mortales, sed quae ad vitam immortalem pertineat.* Nunc etiam illa verba Psalmi urget Apostolus, in quibus ille promissus sacerdos dicitur εἰς τὸν αἰῶνα fore sacerdos. Cf. Vs. 17. Περισσότερον ἔτι κατάδηλόν ἐστιν. Rabbini dicerent ויותר ברור. Εἰ, *quia, quod,* ut hebr. אִם, כִּי. Οὐ κατὰ νόμον ἐντολῆς σαρκικῆς, vel ut alii legunt σαρκινῆς, *non vi legis, hominibus mortalibus datae.*

Κατὰ, *per, vi.* Ἐντολὴ σαρκικὴ, *praeceptum, institutum caducum, debile, quod hominibus mortalibus convenit*, quod tantum ad tempus durat. Nam σάρξ saepe dicitur quicquid est *caducum*. Hoc praescriptum temporaneum erat, quod lex Mosis constituit aliquem sacerdotem ad dies vitae. Νόμος ἐντολῆς est ipsa ἐντολὴ, lex, quae constat praescripto. Κατὰ δύναμιν ζωῆς ἀκαταλύτου, *propter vim vitae immortalis*, quia sit immortalis is, qui constituitur Sacerdos. Sensus igitur est: Promittitur in Psalmo sacerdos, qui non esset ex lege, quae constat ex praescripto ad dies vitae durante, sed qui haberet vim vivendi in aeternum. Is est Christus, qui habet hanc vim, ut in aeternum vivere possit.

17. Μαρτυρεῖ—Μελχισεδέκ) Μαρτυρεῖ γὰρ, *docet enim*, David nempe, vel Spiritus S. per Davidem. Nervus probandi latet in verbis εἰς τὸν αἰῶνα: nam demonstrandum erat, Iesum esse ἱερέα κατὰ δύναμιν ζωῆς ἀκαταλύτου, i. e. ἱερέα αἰώνιον. Premit illam vocem לְעוֹלָם, quae alibi quidem longum tempus significat, at hic aeternitatem. Ὅτι hic est recitantis.

18. 19. Ἀθέτησις—ἐγγίζομεν τῷ θεῷ) *Itaque* (vi horum verborum) *lex illa prior aboletur*, i. e. haec verba declarant, priorem illam legem abrogatum iri, *quia erat imperfecta et inutilis; (nam observatione rituum illorum legalium nemo vere expiari potuit,) contra vero promittitur melioris spei vel felicitatis auctor, quo mediante accedere ad Deum possumus.* Ἀθέτησις γίνεται, *aboletur, abrogatur.* Ἀθέτη-

σις opponitur τῇ ἐπεισαγωγῇ Vs. 19., verbis οὐδὲν γὰρ ἐτελείωσεν ὁ νόμος parenthesi inclusis; nam ἡ τινὸς ἀφαίρεσις, πρόσθεσις ἔστι ἑτέρου, ait Philo princip. libri de sacrif. Abel. et Caini. Τελειοῦν, *expiare, sanctos reddere homines, tranquillare.* In nullo horum lex Mosaica praestitit, quod debuit praestare. Προαγοῦσα ἐντολή, *prior lex*, *lex cerimonialis*, ac Sacerdotium Leviticum, quod antehac valuerat. Ἀσθενὲς, *imperfectum.* Hoc ut et sequens neutrum, ἀνωφελές, substantive sumitur. Οὐδὲν dici genere Neutro pro οὐδένα ἄνθρωπον, Theophylactus ad h. l. monet. Ἐπεισαγωγὴ, sc. γίνεται, inducitur praeterea, nempe verbis Psalmi, i. e. *promittitur*, ut c. I, 6. ὅταν εἰσαγάγῃ etc. Ἐλπὶς h. l. est *auctor spei*, vel felicitatis, ut 1 Tim. I, 1. Col. I, 27. Ἐγγίζειν τῷ θεῷ, *accedere ad Deum* est vox proprie sacerdotalis. Appropinquabant Iudaei ad templum, Dei sedem, postquam erant a peccatis purgati. Poterant bona a Deo petere, eique confidere. Igitur hoc loco: summa cum fiducia bona a Deo petere et exspectare.

20. 21. 22. Καὶ καθ' ὅσον — ἔγγυος Ιησοῦς) *Atque uti hic non sine iuramento* constitutus est sacerdos: *(nam illi quidem*, Levitae, *sine iureiurando facti sunt sacerdotes, hic vero*, Iesus, *cum iuramento factus est, per eum, qui dixit ei: iurat dominus* etc.) *ita etiam est mediator praestantioris foederis.* Καθ' ὅσον h. l. valet *ut, uti;* et κατὰ τοσοῦτον, *ita*, vel illud *quatenus* et hoc *eatenus.* Οὐ χωρὶς ὁρκωμοσίας, sc. γέγονε ἱερεύς. Ὁρκωμόσια in Neutro plurali dixit Plato; quae vox explicatur per θύματα, ἐφ'

ὧν οἱ ὅρκοι γίνονται, unde Hesychius in Lexicon verba transtulit. Glossatores autem τὸ ὁρκωμόσιον et τὴν ὁρκωμοσίαν promiscue pro *iureiurando* adhiberi dicunt. Descendit ab ὅρκος et ὀμόσαι. Οἱ μὲν, nempe Sacerdotes Levitici. Εἰσὶν ἱερεῖς γεγονότες, pro γεγόνασι, eodem modo, quo τετυπότες εἰσὶ, ἀπολελοιπότες εἰσὶ, πεπτωκότες εἰσὶ, atque alia. Ὁ δὲ, nempe Christus, in Psalmo praedictus, sacerdos constitutus est. Κρείττονος διαθήκης ἔγγυος, *melioris religionis sponsor*. De voce διαθήκης lege quae annotavimus ad titulum horum librorum: ἡ καινὴ διαθήκη. Est nempe *foedus Dei* cum hominibus proprie promissio bonorum cum conditione. Facit igitur Deus *foedus novum*, quando promittit alia bona, cum alia conditione, aliis hominibus. Hoc autem novum foedus, de quo hic sermo, est melius illo vetere. Nam olim Deus promiserat nationi Iudaicae bona huic nationi propria, cum conditione ut Mosaicam legem observarent. Nunc autem promittit omnibus nationibus veniam peccatorum et felicitatem aeternam cum conditione ut credant. Huius novi foederis ἔγγυος, *mediator* est Christus, quatenus mortem cruentam pertulit, seu sanguinem fudit, sanguine inauguravit foedus. Vid. infra cap. IX, 18. sqq. Ἔγγυος, *sponsor, promissor*. Vetus Glossarium: ἐγγυῶ, *spondeo*, ἐγγύη, *vadimonium, fideiussio*; ἔγγυος, ἐγγυητὴς, *sponsor, fideiussor*.

23. Καὶ οι—παραμένειν) Ἱερεῖς, i. e. ἀρχιερεῖς, *Pontifices Maximi*, quorum supra septuaginta fuerunt ab Aarone ad tempus excidii. Non poterant permanere in Sacerdotio, morte id prohibente.

24. Ὁ δὲ—τὴν ἱερωσύνην) *Non transmittit Sacerdotium.* Leviticorum sacerdotum munus παρέβαινε, *transibat* a decessore ad successorem; hic vero Sacerdos manet in perpetuum, nec finire olim vitam potest. Sacerdotium eius primum est in suo genere, et item ultimum. Hactenus autem aeternus sacerdos dicitur Christus, quatenus nunc, postquam in coelum abiit, nobis salutifer est. Hoc statim Vs. 25. aliis verbis repetitur.

25. Ὅθεν—ὑπὲρ αὐτῶν) *Unde et perpetuam salutem afferre potest iis, qui per eum favorem Dei consequi cupiunt, quia semper vivit, et pro iis intercedit.* Ex eo, quod Christus, in aeternum vivens, aeternus est sacerdos, concludit Apostolus, eum in aeternum posse salutiferum esse et evergetam iis, qui Deum per ipsum adeant. Repetit hoc sic: nam ideo vivit in perpetuum, ut horum hominum caussa medium se interponat, εἰς τὸ ἐντυγχάνειν ὑπὲρ αὐτῶν. Per indolem vero et usum linguae is dicitur ἐντυγχάνειν τινὶ, qui praesens, absens, ulla de caussa cum altero agit et tractat aliquid; et quot de caussis, quot item modis cum altero agit, tot significationibus variatur vis huius verbi, adeoque de deprecante, commendante, se alterius caussa interponente, accusante, paciscente dicitur. Iam autem, quum h. l. et Rom. VIII, 34. haec Christi ἔντευξις referatur ad illud tempus, quo is Deo dexter sedet; non ad illud, quo his in terris humilis vixit, facile intelligitur, hoc describi: Christum regnantem adhuc esse et manere caussam salutis nostrae et datorem, et qui salutem quaerant, hos propter hunc et per hunc eam certo accipere. Vid. *Sam.*

Fr. Nath. Mori dissertatt. theolog. et philolog. p. 298. seq. Εἰς τὸ παντελὲς, *omnino, prorsus;* vel idem est, quod comm. 3. εἰς τὸ διηνεκὲς. Chrysostomus et Theophylactus: *in praesenti et futura vita.* Προσέρχεσθαι τῷ θεῷ, *accedere ad Deum*, i. e. quaerere eius favorem et benevolentiam.

26. Τοιοῦτος γὰρ — οὐρανῶν γενόμενος) Ἔπρεπεν, i. e. conveniebat, talem nobis pontificem dari; *necessarius nobis erat talis Pontifex M.* Ὅσιος, *pius.* Ἄκακος, *remotus ab omni re mala.* Ἀμίαντος, qui non tantum pollutus non fuerit istis contaminationibus externis, de quibus agitur Levit. XXII., sed nec ullo vitio. Κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν, *separatus, ergo diversus a peccatoribus, omnis peccati expers.* Ὑψηλότερος τῶν οὐρανῶν γενόμενος, supra aërem et aetheream regionem positus, ergo apud Deum, *qui in coelos translatus sit*, celsissimus, omnibus creaturis superior. Describitur maiestas summa et imperium Christi. Cf. infra c. VIII, 1. et Eph. IV, 10. *De Christo coelis altiore* docta extat commentatio *Io. Guil. Ravii*, Theologi Erlangensis, qui etiam examinat novas interpretationes *Telleri*, verbum οὐρανὸν de re s. *ecclesia Iudaica* explicantis, et *Blaschii*, qui eidem vocabulo vim prope oppositam tribuit, eoque N. T. *oeconomiam* s. *omnia, quae Deus ad reconciliandos sibi homines per Christum constituit*, designari autumat.

27. Ὃς οὐκ ἔχει — τοῦ λαοῦ) Καθ' ἡμέραν hic videtur esse *saepissime*, quoties res fert. Neque enim tantum in sacro anniversario, sed et quoties aut sum-

mus sacerdos conscius sibi esset subreptionis alicuius, aut alius quivis, offerebantur victimae *περὶ ἁμαρτίας*. Sic et *Philo* lib. de special. leg. p. 797. E. ait: *Ἀρχιερεὺς κατὰ τοὺς νόμους εὐχὰς δὲ καὶ θυσίας τελῶν καθ' ἑκάστην ἡμέραν*. Et in lib. de victim. p. 836. et seq. multa fatur de sacrificiis *καθ' ἑκάστην ἡμέραν*. Facit autem ad nostram tranquillitatem, quod Pontifex noster non debuit pro se sacrificium offerre; nam ex eo discimus, eum omnia nostri caussa et commodo nostro fecisse atque tulisse. *τοῦτο γὰρ — ἀνενέγκας*) *Ἑαυτὸν ἀνενέγκας*, *quum se ipsum morti obtulit*, nempe pro peccatis humani generis; pro se ipso enim offerre opus non habuit, quia peccati plane erat expers, Vs. 26. 27.

28. *Ὁ νόμος γὰρ — τετελειωμένον*) *Lex enim* cerimonialis *Pontifices maximos sistit homines, qui et ipsi peccant,* et aliorum peccata expiare non possunt; *sed promissio iureiurando confirmata, post legem data, Pontificem Maximum constituit Filium, qui est perfectus* (Dominus constitutus) in aeternum. *Ἔχοντες ἀσθένειαν*, qui infirmi sunt, vitiosi. *Ὁ λόγος τῆς ὁρκωμοσίας*, declaratio iureiurando firmata. Intelligitur declaratio Ps. CX. de sacerdote Messia. Dicitur autem haec declaratio facta esse *μετὰ τὸν νόμον*. Declaravit nempe Deus hoc tempore Davidis, qui diu post legem vixit. Itaque hoc iusiurandum abrogat legem Mosis. In voce *τετελειωμένος* respicitur ad *Ἱερεῖον τελειώσεως*, *victimam perfectionis et consecrationis*, ut Philo eam nominat L. III. de vita Mosis p. 676. A. In antecedentibus, de sacrificiis Pontificum pro se ipsis locutus, offerre eos

arietem dixerat, εἰς τὴν τῶν ἱερωμένων διὰ καθάρσεως ἁγνευτικῆς παντέλειαν, ὃν ἐτύμως τελειώσεως ἐκάλεσεν, *ad absolutam omnis integritatis consummationem, quam apte Perfectionis appellavit Moses.* Possumus etiam τετελεί̓ωμένον interpretari simpliciter *perfectum*, i. e. sanctum et peccati expertem. Vid. supra II, 10.

CAP. VIII.

1. Κεφάλαιον — ἐν τοῖς οὐρανοῖς) *Sed praeter iam dicta caput rei est, nos talem habere Pontificem Maximum, qui considet ad dextram throni divini in summo coelo.* Κεφάλαιον, saepe est *id, quod in aliqua re excellit.* Chrysostomus: Κεφάλαιον ἀεὶ τὸ μέγιστον λέγεται, *caput semper dicitur, id quod est maximum.* Hoc loco significatur praecipua pars in tota hac tractctione de Christo, aeterno sacerdote. Haec autem est, quod sit excelsior et perfectior omnibus Sacerdotibus summis V. T. Dominus, qui iam cum Deo regnat. Θρόνος τῆς μεγαλωσύνης, כִּסֵּא כָבוֹד, significat *ipsam Dei maiestatem.* Vid. supra c. 1, 3.

2. Τῶν ἁγίων — ἄνθρωπος) *Qui sacerdotis munere fungitur in Sancto Sanctorum atque tabernaculo vero, quod fecit Deus, non homo*, i. e. *in coelo.* Λειτουργὸς est *publicus minister;* ac magistratuum officia, sacra et privata, λειτουργίαι vocantur. Inprimis ἡ προσφορὰ s. *sacrificium* dicebatur vulgo ἱερουργία et λειτουργία. Λειτουργὸς itaque h. l. est *Sacerdos.* Ἅγια, *Sanctum Sanctorum.* Et quidem

ἅγια ἁγίων ἀληθινά, s. οὐράνια opponuntur τοῖς ἁγίοις κοσμικοῖς, sicut statim σκηνὴ ἀληθινὴ tacite opponitur τῇ σκηνῇ πρώτῃ, c. IX, 1. Dicitur autem coelum, in quod Christus ingressus est, *tentorium verum*, quia non est tantummodo imitatio et adumbratio, sicuti illud Mosaicum. Hoc verum tentorium, coelum, Deus ipse fecit; illud Mosaicum fabricatum est ab hominibus, opificibus. Πήγνυσθαι proprie de tentoriis dicitur, quae clavis attinebantur, sed per translationem etiam de universo usurpatur. Christus munere Pontificis fungitur in coelo i. e. auctor felicitatis nostrae est in aeternum. Cap. VII, 28. Respicit autem auctor noster ad opiniones Iudaeorum, qui existimabant partem felicitatis in coelo expectandae, fore etiam cultum Dei externum, eundemque admodum magnificum et splendidum, longe splendidiorem, quam ille esset Hierosolymitanus in his terris. Cultum hunc divinum peractum iri putabant in templo, cuius imaginem Moses in monte Sinaitico vidisset. Cf. infra Vs. 5. Huic opinioni accommodat se auctor, additque Christum in sancto sanctorum vero, i. e. in coelo Pontificis Maximi munere fungi. Vid. *Kuinoelium* et *Heinrichsium* ad h. l.

3. Πᾶς — προσενέγκῃ) *Omnis enim Pontifex ad offerenda dona sacrificiaque constituitur, unde necesse est, ut hic quoque aliquid habeat, quod offerat.* Ostendit, cur dixerit λειτουργὸς, quia talis est omnis sacerdos summus. Necesse est igitur, Christus, quem Psalmus sacerdotem vocat, et quidem eximium supra Aaronidas, aliud offerat. Id quid sit, dicet infra c. IX, 12. Procurat nempe Christus etiam

nunc, in coelo, salutem nostram. Fructibus mortis eius semper fruimur.

4. 5. Εἰ μὲν γὰρ — τῶν ἐπουρανίων) Dixerat Apostolus comm. 2. ἔχομεν ἀρχιερέα seu λειτουργὸν οὐράνιον. Utramque inde notionem Apostolus evolvit. Nam comm. 3. illustrat vocabulum λειτουργὸς, eiusque ait esse munus τὸ προσφέρειν. Commate 4. alterum, οὐράνιος, explicat, et quidem ab indirecto. Post verba εἰ μέν γὰρ ἦν supple ἱερεὺς, et per ἱερέα intellige ἀρχιερέα μέγαν. Sensus: *Quodsi enim* (Christus) *esset* (Pontifex M.) *in his terris, plane non esset Sacerdos maximus*, nempe non esset eiusmodi Sacerdos, qualis in Psalmo describitur, *quum ii tantum* (in terra) *habeantur Sacerdotes, qui ex praescripto legis sacrificia offerunt, qui inserviunt figurae et umbrae coeli.* In his terris, in templo Hierosolymitano, non potest Iesus esse sacerdos; alii enim ex lege constituti sunt. Eo tempore, quo haec epistola est scripta, omnis cultus Leviticus adhuc floruit. Τὰ ἐπουράνια h. l. est ipsum *coelum*, ut Eph. I, 20. Ὑπόδειγμα καὶ σκιὰ τῶν ἐπουρανίων, *effigies et umbra*, i. e. *effigies adumbrata coeli.* Ministrant, λατρεύουσι *umbrae* i. e. ministri sunt in effigie adumbrata coeli, nempe in templo Hierosolymitano, quod est effigies adumbrata coeli. Ὑπόδειγμα explicatur per vocabulum sequens σκιὰ. Philo: παράδειγμα, μίμημα, τύπος. Hebr. תבנית. Theophylactus: ὑποδείγματα, τουτέστι ἀμυδρὰ δείγματα, *obscurae delineationes*, ut ἀμυδρὰ γράμματα, *litterae vetustate exoletae et subobscurae.* καθὼς—ἐν τῷ ὄρει) *Sicut Moses, tabernaculum*

sacrum fixurus, *iussus est a Deo id figere ad exemplum monstratum sibi in monte*, *χρηματίζεσθαι*, *divinitus admoneri*. Ita etiam apud Plutarchum de def. Oracul. et in N. T. saepius. Locus est Exod. XXV, 40., ubi dicitur, Mosi exemplar monstratum esse a Deo. Hoc non ita intelligendum est, ac si Mosi exemplar ob oculos positum fuisset; sed *monstrare*, est *verbis monstrare*. Iudaei autem putabant, Mosen omnia fabricasse ad exemplar ob oculos positum, ita ut totum tabernaculum fuerit effigies adumbrata coeli. *R. Bechai* dixit, Mosen vidisse res intellectuales atque spirituales. Vid. *Wolf.* in Curis ad h. l. *Philo*, postquam Lib. III. Allegor. p. 80. A. dixerat, Deum cognosci ex hoc universo, velut *διὰ σκιᾶς*, paullo post ita pergit: Μωσῆς μὲν γὰρ τὰ ἀρχέτυπα τεχνιτεύει, Βεσελεὴλ δὲ, τὰ τούτων μιμήματα etc. Hoc vult Apostolus: Omnia, quae in templo tanquam in umbra repraesentantur, ea in coelo sunt revera. In illo tabernaculo sanctum sanctorum repraesentat thronum Dei; sed coelum revera sedes Dei est, etc.

6. Νυνὶ δὲ—*νενομοθέτηται*) *Nunc autem eius Sacerdotium* (munus quo fungitur) *eo praestantius est, quo praestantioris foederis mediator est, quod melioribus promissis est sancitum*. Ante *διαφορωτέρας* supple *τοσούτῳ*. Τυγχάνειν, *nancisci*. Κρείττονος *διαθήκης μεσίτης* est idem qui cap. VII, 22. *ἔγγυος κρ. διαθ.* vocatur, is, qui conciliavit declarationem Dei excellentiorem illa vetere (Vs. 7.), qua non nisi Israelitis, si quidem praecepta per Mosen promulgata servassent, addixerat beatitatem, sed terrenam et perituram. Pro *τέθηται* maluit dicere *νεμο-*

μοθέτηται, ut ostenderet, pactum hoc simul et legem esse. Cf. VII, 11. Ἐπὶ vero cum Dativo h. l. ut saepe apud elegantiores Graecos significat contractus partem. Itaque ἐπὶ κρείττοσιν ἐπαγγελίαις est: *ita ut praestantiora promissa, praestantiores conditiones contineat.* Haec promissa adumbraverat Deus per Ieremiam c. XXXI, 31. sqq., cuius verba recitat Noster Vs. 8. sqq. Promissa est nobis hoc novo foedere, vel hac nova religione, remissio peccatorum certissima, et quidem in perpetuum, sine sacrificiis repetendis; requiritur a nobis maior vitae sanctitas.

7. Εἰ γὰρ — τόπος) Ἡ πρώτη, i. e. προτέρα ἐκείνη, sc. διαθήκη, *Religio.* Ἄμεμπτος, *perfectus.* Chrysostomus: εἰ οὐδὲν εἶχεν ἐλλιπὲς, εἰ ἀμέμπτους ἐποίει. Sensus est: Si vetus illa constitutio Mosaica homines vere emendare, eorumque animos tranquillare potuisset, non opus fuisset novo foedere, nova religione.

8. Μεμφόμενος—διαθήκην καινὴν) *Nam reprehendens* (illud foedus) *dixit illis* (Israelitis): *veniet tempus*, quo etc. Ostendit nunc auctor veterem illam oeconomiam non fuisse perfectam, non ἄμεμπτον, Vs. 7. Αὐτοῖς refertur ad λέγει, non ad μεμφόμενος. Αὐτοῖς sc. τοῖς ὑπὸ τῆς πρώτης διαθήκης οὖσιν. Nam auctor loquitur de priori foedere, tanquam de imperfectiore. Alii referunt Participium μεμφόμενος ad Israelitas et vertunt: *Dum* (Deus) *de illis conqueritur.* Verba Ieremiae c. XXXI, 31 — 34. Apostolus, memoria partim adiutus, partim Alexandrina de inter-

pretatione adducit, nonnullis tamen vocabulis mutatis, usque ad comma 12. Ἔρχονται, הִנֵּה, sono est praesens, sensu saepe futurum. Καὶ συντελέσω, i. e. *quum efficiam*, locutione frequenti Hebraeis. Ἐπὶ, אֶת *cum*, vel *erga*. *Pangam novum foedus cum gente Israelitica et gente Iudaica;* nova ratione efficiam, ut mihi obsequium praestent, meque pie colant Israelitae. Sensus quidem apertior huius et aliorum similium locorum respicit tempus illud, quo Iudaei prope omnes, et ex decem tribubus, qui vellent, restituti in patrias sedes, cultum Dei restituerant, qui nulla postea idololatria corruptus fuit, quod ante saepe evenerat. Sed verba in Christi tempora quadrant exactius; per hunc enim vere antiqua religionis forma non est renovata, sed facta plane nova, et quidem non diuturna, sed plane aeterna. *Iudae* autem et *Israelis* nomina ad Christi ecclesiam referuntur, quia haec nunc est populus Dei meliori iure, quam illi fuere.

9. Οὐ κατὰ—Αἰγύπτου) *Non simile foederi, quod feci cum maioribus eorum* etc. Κατὰ similitudinem significat. Ἐν ἡμέρᾳ, *circa illud tempus; quum eos manu prehensos ex Aegypto ducerem.* Nam solent, qui captivum carcere educunt, *eius manum prehendere*, quo ipso auxilium indicatur. Ἐξαγαγεῖν, i. e. εἰς τὸ ἐξαγαγεῖν. Οὐκ ἐνέμειναν ἐν τῇ διαθήκῃ μου, i. e. *non constanter observarunt mea religionis praecepta;* nam διαθήκη nunc praecepta religionis, nunc promissiones, nunc totam religionem significat. Ἠμέλησα αὐτῶν, *neglexi eos*, non exhibui illis maiora beneficia; in Hebraico contextu:

בְּעַלְתִּי בָם, *fastidivi eos.* Ἠμέλησα habent etiam Alexandrini. De caussa cur sic verterint, vid. *Dindorfii* additamentum ad h. l.

10. Ὅτι αὕτη—ἐπιγράψω αὐτοὺς) Ὅτι, כִּי, particula recitantis, *scilicet.* Διδοὺς, supple δώσω, ut LXX. habent. Διδοὺς νόμους — ἐπιγράψω αὐτοὺς, i. e. *efficiam, ut praecepta mea bene intelligant, et mente teneant.* Locutione ἐπιγράφειν τι ἐπὶ καρδίαν utitur Philo Lib. de opif. mund. p. 17. D. ἄνθρωποι γραψάμενοι ταῖς ἑαυτῶν ψυχαῖς. *Cicero* Acad. disp. 3. 1. *ille in animo suas res insculptas habebat.* Promittitur igitur, (quod *primum* est, in quo novi huius foederis praestantia cernitur,) liberalior divinae voluntatis cognitio, quae nec ab auctoritate Mosis sacerdotumque humana pendeat, nec legem Dei solis in tabulis scriptam illigatamque manibus complectatur, e qua praeter externam obedientiam nihil existat, sed cuius consequendae omnes ipsi facultatem habeant, teneantque animis imisque quasi medullis infixam. καὶ ἔσομαι — λαὸν) *Et ero ipsis Deus*, beneficiis eos ornabo; *et ipsi mihi erunt populus*, pie me colent.

11. Καὶ οὐ μὴ — γνῶθι τὸν κύριον) Οὐ μὴ διδάξωσιν, in potentiali, i. e. *non opus erit, ut doceant.* Pro τὸν πλησίον alii rectius legunt τὸν πολίτην. Non amplius opus erit, ut unus alterum subinde moneat, Iovam solum esse verum Deum, nec alios Deos colendos. ὅτι πάντες — μεγάλου αὐτῶν) i. e. *omnes, nullo excepto. Magni* et *parvi* nempe sunt pueri et senes, in omnibus fere linguis. Tritum praeterea

sermone proverbium est penes scriptores, μικρὰ καὶ μεγάλα, quando τὰ πάντα innuunt.

12. Ὅτι ἵλεως—μνησθῶ ἔτι) Ἀδικία, ἁμάρτημα, ἀνομία, cuiuscunque generis peccata denotant. Ἵλεως εἶναι, *poenas exigere nolle criminum.* Sic etiam *non meminisse peccatorum* est, ea *condonare.* Hoc est *alterum,* in quo praestantia novi foederis cernitur, quod est certissima spes, fore, ut non, quemadmodum sub lege Mosaica repetitis sacrificiis memoria delictorum semper fuerat repetita, ita nunc quoque hominibus semper nova supplicia metuenda, sed ut Deus iis semper propitius sit, nec peccatorum delictorumque unquam meminerit. Utrumque Iesus Christus sua morte paravit, qua et hominum peccata prorsus expiavit, eosque Deo planissime reddidit gratiosos, et ita voluntatem divinam in Evangelio propositam sanxit, ut nec hominibus praeter Evangelium opus sit nova institutione, nec novo alio sacrificio, quo eorum peccata deleantur.

13. Ἐν τῷ λέγειν—ἀφανισμοῦ) Παλαιοῦσθαι est *veterascere,* deinde *antiquare,* inutile reddere, ut sunt senes decrepiti, a quibus haec metaphora est ducta. Hic vero rectius vertitur: *de eo tanquam antiquato loqui.* Ἀφανισμὸς, notat *discessum,* saepe *interitum* ac *internecionem.* Sensus igitur est: *Dum* (Propheta) *novum foedus promittit, primum illud pro antiquato declarat; quicquid enim senescit, id fini et interitui propinquum est.*

CAP. IX.

1. Εἶχε — κοσμικὸν) *Habuit igitur primum etiam foedus leges de cultu divino, et sanctum terrestre.* Instituit Apostolus comparationem inter munus Aaronis et Iesu Christi, ad tollendum praeiudicium eorum, quibus splendidus apparatus Aaronicae λειτουργίας oculos praestringebat, ut illam aegerrime dimitterent. Vox σκηνὴ recte omittitur; deest enim in Codicibus, Versionibus et Patribus diversarum recensionum, et post ἡ πρώτη potius supplendum est διαθήκη ex antecedentibus. Δικαιώματα λατρείας, constitutiones *ad cultum Dei publicum pertinentes.* Τὰ δικαιώματα, quicquid ἐδικαίωσεν ὁ Θεὸς, *rectum Deus esse voluit, leges, praecepta, constitutiones Dei*, cuiuscunque generis. Ita LXX. hebraicas voces מִצְוֹת, מִשְׁכָּטִים et חֻקִּים verterunt. Ἅγιον κοσμικὸν, *sanctuarium mundanum*, oppositum sanctuario coelesti, vel coelo, quod est sancta sedes Dei. De tabernaculo loquitur Mosaico, priore illo, quod Philo p. 665. nominat ἱερὸν Φορητὸν, LXX. σκηνὴν τοῦ μαρτυρίου; in thesauris templi postea asservato.

2. Σκηνὴ — ἅγια) *Nam structum erat tabernaculum anterius, in quo erat candelabrum, et mensa, et panes spectando propositi, quod* (tabernaculum) *dicitur sanctum.* Σκηνὴ, i. e. מִשְׁכָּן, saepe vocatur totum illud tabernaculum, sive *tentorium* potius, cuius erant duae partes potissimae, sed quae et ipsae recte

σκηναὶ dicuntur, quia habebant quaeque suum velut tectum. Igitur σκηνὴ πρώτη h. l. est προτέρα, seu anterior pars, cui in templo respondet locus, quem Philo πρόναον nominat, הֵיכָל. Δευτέραν autem vocat eam, quae ob maiorem sanctimoniam vocabatur ἅγια ἁγίων, cui in templo respondebat דְּבִיר, locus oraculi. ἐν ᾗ ἦ τε λυχνία) מְנוֹרָה *candelabrum.* Exod. XXV, 31 — 39. XXXIII, 17 — 24. καὶ ἡ τράπεζα — ἄρτων) *Mensa* שֻׁלְחָן, et panes duodecim in ea positi. Ἡ πρόθεσις τῶν ἄρτων, pro: οἱ προτεθέντες ἄρτοι, locutione frequente et Hebraeis et Graecis, sunt לַחְמֵי פָּנִים Exod. XXV, 30., ita dicti, quia in conspectu erant semper sacerdotibus. Omisit *altare suffitus* memorare, sed non omnia Sancti ornamenta recensere volebat. ἥτις λέγεται ἅγια) Ἥτις, sc. σκηνὴ, ἡ πρώτη. Deinde non ἁγία scribendum, sed ἅγια, ut ex sequentibus apparet.

3. Μετὰ — ἅγια ἁγίων) Καταπέτασμα, פָּרֹכֶת proprie vocabatur velum Sanctissimo oppansum; κάλυμμα, מָסָךְ autem, obversum Sancto, quibus alii tertium, τῆς αὐλῆς adiiciunt. Philo L. III. de vita Mos. p. 669. B. τὸ μὲν ἔνδον καλεῖται Καταπέτασμα, τὸ δ' ἐκτὸς προσαγορεύεται Κάλυμμα. Sed invaluit, ut utrumque aulaeum καταπέτασμα diceretur. Ἅγια ἁγίων, קֹדֶשׁ הַקָּדָשִׁים, Exod. XXVI, 33. *Locus sanctissimus.* Nam comparativos aut superlativos Hebraei per Genitivos additos saepe exprimunt.

4. Χρυσοῦν ἔχουσα θυμιατήριον) Θυμιατήριον potest significare vel aram suffitus, vel thuribulum. *Altare*

suffitus hic intelligi non potest; hoc enim fuisse ἐν τῇ σκηνῇ τῇ ἐξωτέρᾳ satis constat ex Mose, Exod. XXX, 1. sqq. Philone, Iosepho, Rabbinis. Itaque alii intelligunt *thuribulum*, et locum nostrum ita capiendum esse existimant, ut sacerdos summus quotannis intulerit illud thuribulum sancto sanctorum, die expiationis, Levit. XVI, 12. Sed hoc est durum; dicitur enim ἔχουσα etc. Quamobrem alii putant scriptum fuisse ἱλαστήριον, quod omnino responderet historiae. καὶ τὴν κιβωτὸν—χρυσίῳ) Πάντοθεν, i. e. ἔνδοθεν καὶ ἔξωθεν, Philo L. III. de vit. Mosis p. 668. C. ἡ δὲ κιβωτὸς ἐν ἀδύτῳ καὶ ἀβατῷ τῶν καταπετασμάτων εἴσω, κεχρυσωμένη πολυτελῶς ἔνδοθεν καὶ ἔξωθεν, *arca autem in Sanctissimo intra aulaea, intus et extra undique auro obducta est.* Exod. XXV, 10—16. XXXVII, 1—5. ἐν ᾗ στάμνος—μάννα) Ἐν ᾗ, sc. κιβωτῷ non σκηνῇ, hanc enim intelligi, contextus non patitur. Στάμνος, *urceus, urna.* Glossar. Hesychii: στάμνος, ὑδρία, κάλπη, hebr. צִנְצֶנֶת Exod. XVI, 33. Ceterum, quod hic exponitur, id Moses factum aperte tradit, Exod. XVI, 32 — 34., ubi etiam dicitur, praeter tabulas legis *Virga Aaronis* reposita in arca fuisse. Neque is pugnat locus cum 1 Reg. VIII, 9. et 2 Chron. V, 10., ubi solae infuisse Legis tabulae perhibentur. Nam distinguenda sunt sempora. Mosis aetate, de qua hic sermo est, tria haec omnino ibi reposita erant; sed tempore Salomonis et exstructi templi, solae legis tabulae. Ad reliqua huius commatis cf. Num. XVII, 23. Exod. XXV, 16. XL, 20.

5. Ὑπεράνω—ἱλαστήριον) Χερουβὶμ τῆς δόξης, i. e. *Cherubini splendentes:* erant enim aurei. Exod.

XXV, 22. Levit. XVI, 2. Τὸ ἱλαστήριον, *operculum arcae*, Cf. notata ad Rom. III, 25. Κατασκιάζοντα τὸ ἱλαστήριον additur quia Cherubinorum alae sic erant expansae super illud arcae tegmen, sicut aves pullis incubant; unde proverbiale *umbra alarum*, Ps. LVII, 2. περὶ ὧν — μέρος) Περὶ ὧν, sc. πραγμάτων, sive δικαιωμάτων λατρείας, Vs. 1. Κατὰ μέρος, *singulatim*, ad singulas partes.

6. Τούτων δὲ οὕτω κατεσκευασμένων) i. e. quum ita se habeat tentorii exterioris et interioris structura. εἰς μὲν—ἐπιτελοῦντες) Non semel intrant, sed quotidie et ibi cultum peragunt, i. e. suffitum faciunt, panes proponunt, lucernam accendunt. Διαπαντὸς, respondet Hebraeo תָּמִיד. Ἡ πρώτη σκηνὴ sumitur ut supra com. 2. Ἐπιτελεῖν, ut et συντελεῖν solet poni pro עָשָׂה, vel פָּעַל quod est *facere, obire*.

7. Εἰς δὲ — οὐ χωρὶς αἵματος) Εἰς δὲ τὴν δευτέραν, quam et ἐσωτέρα i. e. in adytum. Ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ, בְּשָׁנָה, Exod. XXX, 10. Levit. XVI, 34. Is dies erat decimus mensis Tisri. Οὐ χωρὶς αἵματος, nempe vituli et hirci, Levit. XVI, 14. 15. Eo sanguine adspergebatur tegmen illud, sive ἱλαστήριον. Quum dicitur Summus Sacerdos semel intrasse, id intelligendum, quod uno tantum die intraverit. Hoc vero die aliquoties exivit, et rursus intravit. Primum enim intrare eum oportuit batilli inferendi caussa; deinde suffitus, deinde sanguinis vitulini primum, deinde et hircini. Itaque quater illo die eum intrasse ait *Moses Kotzi*. ὃ προσφέρει — ἀγνοημάτων) Προσφέρει, i. e. fert intra adytum; pro se vitulinum san-

guinem, hircinum pro populo. Ἀγνοήματα proprie dicuntur peccata, *quae per ignorantiam, involuntarie committuntur*, deinde vero per χαριεντισμὸν *quaevis delicta et peccata* hoc nomine indicantur, ut Judith V, 20. ubi ἀγνόημα, ἁμαρτάνειν et σκάνδαλον coniunguntur. Cf. Tob. III, 3. 1 Macc. XIII, 39. Haec significatio nostro loco obtinet; nam illo die expiabantur omnia peccata, quibus in lege non erat adiecta mortis poena.

8. Τοῦτο δηλοῦντος — στάσιν) *Quo ipso nos docet Spiritus sanctus, nondum patefactam fuisse viam ad Sancta Sanctorum, stante adhuc illo tabernaculo*, quum etiamnum sacrificant in anteriore parte, neque semper licet adire adytum. Δηλόειν, *docere, ostendere.* Τὸ πνεῦμα ἅγιον, *Spiritus Sanctus*, nempe per Mosen. Μήποτε πεφανερῶσθαι τὴν τῶν ἁγίων ὁδὸν, *nondum clare revelatam fuisse viam in coeleste illud Sanctuarium.* Τῶν ἁγίων, i. e. εἰς τὰ ἅγια sc. ἁγίων, et quidem ἀληθινὰ, *coelum.* Ἡ πρώτη σκηνὴ, *primum illud tabernaculum*, in quo cultus Leviticus peragebatur. Quamdiu igitur illud primum tabernaculum stetit, i. e. quam diu valuit cultus Leviticus, tam diu nondum patefacta erat via in coelum, verum illud et perenne Sanctum Sanctorum; nondum perspicue patuit, omnibus sine discrimine nationum et locorum hominibus patere viam ad gratiam Dei, et veram, aeternamque felicitatem; nam cultus ille Leviticus uni tantum populo erat adstrictus.

9. Ἥτις, sc. σκηνὴ πρώτη, παραβολὴ (intellige ἔστιν) εἰς τὸν καιρὸν ἑνεστηκότα, *quod ta-*

bernaculum usque ad hoc praesens tempus umbra tantum et imago est. Παραβολὴν Theophylactus h. l. interpretatur τύπου καὶ σκιαγραφίαν. Est vero παραβολὴ comparatio rerum duarum, sermo, quo continetur narratio ficta ad aliud spectans, hinc fabula et aenigma; tum etiam dicitur de re comparata, unde ipsa imago seu effigies rei alicuius. Sensus: Illa anterior templi pars ostendit, etiamnum non posse istis ritibus aliquem perfecte tranquillum reddi. In vocibus καιρὸς ἐνεστηκώς, Participium praeteriti sumitur praesenti tempore, notatque ea, quae adsunt, praesentia sunt. Καθ' ὃν — λατρεύοντα) *Quo sacrificia varii generis offeruntur, quae non possunt mentem offerentis tranquillam reddere.* Καθ' ὅν, sc. καιρὸν. Τὸν λατρεύοντα, non intellige sacerdotem, munere suo fungentem, sed quemlibet Iudaeum, qui suo nomine offerri voluit illa sacrificia. Κατὰ συνείδησιν, *quoad mentem*, atque conscientiam, ita ut nulla plane suspicio restet in animo, peccatum quoddam non expiatum fore. Hebraei ipsi probe intelligebant, cerimoniis Leviticis labes animi expiari non posse; intelligebant, Deum non gaudere muneribus ac donis, sed casta mente. Cf. Philo Lib. quod deter. pot. insid. pag. 159. B.

10. Μόνον — ἐπικείμενα) *Quae omnia una cum legibus ad cibos, potus et varii generis lotiones,* i. e. *ad corpus vitamque praesentem pertinentibus, tantum usque ad tempus correctionis* (melioris religionis introducendae) *constituta erant.* Ἐπικείμενα, refertur ad δῶρα, Vs. 9. (Quae omnia) *imposita*, constituta sunt. Ἐπὶ h. l. est *praeter*, s. *super, una cum.*

Βρώματα non dicit propter leges de cibis vetitis; nam adduntur πόματα, *potus*, quorum usus Israelitis non erat vetitus, nisi excipias Naziraeos, quibus lege Mosis praescriptum erat, ut durante tempore voti abstinerent vino, omnique potu inebriante. *Cibi* igitur h. l. sunt panes propositi, panes pentecostales ex tritico oblati, manipulus, sacrificiorum quaedam partes, et ferta a sacerdotibus comedenda. Caeteris Israelitis comedendi erant panes infermentati, et agnus paschalis. Πόματα intellige libamina ex vino, simpulis altaris infundenda, quae erant pars muneris sacerdotum. Reliquorum autem Israelitarum erant pocula paschalia. *Varias lotiones* nominat, quia lotio alia erat Sacerdotum, alia Levitarum, alia Israelitarum post impuritatem aliquam contractam. Δικαιώματα σαρκὸς, *praecepta ad corpus pertinentia*, quorum observatio hominem aut a poena liberabat, aut admittebat ad consortium aliorum hominum etc. Quae omnia pertinebant ad vitam praesentem. Καιρὸς διορθώσεως, tempus correctionis, i. e. in melius mutandorum sacrorum, ad tempus reformationis per Christum, qua vetera illa instituta sunt correcta et emendata.

11. Χριστὸς δὲ — ἀγαθῶν) *Quum autem Christus advenisset, summus Sacerdos bonorum futurorum* (coelestium). Iam ostenditur, per Christum, auctorem perfectioris religionis praestita esse omnia quae a Sacerdotibus summis V. T. et per cultum Leviticum praestari et effici nullo modo poterant; per eum patefactam esse nobis viam ad veram animi emendationem, tranquillitatem et felicitatem aeternam. Μέλλοντα ἀγαθὰ, i. e. *coelestia bona*. Pontifex τῶν μελλόντων

ἀγαθῶν vero Christus vocatur, quia coelestia et aeterna bona nobis acquisivit, veniam peccatorum perpetuam, Vs. 12., internam puritatem, sanctitatemque, Vs. 14., aeternam salutem, Vs. 15. διὰ τῆς μείζονος — κτίσεως) *Per maius et perfectius tabernaculum, non arte humana factum, hoc est, non huius structurae,* sc. εἰσῆλθεν εἰς τὰ ἅγια, Vs. 12. Continuat Apostolus coeptam similitudinem. Pontifex M. in V. T. per σκηνὴν πρωτέραν pervenit in Adytum: ita Iesus Christus post mortem et resurrectionem transiit per coelum aëreum et aethereum, in summum coelum, et consedit ad dextram Dei. Τὰ χειροποίητα sunt *opera, arte humana facta,* e. g. tabernaculum manu Bezeleelis fabricatum; et opponuntur quum his, quae sua sponte fiunt, tum coelestibus et divinis. Σκηνὴ οὐ χειροποίητος itaque h. l. est *mundus,* s. coelum aëreum aethereumque. Sic et Philo Lib. II. *de monarchia* statim ab initio dicit, *Dei templum summum verumque esse hunc mundum universum, et eius Sanctissimum esse coelum.* Κτίσις h. l. est *structura,* sicut verbum κτίζειν saepe est *condere,* e. g. κτίζειν πόλιν, *urbem exstruere.* Idem his verbis dicitur, quod c. VIII, 2.

12. Οὐδὲ δι' αἵματος — εὑράμενος) *Neque cum victimarum sanguine, sed cum suo sanguine intravit semel Sanctissima,* (sedem illam Dei,) *postquam comparaverat nobis morte sua redemtionem aeternam.* Praepositio διὰ conditionem indicat necessariam, qua Iesus Pontifex M. per Sanctum transiit tandem ad Adytum. Dicitur enim *per* aliquid fieri id, quod sine eo non fit. Sic Summus Sacerdos Iudaeorum non in-

trabat in adytum, nempe postremo introitu, nisi secum ferens sanguinem hircinum pro populo, vitulinum pro se. Διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος verte: *suo sanguine fuso*. *Bengelius* in *Gnomone* ad Hebr. VII, 24. statuit, et multis argumentis confirmare conatus est, hoc ad literam esse capiendum, et Iesum revera sanguinem effusum intulisse ad coelum, ibique Deo exhibuisse. Quum autem totus hic locus de Sacerdotio Christi *tropice* sit intelligendus, recte colligitur non hoc unum proprie capiendum, sed ut reliqua ad tropicum et allegoricum sensum referendum esse. Quum igitur Christus dicitur cum suo sanguine ingressus esse in coelum, sensus est, per effusum sanguinem, i. e. per mortem eius consummatam esse expiationem hominum, sicut post introitum postremum Pontificis maximi in adytum cum sanguine ad finem perductus est solemnis expiationis actus. Εἰσῆλθεν ἐφάπαξ εἰς τὰ ἅγια, *ingressus est semel in coelum*. Ergo Christus post mortem est in coelo, ubi perpetuo fructuum mortis suae nos reddit participes. Αἰωνία λύτρωσις, expiatio est, cuius valor est aeternus, neque iterari debet. Vetus Glossarium: ἀπολύτρωσις, *liberatio*, *expiatio*. Εὑρίσκειν, ut hebr. מָצָא, h. l. est *acquirere*, *mereri*, *impetrare*.

13. Εἰ γὰρ — καθαρότητα) Ταύρων dixit, pro μόσχων, Vs. 12., nam μόσχος est ταῦρος νεώτερος. Quare etiam hae voces promiscue apud LXX., Philonem, et Iosephum usurpantur. Philo L. III. de vita Mos. p. 675. C. ταῦρον et μόσχον ait, πρὸς ἄφεσιν ἁμαρτημάτων offerri. Deinde τράγον dicit, symbolum perfectorum esse, σύμβολον τελείων, ὃ κα-

θαίρει καὶ κενοῖ ψυχὴν ἁμαρτημάτων etc. Σποδὸς δαμάλεως, ῥαντίζουσα τοὺς κεκοινωμένους, *cinis vaccae rufae, quo adsperguntur, qui sibi impuritatem contraxerunt.* Vide Num. XIX. Δάμαλις, *vitula, iuvenca.* Ex hoc cinere fiebat aqua, cuius adspersio purgabat, i. e. ad hominum consortium et ad atrium templi admittebat eos, qui attigissent cadaver hominis aut sepulcrum. Κεκοινωμένοι, טְמֵאִים, apud LXX. et Philonem p. 185. ἀκάθαρτοι καὶ μεμιασμένοι, proprie *qui usus sunt communis*, subinde dicuntur κοινοὶ, Latinis *profani*, et opponuntur τοῖς ἁγίοις. Ἁγιάζει πρὸς τὴν τῆς σαρκὸς καθαρότητα, *purgat sic, ut sequatur puritas corporis*, et omnino puritas externa, quae erat in eo, ut ii, qui sibi impuritatem aliquam contraxerant, rursus templum intrare, victimas offerre, inter amicos versari, preces facere in templo possent.

14. Πόσῳ μᾶλλον—Θεῷ ζῶντι) *Quanto magis sanguis Christi, qui vita praeditus aeterna, se obtulit Deo perfectam victimam, purgabit mentes vestras ab improbe factis, ut colatis Deum verum?* Quaerunt interpretes, quid h. l. sit πνεῦμα αἰώνιον; Plerique intelligunt Christi naturam divinam, vel aeternam durationem et vitam. Anonymus in Repertorio *für biblische und morgenl. Litt.* T. II. p. 19. conditionem Christi excelsiorem, quam statum exaltationis vocare solent. In hac sua conditione supra modum excelsa *obtulit se Deo perfectam victimam*, i. e. peracto sacrificio suo in his terris, ad summam dignitatem, qua aeterne fruitur, evectus, praesentavit se quasi Deo, qua re in facto posita, (abitu in coelum) decla-

ratum est, expiationem consummatam esse, sacrificium Christi aeternum habere valorem, nec opus esse, ut repetatur ab ipso sacrificium. Cf. supra Vs. supra Vs. 7. 12. Paullo aliter *Noesseltus:* (opusc. fascicul. I. pag. 331. s. ed. 2.) *Christus ita se innocentem Deo obtulit, ut victimam praeberet perfectam, eamque sempiternam,* h. e. praestituram salubres effectus sine fine futuros. Πνεῦμα αἰώνιον esset sacrificium aeternum, sic vocatum *ob excellentiam.* Διὰ explicaret modum, quo Christus, se offerendo Patri, nos ei placaverit, ut supra Vs. 12. et aliis locis. Equidem accedo eorum sententiae, qui πνεῦμα h. l. synonymum vocabuli ζωὴ esse censent. Nam hae duae voces promiscue usurpantur pro hebr. רוּחַ, Gen. II, 7. Synonyma interdum esse πνεῦμα et ζωή, evidenter docent loci 2 Macc. VII, 22. οὐδὲ ἐγὼ τὸ πνεῦμα καὶ τὴν ζωὴν ὑμῖν ἐχαρισάμην, et Vs. 23. καὶ τὸ πνεῦμα καὶ τὴν ζωὴν ὑμῖν πάλιν ἀποδίδωσι. Cf. supra c. VII, 25., ubi auctor noster dixerat, Christum propterea posse *perpetuam* salutem afferre, *quod perpetuo vivat;* cui loco hic noster plane respondet. Nam θυσία Christi propterea omnibus victimis praestat, quia is, postquam eam obtulerat, non moritur, sed vivit εἰς τὸν αἰῶνα. Lectio πνεύματος αἰωνίου praeferenda est alteri, quae habet πνεύματος ἁγίου. Συνείδησις per synecdochen totum *animum* significat. Theophylactus: τὴν συνείδησιν καθαριεῖ· τουτέστι τὸν ἐντὸς ἄνθρωπον. Oecumenius: τί ἐστι τὴν συνείδησιν; τουτέστι, καὶ τὴν ψυχὴν ὑμῶν καθαίρει, ὡς μηδὲ συνειδέναι τι ἑαυτοῖς τοῦ λοιποῦ παράπτωμα. Νεκρὰ ἔργα *peccata* esse, dictum ad c. VI, 1. Ab his purgat nos sanguis, vel mors Christi; hanc habet vim, ut iam certi

esse possimus, Deum nobis velle condonare et revera condonare. Εἰς τὸ λατρεύειν θεῷ ζῶντι, *ut nunc liceat vobis colere Deum aeternum*, vel omnipotentem. Nunc per mortem Christi facta plena expiatione, licet nobis cum plena fiducia accedere ad Deum, eumque ut Patrem nobis faventissimum colere. Infra c. X, 22. Ergo beneficium hic describitur non officium.

15. Καὶ διὰ — μεσίτης ἐστὶν) *Et propterea novi foederis* (novae institutionis) *mediator est*, foederis, quod testamenti rationem habet. Μεσίτης, per quem foedus sancitur. Διαθήκη hic iterum est *religionis forma*. Ea, quam instituit Christus, hoc habet novi, quod *testamento* similis est, non autem nudo pacto, sicut vetus illa religionis forma Mosaica. Inest lusus ingenii; nam auctor argumentatur ex ambiguitate vecabuli διαθήκη, quod etiam *testamentum* significat, ut multis proborum Scriptorum locis probavit *Io. Alberti* in Obss. Philolog. in N. T. ad Luc. XXII, 39. *Chrysostomus* recte hic monet, haec dici propter infirmiores, qui propterea etiam, quod mortuus esset Christus, de religionis christianae veritate dubitarent. Ostendit nempe Apostolus, propter hoc ipsum nos posse bono esse animo, quod non viventibus sed mortuis iis, qui sunt testati, firma et valida sunt testamenta, et robur accipiunt. ὅπως θανάτου—κληρονομίας) *Ut morte sua expiaret etiam peccata, quae durante vetere religionis forma commissa erant, et omnes ii, quos Deus adoptavit, promissam aeternam haereditatem acciperent.* Θανάτου γενομένου, ipsius Christi, non victimarum. Παραβάσεων, i. e. ἀπὸ παραβάσεων, quomodo apud Ciceronem liberatio culpae, pro *a culpa*. Ἐπὶ, i. e. ἐν τῇ πρώτῃ διαθήκῃ, prio-

ris religionis tempore. Expiata esse morte Christi ea etiam peccata, quae commissa essent ἐν τῇ πρώτῃ διαθήκῃ, Paulus dicit propter Iudaeos, qui dubitare poterant, an veniam sperare possent eorum etiam peccatorum, quae ab ipsis primae aetatis annis admissa essent. Κεκλημένοι, intellige cum effectu; quos Deus vocavit, et pro liberis suis declaravit. Ἡ ἐπαγγελία τῆς αἰωνίου κληρομίας, *promissa aeterna hereditas,* felicitas.

16. Ὅπου — διαθεμένου) *Ubi enim testamentum est, necesse est constare de morte testatoris.* Διαθήκη h. l. est *testamentum.* Quia enim Apostolus in superioribus hereditatem commemoraverat, delabitur ad notionem testamenti. Glossae veteres: Διαθήκη ἐστὶ δικαία βούλησις, ὧν τις ἐθέλει μετὰ θάνατον αὐτοῦ γενέσθαι. Itaque sufficit, usum vocabuli διαθήκης *mortem testatoris* necessario involvere. Ἀνάγκη, pro ἀναγκαῖόν ἐστι. Verbum Φέρεσθαι, simpliciter hic positum est pro ἕπεσθαι, *insequi*, aut γενέσθαι, ut ante: θανάτου γενομένου. Διαθέμενος, i. e. ὁ διέθετο διαθήκην, quae vox per ellipsin intelligenda. Vide Actor. III, 25. et saepissime apud LXX., Isocratem et Platonem.

17. Διαθήκη — ὁ διαθέμενος) Διαθήκη βεβαία sc. ἐστὶ, vel γίνεται. Hoc est, quod dicunt Romani Iurisconsulti: *Testamentum morte confirmatur.* Ἐπὶ νεκροῖς, *ubi mortui sunt, qui testamentum fecere.* Nam ἐπὶ hic notet *post*, ut ἐπὶ κυνὶ, *postea, quum exortum est sidus caniculae.* Ἐπεὶ μήποτε ἰσχύει, sc. διαθήκη, *quia alias nequaquam valet,* i. e. nullum

interim producit effectum. Est enim testamentum, *Modestino* definiente, voluntatis iusta sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri velit. Unde et voluntas *defuncti* a Quintiliano definitur.

18. Ὅθεν—ἐγκεκαίνισται) *Unde ne illa prior quidem religionis forma sine sanguine sancita est.* Ἐγκαινίζειν, *initiare, dedicare,* et h. l. *ratum facere, confirmare.* Persequitur Scriptor id, quod modo Vs. 15. dixerat: morte alicuius effectum esse, ut peccata, etiam ante mortem Christi admissa, remitterentur. Ὅθεν, διὰ τοῦτο (refer ad Vs. 15.), ut similitudo aliqua esset inter veterem illam et hanc novam religionis formam. Quanquam in illius legis sanctione testator nondum est mortuus, sanguis tamen fusus est. Ἐγκεκαίνισται, Chrysostomus: βεβαία γέγονεν, ἐκυρώθη. Respicitur his Apostoli verbis ad Exod. XXIV, 1—8.

19. Λαληθείσης—τῷ λαῷ) *Recitata enim omni lege ex iussu divino a Mose coram universo populo.* Πᾶσα ἐντολή, omnia praecepta illa, quae sunt Exod. XXI. XXII. XXIII. Et λαλεῖν hic est de libro recitare. Κατὰ νόμον, ex Dei iussu. Λαβὼν—ἐῤῥάντισε) *Sumto vitulorum et hircorum sanguine una cum aqua et lana coccinea atque hyssopo ipsum librum et omnem populum conspersit.* Μετὰ ὕδατος. Exod. XXIV, 6. tantum dicitur sanguine victimarum respersum fuisse populum. Sed sanguini solitam misceri aquam, discimus ex Levit. XIV, 49—51., ubi etiam lanae coccineae et hyssopi fit mentio. Τὸ αἷμα, totum pro parte; nam hebr. textus, LXX. ac

Philo habent חֲצִי, τὸ ἥμισυ τοῦ αἵματος. Sine aqua et fasciculo hyssopi aspersio fieri non potuisset. ὕσσωπος, genus lignosi fruticis, de quo agit *Celsius* in *Hierobot.* Scipio eius fruticis lana circumvolvebatur et aspergillo in fronte ornabatur, quod in sanguine tingebatur, quo tum populus lustrabatur. Τὸ βιβλίον refer ad λαβὼν. Τὸ βιβλίον, סֵפֶר הַבְּרִית pars est Pentateuchi, leges complectens a Deo in monte acceptas. Difficultas in eo est, quod Moses hic et *librum* et populum respersisse dicatur, sed Exod. XXIV. tantummodo populum. Itaque quidam illud καὶ, quod sequitur, delere volunt. Sed in uno tantum codice, quem *Bengelius* laudat, illud καὶ deest. Adspersio libri ita fieri poterat, ut altari impositus una cum illo conspergeretur. Fortasseis Noster haec ex aliorum Orientis populorum ritibus, vel ex Iudaeorum traditionibus supplevit. Adspersit πάντα τὸν λαὸν, intellige eos, qui de populo proxime adstabant, et in hac re populi totius gerebant vices.

20. Λέγων — ὁ Θεός) *Dicens: hic sanguis est, quo foedus sancire me Deus iussit.* Exod. XXIV, 8. Locutio διαθήκην ἐντέλλεσθαι, eadem est cum superioribus, διαθήκην συντελεῖν, ποιεῖν, ἐγκαινίζειν. Hebraicus contextus habet: אֲשֶׁר כָּרַת, proprie: *quam scidit,* quia in pangendis foederibus pecudes mactabant, et per partes earum transibant. Ἧς, per Atticismum pro ἣν. Πρὸς ὑμᾶς, pro ὑμῖν.

21. Καὶ τὴν σκηνὴν—ἐῤῥάντισε) In descriptione huius dedicationis apud Mosen non legitur, tabernaculum

una cum omnibus eius vasis sanguine conspersum fuisse. Videtur itaque Noster hanc περίστατιν a Mose praetermissam addidisse. Idem fere addit *Iosephus* Antiq. Lib. III, c. VIII, §. 6. *Philo* etiam, postquam L. III, de vita Mosis exposuerat, Mosen in monte omnia legis, templi, sacerdotii, vasorum, et rituum placita, a Deo didicisse, addit p. 675. vasa quaevis, tabernaculum, sacerdotes, et omnia, primum unguento fuisse inuncta, mox vero sanguine vitulorum ac arietum aspersa, eaque cuncta peracta esse ἡμέρᾳ τελετῆς, p. 676. C. i. e., ut Noster ait Vs. 18. ἐπεὶ ἡ πρώτη διαθήκη ἐγκεκαίνισται.

22. Καὶ σχεδὸν — καθαρίζεται) Σχεδὸν, *ferme*, prudenter dicit; erant enim quaedam quae *aqua*, alia quae *igne* mundabantur. καὶ χωρὶς—ἄφεσις) Sub lege nonnisi sanguinis effusione peracta est expiatio. Est Iudaeorum regula apud Maimonidem de Pasch. I, 6. *fundamentum sacrificii in aspersione consistit;* et tritum axioma Benazielis, apud Talmudicos Cod. Ioma, cap. 1. fol. 5. 1. אין כפרה אלא בדם *non est expiatio, nisi per sanguinem.* In sacrificiis, ubi omnia sanguine purgabantur, ἄφεσιν ἁμαρτημάτων acquiri, clara Philonis verba sunt p. 840. lin. ult. τῷ τοῦ Θεοῦ βωμῷ, δι' οὗ πάντων ἁμαρτημάτων καὶ παρανομημάτων ἀπολύσεις γίνονται, καὶ παντελεῖς ἀφέσεις, *ad altare Dei, ubi solet impetrari omnium peccatorum et iniquitatum remissio.* Caussa vero, cur sine sanguinis effusione non sit facta expiatio, non in eo quaerenda est, quod Deus expiando demum movendus et adducendus fuisset ad condonandi voluntatem, sed in arbitrio Dei legislatoris, qui

hanc conditionem veniae tulit, et quidem sapientissimis ex caussis, quarum una haud dubie est, ut adspectabili modo declararetur, peccantem morte miseriaque dignum esse, utque praesens animis haec sententia maneret, nocivum esse peccatum, peccantem egere venia, hanc veniam tribui cum conditione, et, ubi νομικῶς agitur, cum conditione mortis intervenientis. Erat igitur in illis ritibus Mosaicis arbitrariis adminiculum inculcandi has sententias, donec meliora sequerentur. Sed ritibus sublatis, quos Christi mors supervacaneos reddere debuit, ipsae sententiae hae simpliciter, et veluti sine involucro proponuntur. Vid. *Mori* Progr. *de religionis notitia cum rebus experientiae obviis, et in facto positis, copulata,* P. IV. p. 12. not. 19.

23. Ἀνάγκη—παρὰ ταύτας) Ducitur conclusio: *Necesse igitur erat, umbram rerum coelestium,* (tabernaculum) *his purgari; sed ipsum coelum melioribus sacrificiis, quam ista sunt, purgari;* i. e. necesse erat aditum ad coelum per melius sacrificium dari. De voce ὑπόδειγμα vide supra VIII, 5. Omnia, tabernaculo atque antiquae legis sacerdotio peracta, erant nonnisi umbra coelestium; igitur satis erat, ea sacris usibus consecrari τούτοις, nempe sanguine vitulorum et hircorum. Haec autem, nempe *coelestia,* dedicanda erant πρείττοσι θυσίαις, i. e. unico Christi sacrificio. Pluralis enim hic positus est pro singulari, ut Matth. XXI, 7. Hanc enallagen et Profanis usitatam esse, multis exemplis probat *Carpzovius* ad h. l. Illud autem καθαρίζεσθαι est Metonymia, qualem saepe usurpari necesse est, ubi inter se comparantur res partim similes, partim dissimiles. Nam quia per legalem καθαρισμὸν aditus dabatur in san-

ctuarium, ideo effectum sumendo pro caussa, *καθαρίζεσθαι dixit coelum summum*, pro eo, quod est *aditum per ista in illud coelum dari.* Κρεῖττον construitur h. l. cum praepositione *παρὰ*, quum dici potuisset *κρείττοσι τούτων.*

24. Οὐ γὰρ—τὸν οὐρανὸν) Χειροποίητα intellige, quae facta sunt arte hominum, ac proinde non vi divina. Ἀντίτυπον eandem notionem habet cum vocabulis *ὑπόδειγμα, παραβολή, σύμβολον*, quae a Philone promiscue usurpantur. Christus non intravit in sanctum sanctorum manu factum, quod erat imago, repraesentans verum sanctum sanctorum, h. e. coelum, sed in ipsum coelum. *νῦν ἐμφανισθῆναι—ἡμῶν*). Plenior locutio erat: *ὥστε*, sive *εἰς τὸ ἐμφανισθῆναι*, et *ἐμφανίζεσθαι* est *apparere, conspiciendum se dare.* Perstat Apostolus in similitudine. Nam et summus Sacerdos dicitur apud Deum apparere, ubi stat apud arcam. Huic actioni et ritui hoc adiunctum erat: declarabatur, iam factam esse expiationem solemnem. Sic Christus intravit in coelum, et est ad dextram patris. Nunc ergo declaratum est, factam esse omnem expiationem, paratam esse hominibus veniam per mortem Christi. VII, 25.

25. Οὐδ' ἵνα — ἀλλοτρίῳ) *Neque saepius offerre voluit seipsum, sicut summus Sacerdos quotannis sanguinem victimarum infert in Sanctissimum.* Particula *οὐδὲ* non pendet a commate antecedente 24. sed 23., atque duae diversae partes sunt, sibi eadem negatione contra subordinatae, *οὐ γὰρ* Vs. 24. et hoc *οὐδὲ, non enim, neque.* Προσφέρειν h. l. est *ἑαυτὸν*

θυσίαν φέρειν, *pati, mori.* Christi oblatio nempe longe melior est oblatione Sacerdotis summi in V. T. quippe non iterata, sed unica. Neque enim Iesus ex coelo redibit, ut se denuo sacrificet, sicut antequam in coelum ingressus fuerat; si enim secunda vice redibit, id fiet ob κρίσιν et εἰς σωτηρίαν. Ἐν αἵματι est σὺν αἵματι, *cum* sanguine. Vocabulum autem ἀλλότριος opponitur τῷ ἰδίῳ, idemque est quod ἄλλος.

26. Ἐπεὶ ἔδει—κόσμου) *Alioquin oportuisset eum saepius cruciatus subire a condito mundo.* Si aliqua maior efficacia fuisset in oblatione repetita, expediisset, Christum non tam diu promitti, sed mitti illico post mundum conditum, ut posset singulis seculis, aut certe lubilaeis pati et offerre. Sed non opus erat repetita oblatione, quia unica oblatio (mors Christi) habet vim omnium hominum peccata expiandi. Ἔδει saepe non praecisam significat necessitatem, sed id, quod melius aut utilius est. νῦν δὲ — πεφανέρωται) *Sed semel tantum, hoc mundo ad finem decurrente, ad expianda peccata sacrificio suo apparuit.* Νῦν hic non est temporis, sed oppositionis. Non esse verum id, quod quis imaginari possit, oblationem saepius repetitam plus valere, inde apparet, quod Christus nec saepe passus est, nec saepe se ostendit in sanctuario coelesti, sed semel; idque ἐπὶ συντελείᾳ τῶν αἰώνων, *mundo ad finem decurrente*, cf. Matth. XIII, 39. 40. 49. XXIV, 3. Φανεροῦσθαι h. l. est verbum sacrificantis in terra, et idem quod ἐγγίζειν τῷ Θεῷ, καὶ ἑαυτὸν θυσίαν προσφέρειν. Dicuntur autem sacrificantes ἐγγίζειν et φανεροῦσθαι τῷ Θεῷ penes Philonem L. II. leg. Allegor. p. 1097. C. Potest

tamen etiam explicari de apparitione in sanctuario coelesti, *post peractum sacrificium suum*, διὰ τῆς θυσίας αὐτοῦ.

27. Καὶ καθ' ὅσον—κρίσις) *Et quemadmodum singulis hominibus moriendum, ac deinde coram iudicio divino comparendum est.* Καθ' ὅσον, pro καθὰς. Nam sexcenties fit apud Graecos, ut particulae sibi non tam exacte respondeant. Verbum ἀπόκειται ad divinum respicit decretum. Auctor *unitatem* sacrificii Iesu Christi tanquam exemplo illustrat. Opponuntur sibi hominum *mors* et κρίσις: Iesu *mors* et κρίσις: Κρίσις Iesu, ut *iudicis*, hominis ut *iudicandi*.

28. Οὕτως καὶ — σωτηρίαν) *Ita Christus, semel pro multorum peccatis immolatus, iterum apparebit, non ut a delictis liberet, sed ut eos, qui eum exspectant, felices reddat.* Προσενεχθείς, sc. εἰς θυσίαν. Πολλοὶ pro πάντες, quomodo vicissim Graeci πάντες scribunt pro πολλοί. Χωρὶς ἁμαρτίας, sine peccati nostri onere, quod sibi ferendum imposuit; non redibit ideo ut expiet peccata. Ὀφθήσεται Syrus cum εἰς σωτηρίαν construit: ideo apparebit, ut illis salutem afferat aeternam, qui ipsum expectarunt per fidem.

CAP. X.

1. Σκιὰν — πραγμάτων) *Lex enim umbram tantum exhibens coelestium bonorum, non ipsam rerum ve-*

ritatem. Σκιὰ, vox a pictoribus translata, repraesentantibus hominem, illius umbra lineis circumducta. Philo Lib. de plant. Nöe pag. 218. A. de Bezeleele dicit: Ἐκεῖνος γὰρ τὰς σκιὰς πλάττει, καθάπερ οἱ ζωγραφοῦντες, οἷς οὐ θέμις αὐδὲν ἔμψυχον δημιουργῆσαι, *hic* (in exstruendo tabernaculo) *umbras fingit, sicut pictores, qui vivam efformare imaginem non possunt.* Εἰκὼν, *res ac veritas, ipsa rerum substantia.* Ita vox εἶδος usurpatur 2 Cor. V, 7. item *effigies*, a Plinio maiori, de re quae plene spectatur. Τὰ πράγματα sunt μέλλοντα ἀγαθὰ, cf. IX, 11. In apparatu illo rituali sacrificiorum, quae peccati caussa fiebant, coepit fieri quoddam indicium futurorum perfectiorumque bonorum, h. e. inchoata est quaedam notitia veniae, praeferendae ex omni parte huic, quam tum norant Israelitae, ut in universum in omni apparatu rituali, eo etiam qui non constabat sacrificiis, inchoari debuit notitia melioris religionis. Sed veniam peccatorum plenam et alia religionis christianae bona lex Mosis praestare non poterat. κατ' ἐνιαυτὸν — τελειῶται) Constructio est talis: οὐδέποτε δύναται τελειῶσαι τοὺς προσερχομένους κατ' ἐνιαυτὸν ταῖς αὐταῖς θυσίαις, ἃς προσφέρουσιν (sc. ἱερεῖς) εἰς διηνεκὲς, *non potest perfecte expiare eos, qui Deum colunt quotannis iisdem sacrificiis, quae a Sacerdotibus Summis sine intermissione offeruntur.* Προσερχομένους vocat eos, qui his sacrificiis Deum colunt, quos iamiam dicet λατρεύοντας, עברים. Nam summus sacerdos in illo sacro personam referebat populi ipsius. Expiavit ille quidem populum, sed non perfecte; non paravit plenam et absolutam peccatorum veniam. Scelera enim a civibus adversus cives aut adversus Deum patrata, ut

adulterium, caedes, blasphemia, sabbati profanatio certa re, certis verbis praescripta lui non poterant, sed capitali supplicio poenaque civili plecti debebant. Ergo sacerdos summus non poterat perfecte expiare populum. Si sacerdos hoc non potuit, et in tam solenni sacro; quanto minus alii sacerdotes?

2. Ἐπεὶ ἂν — ἅπαξ κεκαθαρμένους) *Alioqui* (si homines istis sacrificiis perfecte expiari potuissent:) *cessatura fuisset eorum oblatio, quia offerentes ea, semel purgati, sibi non amplius conscii fuissent peccatorum* (et promeritae poenae). Alii legunt ἐπεὶ οὐκ ἄν, et pronunciant cum interrogationis nota, eodem sensu. Ἐπαύσαντο προσφερόμεναι, positum est ex Graecismo pro ἐπαύσαντο προσφερόμεναι εἶναι, seu προσφέρεσθαι. Si semel expiati fuissent, non ultra conscii sibi essent novorum quotannis peccatorum, quae expiatione egerent; liberati essent conscientia peccati, metuque ac sollicitudine, necessario inde fluente.

3. Ἀλλ' ἐν αὐταῖς — ἐνιαυτὸν) Ἐν αὐταῖς, sc. θυσίαις. Mentio fit in precibus summi sacerdotis novorum criminum, illo anno commissorum, adstipulante populo; per illa ipsa sacrificia, quotannis instituta, existit recordatio peccatorum.

4. Ἀδύνατον — ἁμαρτίας) Ἀφαιρεῖν, *poenas peccatorum auferre.* Taurorum et hircorum sanguis ad corporis unice puritatem lustrabat; solus Christi sanguis nos ab omnibus peccatis purgat.

5. Διὸ εἰσερχόμενος — ἠθέλησας) *Propterea, ubi* (Messias) *in terras obveniens*, et opus suum inchoans *describitur; dicit: Sacrificia non desideras.* Εἰσερχόμενος εἰς τὸν κόσμον, i. e. *tanquam in orbem venturus*, subintellecto ὡς ante εἰσερχόμενος, vel simpliciter *Messias.* Λέγει, nempe Ps. XL, 6. sqq. Θυσία καὶ προσφορὰ sunt cuiuscunque generis et nominis sacrificia. Οὐκ ἠθέλησας, *non magni facis;* obedientiam istis praefers. σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι) Ita etiam habent LXX. Ps. XL, 7. Alexandrinus verbum כָּרָה *praeparandi* significatione, qua Deut. II, 6. 2 Reg. VI, 23. et Hos. III, 2. reperitur; אָזְנַיִם autem, *aures*, per synecdochen pro toto corpore positas existimavit. Alias coniecturas de versionis graecae ratione recensere nil attinet. Hebraici textus verba sunt אָזְנַיִם כָּרִיתָ לִי, sensu eodem. Nam *aures fodisti mihi* vel aperuisti, est: *me tibi obedientem fecisti.* Sic. Ies. L, 5. Iehova פָּתַח לִי אֹזֶן *aperuit mihi aurem.* Simili sensu adhibetur verbum גָּלָה, *revelavit aurem*, i. e. audientem aliquem fecit, ut 1 Sam. XX, 2. XXII, 18. *Aurem aperire* Deus dicitur, quum facit, ut audiant homines; deinde ut admonitionibus atque mandatis morem gerant. Phrasis σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι intelligenda est de *corporis in sacrificium aptatione et oblatione.* Sensus est: Creasti mihi corpus, ut eo uterer ad obediendum, ut facerem id, quod tu fieri vis, idque trederem morti. Hoc vult Apostolus: Quum sacrificia lege Mosis praecepta non possent tollere peccata, ipse Christus se offerre, et hoc sacrificio nos expiare et tranquillare voluit.

6. Ὁλοκαυτώματα — εὐδόκησας) *Nec holocausta, nec sacrificia pro peccatis tibi placent.* Τὰ ὁλοκαυτώματα sunt hostiae, quae integrae comburebantur. Περὶ ἁμαρτίας, sc. θυσίαν, hebr. חַטָּאת, *sacrificium pro peccato.* Pro hebr. לֹא שָׁאַלְתָּ, et illo τῶν LXX. οὐκ ἤτησας, Noster οὐκ εὐδόκησας posuit, ut vim fastidii ostenderet.

7. Τότε εἶπον—θέλημά σου) Sensus est: Quia cognoveram, Deum non delectari sacrificiis, dicebam: en adsum, ut tibi obediam; paratus sum ad obediendum tibi, h. e. ad exsequendum munus a te mihi demandatum. Pro voce κεφαλίς Symmachus et Aquila apud Chrysostomum εἵλημα scripserunt, et huc respexit Suidas, κεφαλὶς βιβλίου aiens, ὅτερ τινὲς εἵλημα φασίν. Sermone hellenistico ἡ κεφαλὶς idem quod מְגִלַּת, volumen notat, ut Ezech. III, 1. et aliis locis. Nonnulli deducunt ab Hebr. כפל vel Syro ܟܦܠ, קפל, quod διπλούμενον, *complicatum, convolutum* indiçat, terminatione graeca addita. Intelligitur autem per eum librum aut *universa Scriptura S.* de Messia praecipiens, aut speciatim *Pentateuchus*, de lege exponens Levitica ac sacrificiis, Messiam praefigurantibus.

8. 9. Ἀνώτερον — τότε εἴρηκεν) *Quum superius dixisset — deinde dicit*, vel addit. Non sunt haec hymni verba, sed epistolae scriptoris. Neque inusitatum est scriptoribus, vel ipsi Philoni, sumtis alterius verbis, hinc membratim inferre et argumenta ex instituto deducere. Λέγων, pro λέξας. Traditur autem Vs. 5 — 9. universa haec sententia: obedientiam

externis ritibus sacris praestantiorem esse; hanc autem obedientiam Christum praestitisse, dum lubens, promtus, non recusans id, cuius caussa venerat, mortem suscepit, eo consilio, ut homines puri redderentur, peccatorum veniam nanciscerentur, Vs. 10. ἀναιρεῖ—στήσῃ) *Tollit primum, ut alterum stabiliat.* Sicut solet fieri in Syllogismis disiunctivis. Τὸ πρῶτον, *sacrificia Levitarum:* τὸ δεύτερον, i. e. τὸ ποιεῖν τὸ θέλημα τοῦ θεοῦ. Ἀθετεῖν, καταργεῖν, *irrita facere,* pro irritis declarare. Ἱστάναι, הֶעֱמִיד, *statuere, figere, firmare.* Declarat, illa de sacrificiis praecepta nunc cessatura esse, et alterum illud habiturum esse locum, quod Messias de obedientia sua Patri praestanda promiserat. Alii volunt, τὸ πρῶτον et τὸ δεύτερον significare διαθήκην πρώτην et καινήν, com. 16. 18. c. VIII, 13. IX, 15.

10. Ἐν ᾧ—ἐφάπαξ) *Qua voluntate puri redditi sumus per oblationem corporis Iesu Christi in perpetuum.* Ἐν ᾧ θελήματι, quia Deus hoc a Iesu fieri voluit, et Iesus id quod voluerat Deus, fecit. Verbum ἁγιάζειν idem significat quod καθαίρειν, et refertur ad sacram κάθαρσιν, piaculis ac varii generis lotionibus impetrandam. *Puri redditi sumus per oblationem corporis Christi*, veniam peccatorum paratam habemus per mortem Christi, qui sacrificium factus est pro peccatis nostris. Haec autem peccatorum venia nobis parata est ἐφάπαξ, *in perpetuum.* Uno tantum facto, non repetendo, nititur persuasio de venia certe et semper valitura atque profutura; quod secus erat in illo vetere sacrificiorum apparatu, Vs. 1. 2. c. IX, 9.

11. Καὶ πᾶς — προσφέρων θυσίας) Iam pergit Apostolus ostendere, quanto praestantior sit Christus Pontificibus V. T. Ex eo nempe haec praestantia elucet, quod illi Pontifices erant tantum ministri, Christus autem est Dominus. Ἱερεὺς, pro ἀρχιερεὺς, ut nonnulli Codices et Versiones habent. In accendendo candelabro, in suffitu faciendo, primae erant partes Summi Sacerdotis. Ceteri erant ei adiutores. Τὸ ἕστηκε opponitur τῷ ἐκάθισεν com. 12. Chrysostomus: ἄρα τὸ ἑστάναι τοῦ λειτουργεῖν ἐστι σημεῖον· οὐκοῦν τὸ καθῆσθαι, τοῦ λειτουργεῖσθαι. Est autem vis verborum collocata non tantum in ἕστηκε, ἐκάθισε, sed et in πολλάκις, et ἐφάπαξ προσφέρειν.

12. Αὐτὸς δὲ — τοῦ Θεοῦ) Verbo ἐκάθισεν significatur maiestas et dignitas Christi. Plena igitur comparatio est: Sacerdotes Levitici sunt ministri; Christus vero est Dominus. Illi sacrificia saepius repetere debebant; (quotannis, die expiationis;) nec tamen plenam peccatorum veniam efficere poterant; Christus autem obtulit unum sacrificium perfectissimum, perpetuo valiturum.

13. Τὸ λοιπὸν — ποδῶν αὐτοῦ) Vide annotata ad c. I, 13. Οἱ ἐχθροὶ αὐτοῦ, sunt, quicquid impedit salutem, quam Christus suis impetrare voluit, scelera, superstitio, idololatria, et mors ipsa, ut explicat Paulus, 1 Cor. XV, 26.

14. Μιᾷ — τοὺς ἁγιαζομένους) *Uno enim sacrificio omnes redimendos in perpetuum expiavit.* Τελειοῦν hic idem esse ac ἄφεσιν ἁμαρτιῶν ποιεῖν, apparet

ex Vs. 17. 18. Εἰς τὸ διηνεκὲς non pertinet ad nomen προσφοράν, ut nonnulli volunt, sed verbum τετελείωκε. Ἁγιαζόμενοι, sunt omnes homines, quibus redemtio acquirenda erat.

15. 16. 17. Μαρτυρεῖ δὲ—οὐ μὴ μνησθῶ ἔτι) *Confirmat insuper nobis etiam Spiritus Sanctus. Nam post illud dictum: Hoc est foedus, quod instituam cum illis post illos dies, dicit Dominus, legis meae praecepta animis eorum insculpam, et mentibus eorum infigam;* (subiunxit:) *et scelerum ab iis commissorum et iniquitatum non amplius recordabor.* Δὲ post μαρτυρεῖ significat *insuper, praeterea. Insuper vero Spiritus sanctus nobis testatur*, nempe nos esse vere tranquillatos et expiatos. Verba μετὰ γὰρ τὸ προειρηκέναι nectuntur cum Vs. 16. et sub initium commatis 17. subintelligitur εἶτ' ἐπιλέγει. Nervus enim probandi commati 17. inest; *(peccatorum ab ipsis commissorum non amplius recordabor;* remittam ea; non puniam;) quod partim ex illatione commatis 18. partim inde patet, quod post verba versus 16. multa omissa sunt, cap. VIII, 8. sqq. adducta, quem locum confer.

18. Ὅπου δὲ—ἁμαρτίας) Auctor ex eo, quod omnes Iudaei concedebant, colligit. In sacrificio περὶ ἁμαρτίας, dicebant, *quaeri* παρὰ τῆς ἴλεω τοῦ Θεοῦ δυνάμεως ἀμνηστίαν ἀδικημάτων, *a misericordia Dei remissionem peccatorum;* tauros enim atque vitulos mactari περὶ ἀφέσεως ἁμαρτημάτων. Vid. Philo de victim. p. 843. C. de vit. Mos. L. III. p. 675. C. Apostolus itaque docuit in antecedenti, amnestiam et ple-

nariam peccatorum liberationem una Iesu Christi oblatione effectam; inde colligens, omnem adeo *περὶ ἁμαρτίας προσφορὰν* iam inutilem esse.

---

19. Ἔχοντες οὖν—Ἰησοῦ) *Quum igitur iam liberum ius adepti simus, fratres, ingrediendi in Sanctissimum,* (coelum) *virtute ac vi sanguinis* (i. e. mortis) *Iesu Christi.* Respicitur ad ritum V. T. dum nemini *εἴσοδος τῶν ἁγίων*, nisi Pontifici M. patebat, reliquos arcebat *διάστημα*. Fideles autem, sanguinis Iesu Christi virtute, ut sacerdotes ipsi sistuntur, VII, 19. IV, 16. Intrabunt cum sanguine Christi, i. e. pervenient ad gaudia coeli ob sanguinem Christi, quod credunt in eius mortem. Παῤῥησία, *fiducia, libertas, ius,* III, 6. IV, 16. Verbis *ἔχοντες οὖν, ἀδελφοί*, Apostolus ad explicata huc usque, tanquam certissima, respicit, ad alia inde deducenda respiciens. Incipit igitur nova Epistolae sectio. Huc enim usque *διδασκαλία* promanavit, qua et sufficientiam sacerdotii Iesu Christi Melchisedeciani, et *τὸ ἀσθενὲς* Aaronici, Apostolus exposuerat. Iam ad genus *νουθετικὸν*, atque *λόγον τῆς παρακλήσεως* progreditur, quo Hebraeos ad fidem, et in religione christiana perseverantiam adhortatur, ad finem usque Epistolae. Quoniam *possumus* sperare, (inquit,) *volumus* etiam sperare.

20. Ἣν ἐνεκαίνισεν—σαρκὸς αὐτοῦ) *Ad quod,* (Sanctissimum, coelum nempe,) *paravit nobis viam novam et iucundam, remoto velo, i. e. corpore suo*

mortali. Ἐνεκαίνισεν, *paravit, inauguravit.* Chrysostomus: τουτέστιν, ἣν κατεσκεύασε, καὶ ἧς ἤρξατο. Ἐγκαινισμὸς γὰρ λέγεται ἀρχὴ χρήσεως λειπῶν. Ἣν κατεσκεύασε φησὶ, καὶ δι' ἧς αὐτὸς ἐβάδισεν. Ergo *viam inaugurare* est primum ire hac via; eundi initium facere. Possumus etiam explicare: *munivit aditum recentem* et perpetuo duraturum. Nam ἐγκαινίζειν proprie est *reddere aliquid novum*, de iis, qui instaurant aliquid, qui consecrant, dedicant aliquid. Πρόσφατον, hebr. חָדָשׁ, deducitur ἀπὸ τοῦ φατόν, proprie *recens dictum;* deinde generatim notat *recens*, cui opponitur παλαίφατον. Vetus Glossar. πρόσφατον, *recens*, προσφάτως, *nuper.* Cicero πρόσφατον δόξαν, *recentem opinionem* vertit, ex Stoicis. Hesychius: πρόσφατον, τὸ ἀρτίως γινόμενον, νέον, νεαρὸν. Ὁδὸς ζῶσα, i. e. *amoena, iucunda*, quae fidelibus amoenitatem summam affert; ut regio amoena dicitur *vitam* nobis reddere, ubi plaga et tractus reliquus suave ridet. Διὰ τοῦ καταπ. τουτ. τ. σ. αὐτοῦ, *per velum, nempe velum sui corporis.* Quemadmodum Pontifex M. non nisi remoto velo in Adytum transibat, ita nos, nonnisi carne Christi mortem perpessa, (remoto itidem et hoc quasi velo,) *coelum* ascendimus. Διὰ medium indicat, per quod *coelum* ingredimur.

21. Καὶ ἱερέα — Θεοῦ) *Et magnum Sacerdotem in templo Dei* (coelo) *versantem*, nempe ἔχοντες. *Domus Dei* autem h. l. videtur esse *coelum*, ubi nunc Christus munere suo fungitur, dum res nostras Deo commendat, vel etiam *coetus christianus*, cui Christus est praefectus. Vid. c. III, 6.

22. Προσερχώμεθα — πονηρᾶς) Προσερχώμεθα, *colamus Deum.* Vox passim obvia in Philone, cultum Deo a sacerdotibus praestandum indicat. Hinc προσερχόμενοι Paulo et Philoni sunt λατρεύοντες, pii, sacrificiorum caussa templum accedentes. Μετ' ἀληθινῆς καρδίας, *pietate non ficta;* nam τὸ ἀληθινὸν, *verum*, saepe opponitur *ficto.* Ἐν πληροφορίᾳ πίστεως, *plena fide et fiducia.* Hesychius: πληροφορία, βεβαιότης. Ἐῤῥαντισμένοι τὰς καρδίας ἀπὸ συνειδήσεως πονηρᾶς, *quum animi nostri* tanquam *aspersione puri fuerint redditi a conscientia mala;* i. e. *ita purgati a peccatis, ut nihil mali nobis simus conscii.* His et sequentibus verbis alluditur ad ritum sacrificantium, a quibus lex postulabat, ut *animo* et *corpore* essent puri. Per conscientiam malam, sive mali, intelliguntur ipsa peccata, vocabulo effecti sumto pro caussa. καὶ λελουμένοι τὸ σῶμα ὕδατι καθαρῷ) *Et qua corpora loti aqua pura*, i. e. liberi a flagitiis. Τὸ σῶμα, *quoad corpus.* Describitur itaque *externa* sanctitas, quae coniuncta esse solet cum *interna* sanctitate, cuius modo facta erat mentio. Tempore V. T. sacerdotes quotidie corpus abluebant. Exod. XXIX, 4. Levit. XVI, 4., ad quem morem verba haec Apostoli respiciunt. Alii hoc referunt ad baptismum.

23. Κατέχωμεν — ἀκλινῆ) *Firmiter retineamus professionem spei, (religionem christianam*, quae nobis aeternam felicitatem promittit). Ὁμολογία, cf. c. III, 1. Ἐλπὶς, *religio christiana*, 1 Petr. III, 15., quia illa professio spem vitae aeternae habet comitem. Ἀκλινῆ, nihil inclinatam, nihil nutantem.

24. Καὶ κατανοῶμεν — ἔργων) *Et studeamus alius alium excitare ad amorem mutuum et liberalitatem.* Observemus alii aliorum actus, ut, si qui languescant, eos excitemus ad dilectionem et pia facta. Κατανοεῖν, *observare.* Παροξύνειν, vox est media, quae ex adiectis hic in bonam partem sumitur. Glossae: παροξισμὸς, *concitatio.* Plutarchus in Themistocle: παροξύνει ἐπὶ μάχην.

25. Μὴ ἐγκαταλείποντες — παρακαλοῦντες) Ἐπισυναγωγὴ, i. e. συναγωγὴ, hebr. עֲדָה, קָהָל, quod LXX. vertunt ἐκκλησία et συναγωγὴ. Hoc loco intelliguntur conventus sacri Christianorum, quos nonnulli fugiebant, ne Iudaei animadverterent, eos esse christianos. Hoc autem erat initium defectionis. Καθὼς ἔθος τισὶν, est λιτότης, sive, μείωσις, pro πολλοῖς. Παρακαλοῦντες, sc. ἑαυτοὺς, εἰς τὸ ἐπισυνάγεσθαι. Etiam in hoc alii alios hortamini, ne conventus deserantur. Aliis ἐπισυναγωγὴ h. l. non est conventus Christianorum solennis, sed *coetus, societas Christianorum, die Gesellschaft der Christen*, quatenus unam eandemque religionem profitentur, ut deserere τὴν ἐπισυναγωγὴν sit: *deficere a religione christiana.* Sic exponendum esse locum putant inprimis eam ob caussam, quod in sequentibus (Vs. 26. 27.) sermo sit *de defectu a religione*, nec inter se cohaereant haec: nolite abesse a conventibus nostris sacris, nam imminet iudicium, i. e. excidium Hierosolymorum. Sed verba καθὼς ἔθος τισὶν hanc interpretationem vix admittere videntur. Omnia autem optime cohaerent, si cogites, hanc negligentiam in frequentandis coetibus christianis fuisse *initium* defectionis ab

ipsa religione. Poterat igitur addere auctor epistolae: Iudaei, persecutores vestri, mox poenas dabunt. *καὶ τοσούτῳ—ἡμέραν)* Per *τὴν ἡμέραν* intelligitur tempus iudicii super Iudaeos, sive reipublicae Iudaicae ruina. Instare autem excidium Hierosolymorum, inde discere poterant Christiani, quia tum evenire coeperant, quae Christus Matth. XXIV. praedixerat. Nolite deficere a religione christiana, inquit Apostolus; non enim proderit vobis defectio ad Iudaismum; siquidem reipublicae Iudaicae ruina iam instat.

26. *Ἑκουσίως — ἀπολείπεται θυσία)* Ἁμαρτάνειν h. l. est *deficere a religione christiana*, reiicere Christianismum, et reverti ad Iudaismum. Cf. supra VI, 4. 5. 6. Additum autem *ἑκουσίως*, quia tales ignorantiam culpae suae obtendere nequeunt. Philo in lib. de profug. p. 461. D. *ἑκουσίως ἁμαρτάνοντι* opponit *ἀκουσίως ἁμαρτάνοντα*. Λαβεῖν ἐπίγνωσιν ἀληθείας est idem quod *φωτισθῆναι* supra VI, 4. *imbui vera doctrina*. Ii autem, qui sic a Christianismo deficiunt, per nullas victimas alias ad bonam frugem revocabuntur, ut veniam consequi possint.

27. *Φοβερὰ—ὑπεναντίους)* *Φοβερὰ δέ τις ἐκδοχὴ κρίσεως*, *horribilis expectatio poenae*. *Expectatio* non bonarum saltem rerum, sed, ut h. l. *malarum* etiam est. Philo de nom. mut. p. 1070. B. *ἡ προσδοκία κακοῦ*, ait, *Φόβον ἐγέννησεν*. *Πυρὸς ζῆλος*, *ignis fervor*, i. e. *vindicta gravissima*. *Dei ira* saepe cum *igne* comparatur. Deut. XXXII, 22. Ps. II, 13. Zeph. III, 8. Eleganter autem igni adiicitur *τὴν ἐσθίειν*, hebr. אֵכֶל, ut Num. XVI, 35. Levit. X,

2. et aliis multis locis. Ὑπεναντίος, Hesychio est ἐχθρός. Intelliguntur hostes et adversarii religionis christianae, qui Christum pro impostore habebant, et ad Iudaismum redibant.

28. Ἀθετήσας — ἀποθνήσκει) *Qui Mosis legem violat* (contemnit,) *propter duorum aut trium testium consensum, sine ulla remissione interficitur.* Ostenditur (Vs. 28. sq.), eos qui a religione christiana deficiunt, multo graviores poenas subituros esse, quam illi, qui contra legem Mosaicam peccaverant. Ἀθετήσας, sc. ἑκουσίως. Ἀθετεῖν, legem *facere irritam*, contra legem facere, eam migrare; Hesychius interpretatur ὑβρίζειν, καταφρονεῖν, ἀτιμάζειν. Per *legem Mosis* intellige *Leviticam* et *cerimonialem*. Neque exemtos fuisse a supplicio, contra *caerimonias* si fecissent sacerdos, pontifex, senator, Synedrii princeps, e libris Rabbinicis confirmat *Braunius*. Χωρὶς οἰκτιρμῶν. Ἀπαραίτητος ἡ κόλασις dicit Ioseph. L. II. c. Apion. Philo, de profug. pag. 562. D. οὐδενὶ συγγνώμης μεταδοτέον, *nemini ulla conceditur venia*. Nullus enim rex, sacerdos nullus remittere poenam poterat. Ἀποθνήσκει, gladio, lapidatione, strangulatione aut igne.

29. Πόσῳ — ἐνυβρίσας) *Quanto putatis atrociori poena dignum fore eum, qui filium Dei contemnat, et sanguinem foederis, quo expiatus est, profanum iudicet, et spiritus sancti gratiosa dona parvi pendat?* Sicut ἄξιον, ita et verbum ἀξιοῦν vox est media et tam ad poenas, quam ad praemia refertur. Et eleganter interiicitur illud δοκεῖτε. Quid ipsi putatis ea

de re? Καταπατεῖν, *conculcare*, i. e. *contemnere, pro re vilissima habere.* Eustathius ad Homer. Jl. Δ. πολλὴν, ait, δηλοῖ καταφρόνησιν τὸ πατῆσαι. Significat: *rem pedibus, tanquam vilissimam conculcare.* Καὶ τὸ αἷμα τῆς διαθήκης κοινὸν ἡγησάμενος, *sanguinem illum, quo sancita est religio, habens pro sanguine profano,* infamane mortem Christi, quasi is mortuus esset ut latro vel impostor. Ἐν ᾧ ἡγιάσθη, *quo remissio peccatorum ipsi parata est.* Πνεῦμα τῆς χάριτος, *Spiritus benigne concessus,* ille sensus, quo recentes Christiani baptizati replebantur. Ἐνυβρίζειν, *contumelia afficere, conviciis lacessere.* Qui a religione deficiebant, non poterant illum sensum vere religiosum habere, sed conviciis eum lacessebant. Τὸ πνεῦμα τῆς χάριτος, *dona spiritus, quorum particeps factus erat.* Haec dona respuit, quisquis Christianismum abiicit.

30. Οἴδαμεν—κύριος) *Cogitemus, quis et quantus* etc. Verba desumta sunt ex Deut. XXXII, 35. לִי נָקָם וְשִׁלֵּם, *mihi vindicta et retributio.* LXX. habent: ἐν ἡμέρᾳ ἐκδικήσεως ἀνταποδώσω. Auctor tantum sensum expressit, ut factum etiam est Rom. XII, 19. καὶ πάλιν — λαὸν αὐτοῦ) Grotius cum aliis haec verba putat ex Ps. CXXXV, 14. desumta esse. Rectius Psaltes atque Apostolus dicuntur spectasse Deut. XXXII, 36. Noster autem καὶ πάλιν adiicit, partim quia ex contextu hebr. nonnulla omiserat; partim ob interiectum de suo λέγει κύριος. Κρίνειν ibi est *vindicare.* Sic etiam ultionem sumet de iis, qui ecclesiam contemsere.

31. Φοβερὸν—ζῶντος) *Horrendum autem est, in manus Dei aeterni incidere.* Ἡ χεὶρ significat ἐξουσίαν et in utramque partem accipitur, pro *mitiori iudicio*, ut 2 Sam. XXIV, 4. et pro *graviori ultione.* Polybius 15. πεσοῦσι δὲ ὑπὸ τὰς τῶν Καρχηδονίων χεῖρας. Θεοῦ ζῶντος, qui in aeternum vivens, in aeternum etiam potest punire.

32. Ἀναμιμνήσκεσθε — παθημάτων) *Recordamini temporis prioris, quo vobis ad religionem christianam adductis, grave certamen cum calamitatibus erat ineundum*, i. e. quo graves calamitates sustinuistis et superastis. Novo argumento excitat illos Christianos, ut constantes esse in religione pergant, hoc nempe: eos hactenus iam varii generis calamitates sustinuisse; etolide igitur agere eos, qui post tantas calamitates fortiter superatas, nunc demum deficiant. Αἱ πρότερον ἡμέραι pro προτέραι ἡμέραι, ut Philo c. Flacc. p. 972. ult. αἱ ὕστερον ἡμέραι. Ἐν αἷς φωτισθέντες, accepta primum Evangelii luce. Ἄθλησις παθημάτων, i. e. ἀθλητικὴ κακοπάθεια. Vitam cum stadio et palaestra, calamitates et παθήματα cum antagonistis, quibuscum luctandum athletis est, comparat. Eidem metaphorae inhaeret c. XII, 1.

33. Τοῦτο μὲν—θεατριζόμενοι) *Quum partim contumeliis et miseriis palam afficeremini.* Τοῦτο μὲν, *partim.* Nam sic Demosthenes et Graeci alii per τοῦτο μὲν et τοῦτο δὲ exprimunt, quod Latini per geminum partim. Ὀνειδισμοῖς, *per convicia.* Nam hoc ipsum, esse aliquem Christianum, illo tempore significabat, esse pessimum nebulonem. Θεατρίζεσθαι h. l. tropice in partem deteriorem dicitur, et

significat risui omninoque contumeliae exponi. Veteres supplicia spectaculi vice populo exhibebant, ut si hominem εἰς ἄθλησιν παθημάτων cum leone vel urso committebant. Tacitus Annal. 15. *Pereuntibus addita ludribria* etc. τοῦτο δὲ — γενηθέντες) *Partim participes essetis*, in societatem veniretis, *illorum, qui ita versantur*, ita iniuriis exponuntur. In quorum societatem veniebant condolendo, adiuvando, liberalitate, solatio. Ἀναστρέφεσθαι, *vitam agere; versari.*

34. Καὶ γὰρ τοῖς δεσμίοις συνεπαθήσατε) *Nam vinctorum miserti estis.* Pro eo, quod alii habent τοῖς δεσμοῖς μου, omnino legendum est τοῖς δεσμίοις cum codicibus nonnullis, multis Patribus et Versionibus. Δεσμίοι habentur etiam c. XIII, 3. Qui τοῖς δεσμοῖς μου, legunt, ii sermonem esse putant de vinculis Pauli Hierosolymitanis, Act. XXI, 22. sqq. Sed efficta esse videtur haec lectio a librariis, qui hoc etiam argumento confirmare voluerunt, Pauli esse hanc epistolam. καὶ τὴν ἁρπαγὴν — προσδέξασθε) *Rapinam bonorum vestrorum*, nempe per plebis seditiones, quae saepe ex odio religionis oriri solent, *haud inviti*, potius *cum gaudio pertulistis.* Προσδέχεσθαι Alexandrini interdum pro hebr. רָצָה ponunt; ut Iob. XXXIII, 20. Μετὰ χαρᾶς, quod summum honorem existimarent, ob Christum pati, Act. V, 41. Matth. V, 12. Iac. I, 2. γινώσκοντες ἔχειν ἑαυτοῖς — μένουσαν) *Persuasi meliora, eademque aeterna bona vobis in coelo reposita esse.* Ἐν ante ἑαυτοῖς omittunt Codices multi cum Versionibus et Patribus diversarum recensionum. In Glossario: ὕπαρξις, *substantia, opes.* Intelligit bona vitae aeternae. *Habere* autem saepe dicuntur rem,

qui ius ad eam habent, loquendi genere etiam iurisconsultis usitato.

35. Μὴ ἀποβάλητε — μεγάλην) *Ne igitur, quaeso, fiduciam istam abiicite, cui iam insigne praemium propositum est.* Ἀποβάλλειν *iacturam facere;* metaphora a militibus vel athletis sumta, qui, ut ne clypeum abiiciant, ἆθλον consequuntur. Ἔχει μισθαποδοσίαν μεγάλην, ius *habet ad magna praemia.*

36. Ὑπομονῆς — τὴν ἐπαγγελίαν) Ὑπομονή, *constantia,* patientia. Ποιήσαντες, nempe ad finem usque, et patientes etiam malorum, quae, Deo permittente, vobis imminent. Ἐπαγγελία, *res promissa,* nempe μισθαποδοσία, Vs. 35.

37. 38. Ἔτι γὰρ — ἐν αὐτῷ) Ex Habac. II, 3. 4. Apostolus nec textum hebraicum, nec LXX. exacte expressit; hos magis tamen, quamvis verborum ordinem invertendo, quia commate ultimo ex verbo ὑποστείληται quaedam infert. Non probandi caussa haec verba affert, sed utitur Prophetae verbis ad suos animi sensus exprimendos. Μικρὸν ὅσον. ὅσον notat τὸ ἐλάχιστον, *perquam exiguum tempus.* τὸ ὅσον non tantum adiicitur in vocabulis *magnitudinis*, sed et *paritatis*, ut Ies. XXVI, 20. Heliodorus, L. V. ὀλίγον ὅσον. Aristoph. in Vesp. ὅσον ὅσον στίλην. Ὁ ἐρχόμενος ἥξει, *veniet is, qui venire vult,* qui promisit, se venturum esse, Christus nempe, qui promisit suis liberationem a vexationibus. Liberati sunt autem Christiani a vexationibus Iudaeorum, quum ever-

teretur Iudaica civitas. Ὁ δὲ δίκαιος ἐκ πίστεως ζήσεται. *Iustus enim propter fidem* et fiduciam *suam salutem consequetur.* Καὶ ὑποστείληται — ἐν αὐτῷ) *Si quis autem timidus est, is non placet mihi.* Verbum ὑποστέλλεσθαι in versione Alexandrina Deut. I, 17. respondet hebraico verbo יָרֵא, *timere, metuere.* Cf. Sapient. VI, 7. Hesychius: ὑποστέλλεται· Φοβεῖται. Si quis expectando defatigetur, et propterea expectare bona illa promissa desinat, is mihi summopere displicebit.

39. Ἡμεῖς—ψυχῆς) *Nos autem non sumus timidi ad perniciem nostram, sed fiducia pleni ad salutem nostram.* Nos non diffidimus Deo, sed fiduciam in eo ponimus, non ut miseriam nobis contrahamus, sed ut comparemus nobis salutem, ut salutis fiamus participes. Non deficimus a religione metu calamitatum commoti, sed religionem constanter profitemur. Ὑποστολῆς, πίστεως, sc. *vioὶ* s. τέκνα, *timidi, fiducia pleni* ex Hebraismo. Περιποίησις ψυχῆς, *possessio vitae, felicitas, salus;* nam vitam possidere saepe indicat felicitate frui. 1 Thess. V, 9.

CAP. XI.

1. Ἔστι δὲ—οὐ βλεπομένων) *Est autem fides rerum sperandarum firma quaedam expectatio, convictio indubitata de existentia rerum, quae sub adspectum non cadunt.* Ἐλπιζομένων ὑπόστασις, proprie: *illud quod facit, ut iam extent, quae sperantur.* Hinc ὑπόστασις est *firma quaedam expectatio,* supra III,

14. Alexandrini hebr. תּוֹחֶלֶת et ἐλπὶς et ὑπόστασις vertunt. Πραγμάτων ἔλεγχος οὐ βλεπομένων, *id quod demonstrat res, quae non cernuntur*, i. e. convictio indubitata de existentia rerum, quae sub adspectum non cadunt. Ἔλεγχος Glossaria, et Graeci scriptores de *convictione indubitata* usurpant. Aristoteles de *demonstratione mathematica*, Rhet. ad Alex. c. 14. Ἔλεγχος δέ ἐστιν ὁ μὲν μὴ δυνατὸς ἄλλως ἔχειν, ἀλλ' οὕτως ὡς ἡμεῖς λέγομεν. — τὰ ἐλπιζόμενα sunt *ea, quae nondum evenerunt, sed futura sunt.* Τὰ οὐ βλεπόμενα, *quae non cernuntur.* Intelligendum hoc de rebus praeteritis et futuris, ut ex sequentibus patet. Eleganter Chrysostomus ad h. l. Ἡ πίστις τοίνυν ἐστὶν ὄψις τῶν ἀδήλων, φησὶ, καὶ εἰς τὴν αὐτὴν τοῖς ὁρωμένοις Φέρει πληροφορίαν τὰ μὴ ὁρώμενα. — Ἐπειδὴ γὰρ τὰ ἐν ἐλπίδι ἀνυπόστατα εἶναι δοκεῖ, ἡ πίστις ὑπόστασιν αὐτοῖς χαρίζεται. μᾶλλον δὲ, οὐ χαρίζεται, ἀλλ' αὐτό ἐστιν οὐσία αὐτῶν. οἷον, ἡ ἀνάστασις οὐ παραγέγονεν, οὐδέ ἐστιν ἐν ὑποστάσει, ἀλλ' ἡ ἐλπὶς ὑφίστησιν αὐτὴν ἐν τῇ ἡμετέρᾳ ψυχῇ. Est itaque ἐλπιζομένων ὑπόστασις, *quum ea, quae futura speramus, quasi praesentia nobis mente et cogitatione repraesentamus.* Fides autem intelligitur ea, qua Dei dictis creditur et fiditur. Neque enim Apostolus, quum veterum temporum exempla profert, de fide in Christum agit, sed de fide in Deum, cuius species excellentissima est fides illa evangelica, quae ita est fides in Christum, ut simul sit fides in Deum, quia quae Christus dixit, ea dixit Dei nomine.

2. Ἐν ταύτῃ — πρεσβύτεροι) *Propter hanc enim maiores nostri laudem consecuti sunt.* Πρεσβύτε-

ροι hic sunt, qui c. I, 1. πατέρες vocantur, הקדמני. *Veteres*, Israëlitae, Patriarchae, Prophetae, quorum nonnulli nominatim laudantur in sequentibus. Μαρτυρεῖν, h. l. per synecdochen est testimonio ornare, *laudare, atque aliis commendare.*

3. Πίστει νοοῦμεν — γεγονέναι) *Fide convincimur mundum creatum esse voluntate Dei efficacissima, ita ut, quae nunc conspiciuntur, facta sint, quum antea nihil extitisset.* Νοεῖν, *intelligere, certissime cognoscere.* Per αἰῶνας hic, ut supra, intelligit *totum hoc universum.* Καταρτίζειν, *condere, sapienter construere.* Τὰ μὴ φαινόμενα et τὰ βλεπόμενα, res non aspectabiles et spectabiles, eodem sensu intellige quo Rom. IV, 14. de Deo dicitur: ῥήματι καλεῖ τὰ μὴ ὄντα, ὡς ὄντα. In verbis εἰς τὸ μὴ ἐκ φαινομένων, εἰς τὸ positum est pro ὥστε, et adverbium μὴ ad φαινομένων recte refertur, qua transpositione nihil esse usitatius Hellenistis, ostendit *Heinsius* ad h. l. ex 2 Maccab. VII, 28. Mundum hunc aspectabilem sola voluntate Dei creatum esse, discimus fide; nam illa creatio non est res ante oculos versans, sed dudum praeteriit. Nos nunc videmus, arbores ex arboribus gigni, animantia ex animantibus, homines ex hominibus. At primae illae arbores, prima animantia, primi homines, non habuere ortum ex talibus, qualia nunc existunt atque conspiciuntur. Hoc ideo dicit, ut eo facilius credamus, Deum exhibere posse, quae non conspicimus. Quae enim cernuntur non exstiterant ex rebus, ex materia adspectabili.

4. Πίστει—προσήνεγκε Θεῷ) *Fiducia iuvante Abel sacrificium praestantius* (acceptius) *obtulit Deo.* Θυ-

σία hic dicitur, tam de frugibus, quam de pecudibus. Πλείονα, *acceptius*, quomodo et Hebraei sumunt יותר, et παρὰ Καΐν, intelligendum παρὰ τῆς τοῦ Καΐν, quomodo hic accepit Syrus. Ideo autem acceptiorem dicit fuisse oblationem Abelis, quia fidem habuit. Credidit Deum repensare bona et mala facta, quod et diserte ad historiam addidit Paraphrastes Hierosolymitanus. δι' ἧς—αὐτοῦ Θεοῦ) *Propter quod laudem probitatis adeptus est; Deo significante, sacrificium eius sibi probari.* Similiter Philo Abelem vocat δίκαιον, de sacrif. Abelis, quia primitias Deo dedicavit. Ita etiam vocatur Matth. XXIII, 35. In reliquis alludit ad Gen. IV, 4. sqq. Quodnam indicium fuerit, sacrificium Abelis gratum et acceptum fuisse Deo, incertum est. Plerique existimant, id contigisse per ignem coelestem, qui carnes immolatas accenderet, vel per flammam ad coelum surgentem. Alii gregem, cuius primitias Abel Deo consecraverat, largissimo foetu a Deo fuisse multiplicatum. Verbum μαρτυρεῖσθαι eodem sensu, quo Vs. 2. sumitur. καὶ δι' αὐτῆς—λαλεῖται) Vel, ut alii rectius habent, λαλεῖ, sc. τὴν ἑαυτοῦ πίστιν, δικαιοσύνην, ἀρετὰς etc. *mortuus, fidem suam atque iustitiam adhuc loquitur;* mortuus docet nos suo exemplo, ut ipsum imitemur. Cf. infra XII, 24. Mortuo loquelam Noster tribuit eodem sensu, quo apud Virgilium Phlegyae poena *magna testatur voce per umbras: discite iustitiam moniti.* Sic Latini rebus inanimatis loquelam tribuentes, *rem ipsam loqui* dicunt.

5. Πίστει Ἐνὼχ—ὁ θεὸς) *Fide aliorsum translatus est Enoch ne moreretur.* In loco Mosis non di-

citur, eum non esse mortuum, sed illud dicitur: vitam agebat sanctam, ergo non amplius erat; nam abstulerat eum Deus; quod etiam de morte naturali intelligi poterat. Καὶ οὐχ εὑρίσκετο, hebr. וְאֵינֶנּוּ, Gen. V, 24. XLII, 36. De subita et improvisa morte explicant locum haud pauci, et addunt corpus eius post mortem non esse repertum. Iudaei vero hunc locum ita interpretati sunt, ut dicerent, ablatum esse Enochum a Deo, ne moreretur. Huic Iudaeorum opinioni se accommodat Auctor epistolae. De *morte peccatorum* explicat *Drusius* in Praeteritis. Heinsius Henochum ita putat dici ἀθάνατον, ac si eius mors in sacris litteris saltem non reperiatur, et legendum esse: ὅτι οὐχ εὑρίσκεται. Josephus Antiq. L. I. c. 3. ἀνεχώρησε πρὸς τὸ θεῖον. Cf. Gen. V, 24. Possis etiam verbum μετετέθη simpliciter vertere: *oculis humanis ereptus est.* Hoc saltim certum est, ex Nostri mente Enochum per translationem non factum esse miserum, sed beatum. πρὸ γὰρ — τῷ θεῷ) Legimus nempe apud Mosen, pie eum vixisse; ergo placuit Deo. Si autem Deo placuit, certe non translatus est aliorsum ut miser fieret; liberavit eum Deus potius ab huius vitae incommodis, et ornavit eum beneficiis.

6. Χωρὶς δὲ — γίνεται) *Non potest autem fieri, ut quis sine fide colat Deum eique placeat; credere enim oportet eum, qui Deum colit, eum existere, et cultoribus suis fore remuneratorem.* Εὐαρεστεῖν τινὶ est *facere id quod placet alteri*, eique gratum est; hinc εὐαρεστεῖν τῷ Θεῷ idem est ac *colere Deum* cum studio ei placendi. Idem significant phrases προσέρχεσθαι τῷ Θεῷ *accedere ad Deum*, et ἐκζητεῖν

τὸν Θεὸν, *adire Deum*, puta ut comperias quid abs te fieri velit; quo sensu habemus בִּקֵּשׁ aut דָּרַשׁ Deut. IV, 29. Ier. XXIX, 13. et aliis locis. Fides Enochi in eo erat, quod credebat, Deum esse, eumque esse remuneratorem hominum proborum. Hoc nisi credidisset, non potuisset Deum colere. Nemo enim colit eum, quem ne existere quidem putat.

7. Πίστει χρηματισθεὶς—τοῦ οἴκου αὐτοῦ) χρηματισθεὶς, *oraculo monitus*, ut Matth. II, 12. 22. Περὶ τῶν μηδέπω βλεπομένων, *de iis quae nondum aderant*, de imminente diluvio. Illud πίστει refertur ad εὐλαβηθεὶς κατεσκεύασε, fide pie morem gerens, struit *arcam*, i. e. quia oracuio pie fidem habebat. Εὐλαβηθεὶς, *pie ac religiose oraculum Dei colens*. Κιβωτὸν, λάρναξ, תֵּבָה, *navem constratam*, quales sunt arcae. δι' ἧς—κληρονόμος) *Cuius* (navis arcae) *exstructione poena dignum esse demonstravit reliquum genus humanum, et accepit praemium fidei destinatum*. Δι' ἧς, *per quam* sc. navem; eius exstructione. Κατέκρινε τὸν κόσμον, i. e. totum, extra familiam suam genus humanum. Condemnare dicitur aliquis etiam, qui suo facto ostendit, quid alii facere debuerint, atque inde eos non idem facientes, culpae convincit, ut Matth. XII, 41. 42. Δικαιοσύνη autem hic est *praemium* recte facti, sicut *peccatum* apud Hebraeos est *poena peccati*. Iam, quum Deus sibi credi velit, omnino facit quod Deus vult is, qui ei credit. Praemium autem fidei suae accepit Noe, dum salvus evasit diluvium.

8. Πίστει καλούμενος — ποῦ ἔρχεται) *Fide Abraamus vocatus ita auscultavit, ut abiret ad locum,*

quem possessurus erat; et abiit, quamvis nesciret, qualis esset terra in quam venturus esset. Priora verba construe: Ἀβραὰμ καλούμενος πίστει ὑπήκουσε. Ἐξελθὼν, ex Chaldaica terra et Mesopotamia. Εἰς τὸν τόπον, ὃν ἤμελλε λαμβάνειν εἰς κληρονομίαν, in Cananaeam, quam ipse, i. e. posteri ipsius erant possessuri. Μὴ ἐπιστάμενος, ποῦ ἔρχεται, i. e. nesciebat, quae et qualis erat illa terra Gen. XII, 1. 7.

9. Πίστει παρῴκησεν — τῆς αὐτῆς) Εἰς τὴν γῆν, pro ἐν τῇ γῇ. Τῆς ἐπαγγελίας, i. e. ἐπηγγελμένης. Ὁ πάροικος, unde verbum παροικεῖν, Hebraeis est גָּר, ξένος, ἀλλογενὴς, *advena*, *peregrinus*, et non συμπολίτης, οἰκεῖος, *domesticus* ac *civis*. Abrahamus vitam agebat Nomadicam. Ergo in terra, quae ipsi promissa erat, ut eam possideret, ita versatus est, quasi non esset eius possessor. Μετὰ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακὰβ, paritatem et modum indicat; nam et ipsi erant Scenitae, sicut Abrahamus. Τῶν συγκληρονόμων τῆς ἐπαγγελίας τῆς αὐτῆς, *quibus eadem promissio contigerat.*

10. Ἐξεδέχετο — ὁ Θεὸς) Τὴν τοὺς θεμελίους ἔχουσαν πόλιν non esse Hierosolyma terrestria, sed *patriam coelestem*, patet ex commate 16. coll. cap. XIII, 14. Θεμελίους pro θεμέλιον, Hebraeorum more, qui שָׁתוֹת potius quam שָׁתֹת scribunt, et *fundamenta* ponuntur hic pro *perpetuis* fundamentis, vel etiam pro firmis et stabilibus domiciliis, quae hic opponuntur ταῖς σκηναῖς, Vs. 9. Expectatione urbis

illius stabilis, i. e. felicitatis aeternae excitatus, molestias peregrinationis patienter tulit. Deus, universi totius τεχνίτης καὶ δημιουργὸς, praecipue urbis coelestis architectus et faber dicitur, quia, Chrysostomo et Theophylacto auctoribus, in coelo potissimum elucet quum sapientiae divinae, tum potentiae illius magnitudo.

11. Πίστει — ἔλαβε) *Propter fidem ipsa quoque Sara robur accepit ad concipiendam prolem in utero* etc. Δύναμιν ἔλαβε, robur uteri accepit; vis iuvenilis ei restituta est. Εἰς καταβολὴν σπέρματος, i. e. εἰς τὸ δέχεσθαι σπέρμα καταβεβλημένον, *ad recipiendum semen iniectum*, ut nempe fieret gravida. Non male Michaelis, quem Storrius sequitur, pro αὐτὴ Σάῤῥα legit αὐτῇ Σάῤῥα, ut sensus sit: *Fide Abraam accepit robur, ut ipsam Saram gravidam reddere posset, et illa pareret, quum iam opportunum tempus aetatis elapsum esset.* καὶ παρὰ — ἔτεκεν) Alii rectius omittunt τὸ ἔτεκεν, ut verba παρὰ καιρὸν ἡλικίας cohaereant cum illo ἔλαβε.

12. Διὸ καὶ — ἀναρίθμητος) Διὸ refer ad fidem et Abrahami et Sarae. Ἀφ' ἑνὸς, sc. ἀνδρὸς, Abrahamo, vel ut alii malunt σπέρματος, αἵματος. Καὶ ταῦτα, graeca locutio, quam Latine recte exprimas: *et quidem.* Νενεκρωμένος, *emortuus* dicitur Abrahamus respectu geniturae, quia per longam aetatem eae vires in eo erant emortuae. Cf. Rom. IV, 19. *Stellarum* aut *arenarum* nomen usurpamus, quum innumera iudicamus.

13. Κατὰ πίστιν—ἀσπασάμενοι) Quod editiones multae post ἰδόντες habent: καὶ πεισθέντες, deest in

plurimis codicibus, versionibus ac Patribus. Οὗτοι πάντες, s. κληρονόμοι τῆς ἐπαγγελίας, Abrahamus, Isaacus et Iacobus, de quibus com. 9. Ἀποθνήσκειν κατὰ πίστιν, *fide usque ad vitae finem permanere.* Μὴ λαβόντες τὰς ἐπαγγελίας, *quum nondum accepissent beneficia promissa*, possessionem terrae Canaan, numerosam posteritatem etc.; vel etiam stabilem veramque felicitatem. Ἀλλὰ πόρρωθεν αὐτὰς ἰδόντες καὶ ἀσπασάμενοι, *sed eminus quasi vidissent, et iis delectati fuissent.* Firmiter crediderunt nempe, Deum impleturum esse quod promiserat, etiam post mortem ipsorum, et gavisi sunt de prosperitate posterorum. Ἀσπάζειν saepe est *amplecti*, *delectari.* Aelian. Var. Hist. XIII, 18. de Dionysio, Siciliae tyranno: τραγῳδίαν ἠσπάζετο, *tragoediam amabat.* ὁμολογήσαντες — γῆς) Peregrinos sese atque viatores in hoc mundo sunt fassi, vitam ut peregrinationem, mundum ut hospitium considerantes. Gen. XXIII, 4. XLVII, 9. Παρεπίδημος, qui ad tempus breve alicubi degit.

14. 15. Οἱ γὰρ τοιαῦτα — ἀνακάμψαι) *Qui enim talia dicunt, manifestant, se patriam anquirere. Atqui si illius* (patriae) *meminissent, a qua exierant, habuissent tempus revertendi.* Ἐμφανίζουσι, significant. Ὅτι πατρίδα ἐπιζητοῦσι, quod desiderant, habere patriam. Nam qui in Patria est, non est aut hospes aut viator. *Patria* autem non est tantum, ubi nati sumus, sed et ubi ius civitatis habemus. Μνημονεύειν desiderium et amorem indicat, quo alicuius rei meminimus. Si ideo se peregrinos vocabant, quod in Cananaea peregrini essent, et Chaldaeam haberent pro patria, licebat illuc redire.

Intra annos plus ducentos, qui intercesserunt inter Abrahami exitum e Chaldaea, et Iacobi mortem, satis temporis fuit Abrahamo, Isaaco et Iacobo redeundi in Chaldaeam, si illam amassent ut patriam suam.

16. Νυνὶ δὲ — ἐπουρανίου) Ita *Anaxagoras* apud Diog. Laërt. 2 segm. 7. quaerenti: οὐδέν σοι μέλει τῆς πατρίδος; respondebat: εὖ φήμει· ἐμοὶ γὰρ καὶ σφόδρα μέλει τῆς πατρίδος· δείξας τὸν οὐρανόν. διὸ οὐκ—πόλιν) *Quapropter Deus eos habuit dignos, quorum Deus* (patronus) *vocetur; nam praeparavit iis urbem.* Διὸ, propterea, quod crediderunt Deo, eiusque promissionibus fidem habuerunt. Οὐκ ἐπαισχύνεται αὐτούς, est λιτότης, pro ἠξίωσε. *Deus eorum*, i. e. eorum patronus summus, et εὐεργέτης. Nam specialiter dicitur Deus *Abrahami, Isaaci et Iacobi.* Ita se nominavit, non tantum quum adhuc viverent, sed etiam post mortem eorum. Eo ipso intelligitur eorum esse fautor summus, et εὐεργέτης. Ἑτοιμάζειν, *destinare.* Πόλιν *coelum* esse hoc loco, e contextu clarum. Verbis ἡτοίμασε γὰρ αὐτοῖς πόλιν explicatur phrasis Θεὸς αὐτῶν, quod nempe sedem stabilem iis concedat, eos tueatur et remuneretur, quod ipsi eum colere pergant etc. Vs. 6. Luc. XX, 38. Ἑτοιμάζειν h. l. est *destinare*, ut Matth. XXV, 34. Cf. Tob. VI, 18. Gen. XXIV, 14., ubi pro hebr. הוֹכַיְתָ Alexandrinus interpres utitur verbo ἑτοιμάζειν.

17. Πίστει προσενήνοχεν — ἀναδεξάμενος) Προσενήνοχε, sc. ἐπὶ τὸν βωμὸν, Iac. II, 21. Partem oblationis re ipsa impleverat Abrahamus, filio ἐπὶ τὸν βωμὸν καὶ θυσιαστήριον imposito; partem perfecerat *ani-*

mo, quod certissime eum mactasset, si Deus permisisset. Itaque illud sacrificium pro integro atque consummato, non in sacris modo litteris, sed communi omnium in ore haberi, Philo fatur p. 374. D. Πειραζόμενος, Deo explorante ipsius fidem, idque postremum; nam post id ultra exploratus non est. Τὸν μονογενῆ, *unicum*, nempe ex iusta matrefamilias. Ἀναδέχεσθαι plus est, quam δέχεσθαι. Itaque *suscipere* non male vertit Latinus. In animum admiserat promissa a Deo sibi facta, nempe in Isaaci posteritate implenda, quod iam addet.

18. Πρὸς ὃν — σπέρμα) *Cui promissum erat: ex Isaaco habebis posteritatem.* Gen. XXI, 12. Κληθήναι, *esse;* verba enim nominalia saepe sunt realia. Notum est autem, Isaacum, quum morti destinaretur, fuisse improlem.

19. Λογισάμενος — ὁ θεὸς) Λογισάμενος referendum est ad remotius προσενήνοχε. *Reputans secum.* Credebat, ex Isaaco se habiturum posteros. Credebat, eundem interficiendum. Haec conciliari non poterant nisi per admirandam Dei potentiam, ad id efficiendum, quod eo tempore exemplo carebat. ὅθεν — ἐκομίσατο) *Unde eum etiam per imaginem quandam resuscitationis ex mortuis recepit.* Ἐν παραβολῇ, בְּמָשָׁל, supple ἐκ νεκρῶν, quasi scriptum esset: ὅθεν αὐτὸν καὶ ἐκ νεκρῶν ἐν παραβολῇ ἐκομίσατο. Illud καὶ huic interpretationi non obstat, si vertas: *etiam;* quod saepe fieri solet. Aliis παραβολὴ h. l. est *discrimen, praesentissimum vitae periculum*, a παραβάλλεσθαι, quod interdum est *periculo se exponere.* Vid. *Schleus-*

ner ad hanc vocem, ut sensus sit: *in ipso praesentissimo vitae periculo*, praeter spem et exspectationem *recuperavit*.

20. Πίστει περὶ — τὸν Ἡσαῦ) Περὶ μελλόντων, sc. προφητεύων, vel potius cohaerent haec verba cum πίστει, *fide de rebus futuris*, i. e. quia crediderat Deo, res magnas posteris suis eventuras, Gen. XXVI, 24.

21. Πίστει Ἰακὼβ — ῥάβδου αὐτοῦ) Ἀποθνήσκων, *moriturus*, praesens pro proxime futuro. Ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ῥάβδου αὐτοῦ habent etiam LXX, Gen. XLVII, 31. Vox hebraea tam *baculum* potest significare, quam *lectum*; nam puncta vocalia, quae significationem variant, olim adscripta non fuere. Sive *lectum* intelligas, sive *baculum* non multum interest; nam praecipuum in hac re est, Iacobum Deo honorem exhibuisse.

22. Πίστει Ἰωσὴφ — ἐνετείλατο) Mandata dedit de ossibus suis in terram promissam deportandis, quod signum erat, eum de possessione promissa nihil dubitare.

23. Πίστει Μωσῆς — τοῦ βασιλέως) Πατέρας hic vocat *parentes*, masculinum pro communi usurpans. Ἀστεῖος, *venustus* Moses hic dicitur, ut penes LXX, et Act. VII, 20. Vox autem ad corporis atque vultus refertur speciem. Hesychius: ἀστεῖος, καλὸς, ἐπίχαρις. Τὸ διάταγμα τοῦ βασιλέως, edictum, quo iubebantur parentes Iudaei exhibere infantes ma-

res ut interficerentur. Nam et hoc comprehensum fuit in edicto, quod breviter refertur Exod. I, 22.

24. Πίστει Μωσῆς—Φαραώ) Sprevit honorem, quem habebat, dici filium adoptivum *Thermuditis*, filiae tanti regis, Exod. II, 9. Μέγας γενόμενος, de *aetate* intelligendum est: *quum aetatem virilem attigisset.*

25. Μᾶλλον ἑλόμενος—ἀπόλαυσιν) *Maluit una cum populo Dei mala perpeti, quam temporariis defectionis* a Deo, quem Israelitae colebant, *commodis frui.* Ἁμαρτία, *defectio*, a Dei veri cultu. Vid. supra III, 17. Alii intelligunt per πρόσκαιρον ἁμαρτίας ἀπόλαυσιν aulicae vitae licentiam, et occasionem ad omne genus peccati.

26. Μείζονα—μισθαποδοσίαν) *Maiores divitias esse ratus Christi contumeliam, quam Aegypti divitias, quia praemium respiciebat.* Ὀνειδισμὸς τοῦ Χριστοῦ hic sunt contumeliae illae, quas tum Israelitae patiebantur, similes illis, quas perpessurus erat Christus, ut 2 Cor. I, 5. παθήματα τοῦ Χριστοῦ. Ἀπέβλεπε γὰρ εἰς τὴν μισθαποδοσίαν, *respiciebat enim praemium; rationem habebat remunerationis.* Hoc sensu ἀποβλέπειν occurrit apud Philonem de opif. p. 4. B. ἀποβλέπων εἰς τὸ παράδειγμα, *respiciens exemplum.*

27. Πίστει κατέλιπεν — ἐκαρτέρησε) Κατέλιπεν Αἴγυπτον, migratione illa solenni, cui ductor et caput praefuit. In verbis: *non extimescens iram regis*, respicitur historia, quae est Exod. X, 28. 29. Τὸν

γὰρ ἀόρατον ὡς ὁρῶν ἐκαρτέρησε. *Nam tanquam eum, qui cerni non potest, videret, ita constans fuit.* Καρτερεῖν, *forti animo esse, perdurare,* patienter ferre mala ac molestias.

28. Πίστει πεποίηκε — θίγῃ αὐτῶν) *Fide fecit* (instituit) *Pascha et infusionem sanguinis, ut ne is, qui perdebat primogenita, tangeret eos.* Τὴν πρόσχυσιν τοῦ αἵματος, *sparsionem sanguinis,* factam ad postes. Ὁ ὀλοθρεύων τὰ πρωτότοκα, *qui perdebat primogenita.* Pro ὀλοθρεύων, 1 Cor. X, 10. legitur ὀλοθραυτὴς, *angelus mortis;* i. e. *pestis.* Cf. l. c. Τὰ πρωτότοκα, sc. γεννήματα. Tam enim de pecudibus, quam de hominibus agitur Exod. XII, 12. *Tangere,* hic est *ferire,* נגף. Fides autem Mosis in ea re erat, quod certo sperabat, se sequente die, iuvante Deo, cum populo exiturum Aegypto.

29. Πίστει διέβησαν — κατεπόθησαν) Τὴν ἐρυθρὰν θάλασσαν, ita dictum non a *rubore,* ut alii tradunt, sed ab *Erythra* rege, i. e. ab Esavo seu Edomo, qui *rufus* erat. Hoc mare a Mose Exod. XV, 22. vocatur יַם סוּף *mare algosum;* et ob hanc algam, *viridem* Idumaeo mari colorem tribuunt Diodor. Sic. III. Theophrast. Hist. Plant. IV, 9. et Plinius Hist. Nat. XIII, 25. Διὰ ξηρᾶς, sc. γῆς. Ἧς sc. διαβάσεως πεῖραν λαβόντες οἱ Αἰγύπτιοι, *cuius transitus periculum facientes Aegyptii,* tracti exemplo, et putantes, sibi tutum fore, quod Israelitis tuto cedere videbant. Κατεπόθησαν, *absorpti sunt,* nempe fluctibus. Καταπίνω, non differt a καταποντίζω, quo in hac historia Philo utitur p. 630. B. Exod. XV, 4.

30. Πίστει τὰ τείχη—ἡμέρας) Κυκλόειν non tantum est *obsidione capere*, sed et *circumire*. Moenia Hierichuntis ceciderunt, *quum ea per septem dies circuissent*, vel obsidione cinxissent, quia in Iudaeis erat fides, i. e. certa oppidi expugnandi expectatio, postquam per septem dies obsidione cinxerant. Ios. VI.

31. Πίστει Ῥαὰβ—μετ' εἰρήνης) Voce πόρνη indicari dicunt, partim *cauponam* et *hospitam*, quae cibum et potum praebet peregrinis, partim *meretricem*, quae se ipsam vendit, victumque ex se voluptati praebet; hebr. זוֹנָה. Rahab vocatur πόρνη, non quod talis manserit, sed quod talis ante fuisset, Matth. XXI, 31. Ideo excepit et salvos fecit exploratores, ab Iosua missos, quod crederet, unum Deum esse verum, qui in Aegypto, et in Arabiae desertis locis res tam miras patrasset, cuius cultores erant Israëlitae. Μετ' εἰρήνης, i. e. μετὰ πολλῆς ἐπιμελείας, multa cum sollicitudine et humanitate, item, ut securi fuerint.

32. Καὶ τί—ὁ χρόνος) Has oratoribus formulas in usu esse, non pauci ostenderunt. Τί ἔτι λέγω; *quid opus est, hac de re ut loquar amplius?* Plena est talium exemplorum tota scriptura.

33. Οἱ διὰ—λεόντων) Attributa haec fidei, non ad *omnes* Vs. 32. laudatos, sed ad *singulos* spectant; licet cuncti ferme vicerunt reges, et populos subiugarunt. Ἐργάζεσθαι δικαιοσύνην, *virtutem exercere*, nisi hic potius de iustitia in diiudicandis litibus sit sermo, quo sensu iustitiam exercuerunt Iudices, Samuel, alii. Ἐπέτυχον ἐπαγγελιῶν, *consecuti sunt pro-*

missa. Φράσσειν στόματα λεόντων ad historiam Danielis VI, 22. respicit. Simson etiam et Davides cum leonibus dimicarunt tanquam victores. Dicuntur autem fecisse, quod a Deo obtinuere, ut fieret.

34. Ἔσβεσαν — ἀλλοτρίων) Ἔσβεσαν δύναμιν πυρὸς obtinuere ut ignis vim suam amitteret, quasi extinctus esset. Cf. Dan. III, 12. sqq. Ἔφυγον στόματα μαχαίρας, effugere enses acutos. Id enim פִּי חֶרֶב. Ἐνεδυναμώθησαν ἀπὸ ἀσθενείας, *Validi facti sunt ex imbecillis*, ut Simson, Iudic. XVI, 19. sqq. coll. Vs. 29. s. fretus auxilio divino. Alii: *revaluere a morbis*, ut Iob, Ezechias. Παρεμβολὰς ἔκλιναν ἀλλοτρίων) *Copias hostium profligarunt.* Παρεμβολή, apud interpretes V. T. non tantum *castra*, sed et *exercitus* significat. Cf. Sirac. XLVIII, 24. 1 Macc. V, 45. Et κλίνειν est Latinorum *inclinare*, apud Livium et alios de *acie*, usurpatum. Ἀλλότριοι, gentiles et idololatrae. Philo opponit Iudaeis.

35. Ἔλαβον—νεκροὺς αὐτῶν) *Mulieres receperunt mortuos suos vivos.* Ἐξ ἀναστάσεως, i. e. ἀναστάντας. Exemplum legitur 2 Reg. IV, 21. sqq. Ἐτυμπανίσθησαν, *tormentis distenti perierunt.* Ἀποτυμπανίζεσθαι dicuntur, qui ad mortem usque torquentur. Τύμπανον, quod et τροχὸς, tormenti est genus, quo malefici in equuleo, tanquam pelles in tympano, distendebantur, quale supplicium Eleazarus expertus est, 2 Macc. VI, 18. sqq. VII, 3. sqq. Suidas: τυμπανίζεται, ξύλῳ πλήσσεται, ἐκδέρεται καὶ κρεμᾶται. Vide Grotium et Carpzovium ad h. l. οὐ προσδεξάμενοι —τύχασιν) *Neque liberationem* (ex istis malis) *accepe-*

runt, ut ad meliorem olim vitam revocarentur. Ἀπολύτρωσιν οὐ προσδέχεσθαι, liberationem a poena nullam accipere, sub conditione idololatriae faciendae. 2 Maccab. VI. VII. *Melior resurrectio* autem est resurrectio ad meliorem vitam.

36. Ἕτεροι δὲ—Φυλακῆς) *Alii ludibriorum et flagellorum fecerunt experimentum, insuper vero vinculorum et carceris.* Πεῖραν λαμβάνειν, *sentire, experiri.* Ἐμπαιγμοί, *ludribria.* 2 Macc. VII, 7. Ἔτι δὲ, *insuper vero.*

37. Ἐπειράσθησαν) Τὸ πειράζεσθαι inter mortium genera non videtur locum habere, ideoque hanc vocem multi omittunt, Alii suspicantur, aliter legendum esse, ἐπυρώθησαν, ἐπυράσθησαν, ἐπρήσθησαν, ἐπάρθησαν, ἐπέρθησαν, ἐπράθησαν, ἐσπειράσθησαν, ἐσφαιρίσθησαν, ἐπηρειάσθησαν. Vide Bowyeri Coniect. ad h. l. *Carpzovius* vero id πειράζεσθαι non adeo leve existimat, sed, quod adiuncta postulant, idem esse ac *sollicitari ad scelus, admotis tormentis, tympanis, rotis, flagellis, catenis;* et vertit: *novis suppliciis tentati sunt; es sind ganz neue Arten der Todesstrafen an ihnen probiret worden.* περιῆλθον—δέρμασιν) Vilis his verbis indicatur egenorum habitus, quo exules et extorres errabant hinc illinc pii homines, tyrannorum metu. Philo in libro de victimis observat. p. 836. A. ex *ovinis* olim et *caprinis pellibus* paratas fuisse penulas viatorias, et alia tegmina, quibus usi fuissent, qui extra urbes sub dio agere coacti erant. Cf. Carpzov. ad h. l.

38. Ὧν οὐκ — ὀπαῖς τῆς γῆς) Efficaciter dictum: Illi, quorum consuetudine quotidiana homines ceteri non erant digni, ex urbibus vicisque exacti, receptum nullum nisi in locis inviis et asperis, specubusque et cavernis invenire potuerunt. 1 Macc. I, 53. II, 28. sqq. 2 Macc. V, 27. Iosephi antiqq. L. XII, c. VI.

39. Καὶ οὗτοι—τὴν ἐπαγγελίαν) De verbo μαρτυρεῖσθαι cf. supra Vs. 2. Οὐκ ἐκομίσαντο τὴν ἐπαγγελίαν, *non reportarunt praemium promissum*, promissam felicitatem. Hoc non posse simpliciter accipi, quasi nullum unquam a Deo promissum bonum acceperint, facile intelligitur. Erit igitur sermo de certo aliquo bono, vel de impletione promissionis de venturo Messia, vel, quod magis placet, de perfecta ex omni parte felicitate. Cf. supra Vs. 13. 33.

40. Τοῦ Θεοῦ—τελειωθῶσι) *Quoniam Deus nobis melius prospicere voluit, ne scilicet illi ad perfectam felicitatem pervenirent sine nobis.* Προβλέπεσθαι, *prospicere*, consulere alterius commodis. Ἵνα μὴ τελειωθῶσι, *ne perfecti redderentur*, ne plena felicitate fruerentur (c. II, 10.) χωρὶς ἡμῶν, *sine nobis.* Noluit Deus, ut illi perfecta felicitate in hac vita fruerentur, ne nos in dubitationes coniiciamur, an perfecta felicitas *post hanc vitam* sit expectanda. Alii sic explicant: Bona promissa (tempore Messiae demum percipienda) non consecuti sunt, Deo melius nobis prospiciente, ita ut illi minime possent sine nobis (sine beneficio doctrinae christianae in nos collato) felicitate consummata ornari.

CAP. XII.

1. Τοιγαροῦν—ἡμῖν ἀγῶνα) *Quapropter nos quoque, tanta testium* veluti *nube circumfusi, abiiciamus quodvis onus, et propensionem ad peccatum* (ad religionem deserendam) *facillime nos circumvenientem, constanter curramus in stadio nobis assignato.* Τοσοῦτον περικείμενον ἡμῖν νέφος μαρτύρων, *tantum agmen testium, quo quasi cingimur.* Νέφος, *nubes*, metaphorice saepe usurpatur de *magna copia.* Sic *Virgilius*, quod dixerat: *facta nube premunt*, mox explicat: *densis catervis.* Testes autem sunt ipsi illi c. XI. commemorati homines pii, qui testes nostrae vitae despiciunt veluti e coelo in terram, et vitam nostram intuentur. Possunt etiam verba τοσοῦτον ἔχοντες περικείμενον ἡμῖν νέφος μαρτύρων simpliciter exponi: *Quum extent tot documenta,* quanti Deus faciat fidem, et quantopere eam remuneretur. Ὄγκος, *pondus, onus.* A stadio sumto similitudo. Ibi, qui cursuri sunt, omnia quae oneri esse possunt, deponunt. Sic et nos deponere debemus amorem huius seculi, et curas negotiorum huius mundi, qui nos impediunt, quo minus officia nostra recte praestare possimus. Ἁμαρτία hic videtur esse *propensio ad peccatum*, nominatim ad defectionem a religione christiana, propensio ad ἀπιστίαν, ἀπείθειαν, ut contextus suadet. Cf. Vs. 4. Εὐπερίστατος, *circumstans, cingens* et ex adiuncto: *circumveniens, decipiens*, metaphora desumta a venatoribus, belluam circumvenientibus, vel hostibus, hostem circumdantibus. Ἡ εὐπε-

ῥίστατος ἁμαρτίαν itaque erit propensio ad peccatum, vel ad defectionem a religione, quae nos facile pellicit et impellit. Alii aliter. ὀι' ὑπομονῆς—ἀγῶνα, *Constanter curramus in stadio nobis assignato*, i. e. summopere studeamus officiis nostris satisfacere. Proposito enim nobis cursu intelliguntur officia nobis iniuncta. Metaphora a ludis et cursu veterum desumta, nec Paulo infrequens, nec Philoni ignota. Sic Philo de agric. pag. 203. E. τὸν προτεθέντα ἀγῶνα τῶν θείων καὶ ἐλυμπίων ἀρετῶν, *propositum certamen divinarum virtutum* commemorans, luctam, cursum olympiacum, et palaestram, ad animum applicat.

2. Ἀφορῶντες—Ἰησοῦν) *Intueamur in antesignanum et remuneratorem fidei*, (fiduciae nostrae) *Iesum*. Ἀρχηγὸς, *dux et antesignanus*. Christus nempe fiduciam suam in Deum collocavit, Hebr. II, 13. Nos vero eius exemplum imitari debemus. Τελειωτὴς, de ludorum agonotheta potest accipi, nempe de eo, qui praemia distribuit. ὃς ἀντὶ—ἐκάθισεν) Vel, ut alii legunt, κεκάθικεν. *Qui propter gaudium* (praemium) *instans subiit supplicium crucis, contemnens ignominiam, ad maiestatem divinam evectus est.* Ἀντὶ, plurimi interpretantur *pro*, quasi Iesu Christo relicta fuerit electio, an vellet gaudiis frui, vel crucem perpeti. Sed contextui convenientior videtur explicatio *Theodoreti*, quem Grotius sequitur, praepositionem ἀντὶ, reddentis *propter*, sc. *propter gaudium instans*, summam potestatem, quae mortem crucis consecuta est. Phil. II, 9. Ἀντὶ, etiam Eph. V, 31. significat *propter*. Προκειμένη χαρὰ dicitur, ut c. VI, 18. ἐλπὶς προκειμένη. Αἰσχύνη, h. l. est

ignomina supplicio crucis coniuncta. Καταφρονήσας huc comparate sumendum: non tanti faciens eam ignominiam, ut ei se vellet subducere. De sessione ad dextram Dei vide c. I, 3. 13.

3. Ἀναλογίσασθε—ἀντιλογίαν) *Considerate igitur eum, qui ab hominibus improbis tot adversa expertus est.* Ἀναλογίζεσθαι etiam Xenophonti est *expendere animo.* Idem quod λογίζεσθαι supra XI, 19. Ἀντιλογία hic denotat omnes Christo illatas iniurias, ipsumque etiam mortis supplicium; nam ἀντιλέγειν est etiam *male cuiquam facere*, Luc. II, 34. ἵνα μὴ—ἐκλυόμενοι) *Ne animis vestris deficiatis et succumbatis.* Κάμνειν est *taedio laboris afficī*; ἐκλύεσθαι, *lassari.* Haec duo verba e palaestra et ab athletis recepta sunt, qui dicuntur κάμνειν, ἐκλύεσθαι, ἀναπίπτειν, ἀπειπεῖν, quum vel animi, vel corporis robore ac viribus destituti, victas dant adversario manus, palmamque concedunt. Vide *Loesnerum* ad h. l.

4. Οὔπω μέχρις—ἀνταγωνιζόμενοι) *Nondum usque ad sanguinis profusionem resistendo adversus defectionem certavistis.* Μέχρις αἵματος, i. e. αἱματεκχυσίας, *ad sanguinis usque profusionem.* Pudeat vos defatigari levioribus malis. Illi prophetae, deinde et alii Maccabaicorum temporum, quorum supra meminimus, partim ad capitalia supplicia, partim ad tormenta rapti fuere. Christus ipse mortem, et quidem crucis perpessus est. Vos libertatis tantum et facultatum damna aut pericula incurristis. ἀμαρτίαν hic intellige κατ' ἐξοχὴν defectionem a religione christiana.

Nondum ad deserendam religionem vestram ipso supplicio estis adacti.

5. Καὶ ἐκλέλησθε — ἐλεγχόμενος) *Et tamen obliti estis admonitionis, quae vobis tanquam filiis dicit: Mi fili, ne contemnito castigationem Domini, nec taedio afficitor ab ipso obiurgatus.* Καὶ, *et tamen.* Παράκλησις de *consolatione* et *exhortatione* simul intelligi potest. Locus, quem Apostolus adducit, est Prov. III, 11. 12. Παιδία, institutio, quae factis fit, puta vinculis, legibus, poenis. Ἐλέγχειν, *obiurgare*, non tantum verbis, sed et factis, severius et durius aliquem tractare.

6. Ὃν γὰρ—παραδέχεται) *Quemcunque enim Dominus amat, eundem severa disciplina cohibet; severius tractat quemvis filium, quem diligit.* Sic est in graeca versione Proverbiorum, nisi quod pro παιδεύει in quibusdam codicibus est ἐλέγχει. Apparet, interpretes pro כְּאָב *ut pater*, legisse כְּאֵב *dolore affecit*, quod transtulerunt μαστιγοῖ. Hoc verbum μαστιγοῦν, cuius propria significatio est *verberare*, h. l. est *castigare, severius tractare.* Cf. Tob. XIII, 2. Sapient. XII, 22. XVI, 16. Ὃν παραδέχεται, *quem amat, diligit*, ut Luc. XV, 2.

7. Εἰ παιδείαν—ὁ Θεὸς) Εἰ παιδείαν ὑπομένετε, *si adversa vobis eveniunt.* Nam ὑπομένειν interdum nihil aliud est, quam *perpeti*, ut Iac. I, 12. Ὡς υἱοῖς ὑμῖν προσφέρεται ὁ Θεὸς, *agit vobiscum Deus tanquam cum liberis.* Hoc sensu verbum προσφέρεσθαι saepe obvium est apud bonos aucto-

res praecipue Demosthenem, Philonem etiam de Temul. p. 249. C. in Flacc. 966. A. *Agit vobiscum tanquam cum liberis*, ostendit se vestri habere curam, saluti vestrae prospicere, ut solent patres, qui liberos bene educare studeant.

8. Εἰ δὲ χωρὶς—οὐχ υἱοί) *Si autem expertes estis castigationis, quae tamen omnibus contingit, spurii vos estis, non filii.* Πάντες, nempe illi, de quibus actum capite praecedenti. Νόθους autem non intellige ex matre impare natos, sed eos, quos mater ex adulterio genuit, et marito vult obtrudere, ille autem reiicit. *Vobiscum ageretur, ut cum nothis solent homines, non, ut cum filiis.* Videri posset Deus curam vestri negligere, non prospicere vestrae saluti.

9. Εἶτα — καὶ ζήσομεν;) *Itane quum corporum nostrorum patres* (patres naturales) *habuerimus castigatores, et reveriti eos simus, non multo magis nos subiiciemus Patri spirituum, ut felicitatem consequamur?* Vel: *Itane quum corporum nostrorum patres, qui nos castigarunt, reveriti simus* etc. Εἶτα, i. e. τοίνυν, ἐπεὶ οὖν, *atqui, iam vero.* Πατέρας τῆς σαρκὸς, i. e. qui mortales ipsi ad mortalem vitam nos generaverant. Εἴχομεν καὶ ἐνετρεπόμεθα, idem est ac ἔχοντες ἐνετρεπόμεθα, adeoque τὸ ἔχοντες non exprimitur in versione. Ὑποταγησόμεθα, Niphal pro Hitphael, i. e. *subiiciemus nos ipsos*, nimirum ad ferenda adversa, ipso ita volente. Τῷ πατρὶ τῶν πνευμάτων, *cui nos omnes corpus et animam debemus*, ut Num. XVI, 22., ubi Deus vocatur Θεὸς τῶν πνευμάτων καὶ πάσης

σαρκὸς, vel potius *patri spirituali*, patri qui est spiritus, perfectissimus, qui nunquam pro Inbitu, sine idoneis rationibus castigat, vel errores in castigando admittit, ut patres humani solent, Vs. 10.; nam describitur Deus ut parens, non ut creator. Καὶ ζήσομεν, *ut vivamus*, nempe in *perpetuum* et feliciter.

10. Οἱ μὲν γὰρ—ἁγιότητος αὐτοῦ) *Illi quidem ad hanc vitam brevem pro arbitratu suo nos in disciplina continuerunt; hic autem commodi nostri caussa, ut ipsius sanctitatem imitari possimus*, ut ad similitudinem eius eo studiosiores simus virtutis. Πρὸς ὀλίγας ἡμέρας, *ad hanc vitam brevem*, vel ad vitae huius felicitatem. Κατὰ τὸ δοκοῦν αὐτοῖς, pro arbitratu, saepe ex errore, interdum etiam sua vitia pro virtutibus instillantes. Parentes saepe sic volunt, sic iubent suos liberos; stat iis pro ratione voluntas. Ἐπὶ τὸ συμφέρον, *ad nostros usus;* nam nec pravis affectibus abripitur. Ἁγιότης Θεοῦ, *sanctitas Dei*, nisi malles de Dei *gloria*, *maiestate* et *beatitudine aeterna interpretari.*

11. Πᾶσα δὲ — ἀλλὰ λύπης) πρὸς τὸ παρὸν, *quamdiu sentitur.* Οὐ δοκεῖ χαρᾶς sc. πρᾶγμα, εἶναι, ἀλλὰ λύπης, *non gaudium sed tristitiam parit*, si nempe sensus externos consulimus. Radices amarae, sed fructus dulces. ὕστερον δὲ — δικαιοσύνης) *Posthac vero reddit fructum saluberrimum virtutis et probitatis, iis qui per eum exercitati sunt.* Καρπὸς εἰρηνικὸς *fructus salubris, utilis*, ad felicitatem pertinens, ex hebraica significatione vocis שָׁלוֹם, quae etiam omne *bonum* denotat. Alii vertunt: *iucundus*

gratus, quia τῇ λύπῃ opponitur. Δικαιοσύνη hic latius sumitur, et omnes officii nostri partes complectitur. Significatur conditio praestantior eorum, qui virtuti student. Efficit, ut diligentiores in officiis simus, quae res est saluberrima.

12. Διὸ — ἀνορθώσατε) *Quapropter remissas manus et genua languescentia erigite*, i. e. sumite animum, et maiori studio agite et perferte, quod Christianos agere et perferre decet. Ex Ies. XXXV, 3. Phrasin denuo ab athletis atque palaestra desumtam esse multi existimant. Sed vix credibile est, Iesaiam respexisse ad Graecorum ludos. Metaphora potius videtur ab *aegrotis* vel longo itinere *defatigatis* esse desumta. Hesychius: παρειμένως, *remisse*, *languide*. Sane persecutionum metu languere poterant Hebraei, remittere manus, ac pedibus defatigari. Comparatur nempe Christiani vita cum labore et cursu.

13. Καὶ τροχιὰς—ποσὶν ὑμῶν) Ex Proverb. IV, 26. Ἡ τροχιὰ, *semita*, *via*. Τοῖς ποσὶν hic est Dativus. Sensus igitur: *Facite complanari vobis vias, per quas ituri estis*, i. e. auferte omnia pietatis impedimenta. ἵνα μὴ—μᾶλλον) *Ne membrum debile luxetur, sed sanetur potius.* Colligite vires, ne quis in novum periculum incidat, si remiserit vires. Τὸ χωλὸν hic est membrum corporis, ubi nervi aliquid de vigore suo perdidere. Talia membra, si iter fiat per loca inaequalia, facile loco suo excidunt, sive luxantur, quod hic est ἐκτρέπεσθαι. Sanantur autem interdum talia membra ambulatione commoda, per quam calor nervis redit. Sic removere debebant He-

braei omnia, quibus alii ad defectionem a religione induci potuissent.

14. Εἰρήνην—κύριον) Εἰρήνη, *concordia*, animus erga omnes benevolens. Concordia multum valet ad constantiam in adversis. Ubi enim, qui in eodem coetu sunt, incipiunt discordes esse, ad alium coetum facile transeunt. Ἁγιασμὸς, *vitae integritas*, complexus omnium virtutum. *Videre Deum* notat salutem consequi, et vitam aeternam, Matth. V, 8. Vel κύριος est *Christus*. Christum autem videre, praesupponit, eo venire, ubi Christus est, nempe in coelum summum, 1 Ioc. III, 2.

15. Ἐπισκοποῦντες—τοῦ Θεοῦ) Supple ἦτε. *Attendite, ne quis amittat beneficium divinum.* Beneficium autem est Christianismus. Ergo sensus est: Spectetis, ne quis a religione christiana deficiat. Ἐπισκοπεῖν, i. e. ἐπισκέπτεσθαι, *attendere, diligenter visere*, ut medici aegrotos solent. Ὑστερεῖν proprie est a *tergo relinqui, tardius venire*, deinde vero etiam *destitui, privari aliqua re.* Μή τις—πολλοὶ) *ne amara* (venenata) *radix* (planta) *propullulans obturbet, et per eam inficiantur multi*, i. e. *ne homo malignus insurgens, malo suo exemplo alios corrumpat, et multi per eum inficiantur.* E Deut. XXIX, 18., sed sensu potius expresso, quam servatis verbis. Ῥίζα πικρίας, *radix*, planta *mala*, hic est *homo malus*, ut 1 Macc. I, 10. *Antiochus Epiphanes* vocatur ῥίζα ἁμαρτωλὸς. Mos est Hebraeis, omne venenum vocare *amarum.* Pro ἐν χολῇ, quod est cit. Deut. loco, hic legitur ἐνοχλῇ, quod commodum sensum

habet; nam ἐνοχλεῖν est *obturbare*, *molestia afficere*, excitare turbas. *Hippocrati* illa medicamenta ἐνοχλέοντα audiunt, quae sumta, *turbas intro excitant*, et ventrem solvunt. Μιαίνειν, *inficere*.

16. Μή τις — πρωτοτόκια αὐτοῦ) Notanda est disiunctiva ἤ, ne quis putet Esavum vocari πόρνον. Nam quod nonnulli arbitrantur, Nostrum de impudicitia ac πορνείᾳ Esaui, vel ex quodam auctore sacro, vel apocrypho, aut certe per traditionem accepisse, omni fundamento caret. Βέβηλος, qui nihil facit *promissiones divinas*. Nam primogeniturae, quam Esavus vendidit, magna erant iura, quibus amissis, privatus est magna dignitate ac spe, fore, ut numerosae posteritatis, Deo sacrae, fieret pater.

17. Ἴστε γὰρ—ἐκζητήσας αὐτὴν) *Scitis enim quod etiam postea, quum vellet obtinere benedictionem, repulsam accepit; quippe non potuit efficere* (apud patrem suum) *sententiae mutationem, quamvis eam cum lacrymis quaereret.* Κληρονομῆσαι, *obtinere*. Εὐλογία, benedictio paterna, apprecationes bonorum praesertim terrae Cananaeae, nominatim eorum bonorum, quae cum iure primogenitorae erant coniuncta. Esavus accepit quidem benedictionem, sed non eam, quae primogenito competebat. Gen. XXVII, 32—40. Μετανοίας τόπον οὐχ εὗρε, *non potuit persuadere* patri *ut mutaret sententiam*. Non enim de Esavi, sed de Patris, Isaaci, μετανοίᾳ est sermo. Μετάνοια, *retractatio*, mutatio sententiae atque apprecationum Isaaci, cui Esavus persuadere voluit, ut revocaret benedictionem Iacobo datam. Ἀποδοκιμάζεσθαι est,

non obtinere quod volumus. Αὐτὴν, sive ad μετάνοιαν, sive ad εὐλογίαν referas, perinde est.

18. Οὐ γὰρ—θυέλλῃ) Adhortatur Hebraeos ad sanctimoniam, arcessens argumentum a figura legis veteris, quae, ut olim dabatur, populum requirebat *purum* et *castum.* Multo magis nos sub Evangelio oportet esse sanctos. Quanto enim doctrina evangelica cum suis promissis praestat legi Mosis, tanto damnabilior est eius contemtus. Quod ut ostendat, modum primo enarrat datae ac promulgatae Legis; postea, ut affectus fuit quum populus, tum Moses. Potest etiam locus hic cum praecedenti connecti sic: Cavete vobis ne deficiatis a christiana religione, qui enim deficiunt, ii amittunt bona multo praestantiora iis, quae amisit Esavus cum posteris, exclusus e populo Dei. Nobis Christianis patet aditus ad Deum et coelum; veteri illi populo Dei non licebat propius accedere ad Deum. Lex Mosis est severa, terrorem incutiens; religio christiana est mitis, animum tranquillans. Hanc rem illustrat Auctor ex historia Exod. XIX. XX. et cum conditione veteris illius populi comparat feliciorem conditionem Christianorum. Vid. Storrii not. ad h. l. Οὐ γὰρ προσεληλύθατε — πυρὶ, *non enim accessistis ad montem igne tactum et adustum.* Sic saepe Latini dicunt: *fulmine tactum.* Non enim ψηλαφᾶν de rebus tantum dicitur, quae *manibus palpantur*, sed et de iis, quae quocunque modo *attinguntur.* Quod mons Sinai inter fulmina et tonitrua igne tactus, ardensque fuerit, vid. Exod. XIX, 16. 18. Deut. IV, 11. 15. Καὶ γνόφῳ — θυέλλῃ) *et ad nubem densam, et caliginem et procellam.* Γνόφος est *caligo* coelo

nubibus obvoluto exorta, et *nubes ipsa*. Hinc LXX. vocem עֲנָן per γνόφον transferunt. Deut. IV, 11. Ad augendam autem spissae nubis densitatem additur καὶ σκότος, pro σκοτεινὸς γνόφος, seu σκότος γνοφώδες. Θυέλλα, *turba, procella*. Cf. Exod. XIX. XX.

19. Καὶ σάλπιγγος — ῥημάτων) *Et ad tonitrua, eamque vocem, quam qui audierant* (semel) *ne amplius audirent, deprecabantur*. Σάλπιγξ, *tuba*, metaphorice est *tonitru*; ob sonum vehementem, quem edit, et qui similis est sono tubae. Exod. XIX, 16. φωνὴ ῥημάτων, *tonitru, quo praecepta promulgata fuerunt*. Ῥήματα, *praecepta decem*; φωνὴ, קוֹל saepe est *tonitrum*. ἧς — λόγον) Ἧς, sc. φωνῆς. Orabant, ne Deus ultra verbum adderet, i. e. ne posthac eos tam terribili sono alloqueretur. Exod. XX, 19. Deut. V, 25. 26. 27. Verbum παραιτεῖσθαι Attice interdum notat αἰτεῖσθαι, παρακαλεῖν, *precari*. Sensus horum commatum est: *non accessistis ad religionem terrore plenam*.

20. Οὐκ ἔφερον γὰρ τὸ διαστελλόμενον) *non enim ferebant interdictum*. Verba ἢ βολίδι κατατοξευθήσεται recte omittuntur; desunt enim in optimis Codicibus, Versionibus et Patribus. *Non poterant ferre illud severum edictum* de non tangendo monte, quod continetur Exod. XIX, 12. 13. Ingens sane metus caussa ex tanta severitate, quae nec bestiis parceret.

21. Καὶ — ἔντρομος) *Et tam terribilis erat illa species* (terribile illud spectaculum), *ut ipse adeo Mo-*

ses toto se diceret corpore contremiscere. Καὶ, pro ἀλλὰ καὶ, *ipse adeo* Moses, quamvis quotidie cum Deo versabatur, et identidem videbat eius gloriam ac maiestatem, tremebat tamen hac vice, atque extimescebat. Verba οὕτω φοβερὸν ἦν τὸ φανταζόμενον, parenthesi sunt includenda. Τὸ φανταζόμενον, *visum, species,* sc. ignis, tonitrua, caligo, de quibus in praecedentibus erat sermo. Τὸ εἶπε sumitur, vel ut Hebraeis אָמַר, de animi cogitationibus, vel de ipsa actione, *tremebat totus et horrebat.* Alii existimant Paulum haec verba petiisse ex Deut. IX, 19. alii ex Exod. XIX, 19.

22. Ἀλλὰ—ἀγγέλων) *Sed accessistis ad Sionem montem, et ad urbem Dei immortalis, Hierosolymam coelestem, itemque ad angelorum myriadas.* Describitur civitas illa supercoelestis, domicilium angelorum et beatorum hominum, sedes maiestatis divinae, imagine desumta ab Hierosolymis terrestribus. In monte Sione David Rex sedem regiam habebat; in civitate illa coelesti Iesus Christus. Hierosolyma vocata sunt ἱερόπολις, coelum potiori iure vocatur πόλις Θεοῦ ζῶντος. Καὶ μυριάσιν ἀγγέλων. Sic enim recte interpungitur, et πανηγύρει iungitur cum vocibus καὶ ἐκκλησίᾳ, ut bene *Carpzovius* monet. Consentit *Noesseltus (Exercitatt. ad sacrarum Scripturar. interpretationem* pag. 184.). Nam verbum πανηγύρει non potest coniungi cum antecedentibus μυριάσιν ἀγγέλων, nisi velis cum Origine legere μυριάδΩΝ ἀγγέλων πανηγύρει, quod nullam habet veterum codicum aut versionum auctoritatem. Atque etiamsi τὸ καὶ, ceteris omnibus sententiis praepositum, ante

πανηγύρει desiderari non debere videatur, recte tamen illud omissum fuerit, si verba πανηγύρει et quae sequuntur, in appositione posita sint, atque ista πανηγυρει καὶ ἐκκλησίᾳ πρωτοτόκων ἐν οὐρανοῖς ἀπογεγραμμένων declarandi caussa sive descriptionis instar adiecta.

23. Πανηγύρει — ἀπογεγραμμένων) *Celebrationem* (et coetum) *primorum in coelis conscriptorum.* Πανήγυρις saepe est conventus populi Israëlitici ad Deum laudandum, Hos. II, 11. מוֹעֵד, festum; h. l. autem in universum *conventus.* Hesychius: πανήγυρις, ἑορτή. Ἐκκλησία, קָהָל, *conventus.* Πρωτοτόκοι, *electi*, celsissimae dignitatis homines; regni coelestis cives; Deo cari; nam primogeniti parentibus suis prae aliis cari esse solent. Ἐν οὐρανοῖς ἀπογεγραμμένοι, scripti in albo coelesti: nam ἀπογράφεσθαι est vox censualis, ut videmus Luc. II, 1. καὶ κριτῇ — τετελειωμένων) *Et ad iudicem omnium Deum, et ad proborum, qui iam ad metam pertigere, animas.* Quum Auctor Deum κριτὴν πάντων nuncupat, perspicuum est, *iudicem* mitiori et quasi fausto sensu dictum esse, fere ut c. X, 30. et 2 Tim. IV, 8., ut non ille ut iratus sive severus iudex vel legislator cogitari debeat, cuius conspectu in Sina monte vel Moses contremuisset, Vs. 21. Τελειοῦσθαι proprium est eorum, qui pervenerunt ad metam, propositumque consecuti sunt praemium, ut Phil. III, 12. Significat igitur statum optimum, ad quem animae a corpore separatae pervenire possunt.

24. Καὶ διαθήκης — τὸν Ἄβελ) *Ad Iesum* denique *qui novum foedus sanxit piaculo sanguinis sui,*

magis fausta postulantis, quam Abelis sanguis efflagitasset. In verbis διαθήκης νέας μεσίτης κ. αἵματος ῥαντ. est ἓν διὰ δυοῖν. Αἷμα ῥαντισμοῦ, *sanguis lustralis*, qui corda quasi aspergit, et a peccatis liberat. Sensus est: Participes facti estis beneficiorum, quae ex morte Christi ad vos redundant. Κρείττονα λαλοῦντι παρὰ τὸν Ἄβελ, *qui meliora loquitur* s. postulat, *quam profusus Abelis sanguis*. Olim Abelis caede Deus provocatus est ad ulciscendum; sed propter Christi mortem nobis condonat peccata. Pro κρείττονα multi Codices et Patres habent κρεῖττον, et pro παρὰ τὸν Ἄβελ legunt παρὰ τὸ Ἄβελ, sc. αἷμα τοῦ Ἄβελ, sensu quidem eodem. Κρείττονα, *meliora, acceptiora*. Sanguis enim Abel λαλεῖ, *loquitur* vindictam, at ille Iesu Christi, remissionem peccatorum. Cf. supra c. XI, 4. Locutio: Τὸ αἷμα λαλεῖ, desumta est e Gen. IV, 10. Similis locus est 2 Macc. VIII, 3. Christus intercedit pro nobis, i. e. servat nos in perpetuum.

25. Βλέπετε - λαλοῦντα) *Cavete, ne repudietis loquentem (eum, qui nobis voluntatem suam revelavit).* Παραιτεῖν est *aversari, repudiare, recusare, obsequium denegare.* λαλοῦντα, pro λαλήσαντα, frequenti locutione. Per τὸν λαλοῦντα alii intelligunt Deum, alii Iesum, de quo Vs. 24. sermo fuerat. Posterior sententia praeferenda esse videtur. Εἰ γὰρ — ἀποστρεφόμενοι) *si enim illi non effugerunt* (poenam), *qui in terra ipsos alloquentem repudiaverant, quanto minus nos, si de coelo alloquentem spreverimus?* Οἱ ἐκεῖνοι παραιτησάμενοι sunt Israëlitae, tum ad Horebum congregati, tum generatim, quorum σκλη-

ροκαρδία et ἀπιστία in Pentateucho describitur. Τὸν ἐπὶ τῆς γῆς χρηματίζοντα, intellige *Mosen*. χρηματίζειν h. l. est *oracula divina promulgare*, quod fecit Moses, qui in monte Sina, ἐπὶ τῆς γῆς, legem promulgabat. Deus in promulgata lege non potest dici in terra locutus esse, qui potius ex coelo verba legis pronunciasse dicitur, ut Exod. XX, 22. Deuter. IV, 36. Πολλῷ μᾶλλον ἡμεῖς, sc. οὐκ ἐκφευξόμεθα. Τὸν ἀπ' οὐρανοῦ, nempe χρηματίζοντα, pro χρηματίσαντα. Dicitur autem Christus de coelo loqui, quoniam in coelo, ad dextram Dei sedens, in omni terrarum orbe propagat per doctores suum Evangelium. Ἀποστρέφομαι, *aversor*, *fastidio*, *abominor*.

26. Οὗ ἡ φωνὴ — τότε) *Cuius* (Messiae) *vox tum* (in legislatione) *concussit terram*. Intelligitur φωνὴ ῥημάτων de monte Sinai, qua montem terramque circum sitam quassatam fuisse et commotam, patet ex Exod. XIX, 18. οὗ, sc. eius, qui nunc de coelo loquitur. Dicta enim de Deo saepissime in N. T. de Messia explicantur. νῦν δὲ—οὐρανόν *Nunc autem promissum habemus, quo dixit: Semel adhuc non modo terram, verum etiam coelum ipsum concutiam*. Illud νῦν absolute sumendum, quod attinet ad praesentia tempora. Ἐπήγγελται, λέγων, promisit de nostris temporibus, apud Haggaeum c. II, 6. Magnas inquit, antehac feci mutationes; sed restat longe maior. Illa verba: commovebo coelum, terram, maria, omnesque nationes, indicant: efficiam maximam orbis terrarum conversionem et revolutionem, sic ut omnes nationes ad Messiam veniant. Haec orbis terrarum

conversio et revolutio effecta est per religionem christianam, eiusque in toto orbe propagationem. Storrius hunc locum refert ad interitum huius mundi et novum mundum, nostram hanc in terris commorationem secuturum, 2 Petr. III, 7. sqq. Verba huius commatis non ex Haggaeo desumta, sed ipsius Christi ἄγραφα esse putat. Sic Paulus Act. XX, 35. etiam dictum Christi ἄγραφον citavit.

27. Τὸ δὲ—μὴ σαλευόμενα) *Illud autem: adhuc semel indicat mutationem eorum quae commota sunt, quippe quae sic facta sunt, ut maneant quae concutiuntur.* Ἔτι ἅπαξ dicere solemus, quum magnum aliquid et antehac inauditum molimur. Δηλοῖ τῶν σαλευομένων τὴν μετάθεσιν, *indicat mutationem eorum quae commota sunt.* Τὰ σαλευόμενα vel est oeconomia Mosaica quae concussa et penitus abrogata est per Christum, vel, ut alii volunt, hic orbis terrarum et coelum. Contra vero τὰ μὴ σαλευόμενα sunt vel nova oeconomia, quae successit oeconomiae Iudaicae, et manebit ad finem mundi, vel novus ille status post rerum omnium humanarum finem. Illa σαλευόμενα, *fluctuantia*, sive veterem oeconomiam intelligas, sive eam quae nunc est rerum omnium conditionem, sic facta erant, ut mutari aliquando et aboleri poterant et debebant. Successit igitur aliquid perpetuo duraturum, interitui non amplius obnoxium.

28. Διὸ βασιλείαν — εὐλαβείας) *Quum igitur nos regni, nunquam in posterum tollendi cives simus, gratum* (Deo) *animum praestemus, cuius ope Deum ita colamus ut ei probemur, cum cautione summa*

et reverentia. Παραλαμβάνοντες pro futur. παραλήψόμενοι. Phrasin παραλαμβάνειν βασιλείαν profani etiam scriptores de iis adhibent, qui reges fiunt; hic vero de aeterna Christianorum felicitate intelligitur, vel etiam de regno Messiae, quod durabit ad finem mundi. Χάριν ἔχειν, *gratias agere*, ut Luc. XVII, 9. 1 Tim. I, 12. Δι' ἧς, sc. χάριτος. Αἰδώς hic reverentiam Dei significat; sic enim αἰδεῖσθαι sumunt Graeci. Εὐλάβεια vero insuper denotat poenae metum, ut ostendunt sequentia.

29. Καὶ γὰρ — κατανάλισκον) *Deus enim etiam noster est quasi ignis consumens.* Ex Deut. IV, 24. Sensus est: Deum non minus graviter Christianis peccantibus irasci, quam olim Israëlitis iratus fuit peccantibus, facillimumque ei esse, non minus, quam igni flagrantissimo, eos, quos arripuit, pessime perdere.

CAP. XIII.

1. Ἡ φιλαδελφία μενέτω) *Nolite desinere vos mutuo amare.* Rom. XII, 10. φιλαδελφία, amor erga Christianos, qui *fratres* et *sorores* se invicem nominabant.

2. Τῆς φιλοξενίας — ἀγγέλους) Respiciuntur historiae Gen. XVIII. et XIX. et refertur hoc, ut appareat, quanta sint apud Deum praemia τῆς φιλοξενίας. Locutio ἔλαθον ξενίσαντες, sc. ἑαυτοὺς, bene graeca est, et apud optimos Scriptores reperitur. *Excepe-*

runt inscii. Hoc vult auctor: Saepe fit, ut digniores excipiamus hospites, quam primo intuitu putaveramus.

3. Μιμνήσκεσθε—σώματι) *Memores estote vinctorum, tanquam una cum illis vincti, calamitatibus pressorum, ut ipsi homines,* et calamitatibus obnoxii. Ὡς συνδεδεμένοι, quasi ipsi eadem mala sentiretis. Εἶναι ἐν σώματι, in corpore sc. caduco esse, pro ἄνθρωπον εἶναι ac ζῆν. Porphyr. de abst. 38. τὶ δεινὸν ἦν, ἐν σώματι εἶναι;

4. Τίμιος — ὁ Θεὸς) Ὁ γάμος, *nuptiae, coniugium.* Τίμιος, sc. ἔστω. Ab omnibus coniugio suus servetur honos; nam ne Deo quidem thorus displicet. Ἡ κοίτη, lectus coniugalis, θάλαμος. Sapient. III, 13. Ἀμίαντον, *intemeratum,* quod inquinari scortatione et adulterio non debet. Κρινεῖ, *puniet.* Non adulteros tantum, qui si deprehendantur, etiam humanis legibus puniri solent, puniet Deus, sed et πόρνους, i. e. venere utentes extra coniugium. Recte Dei iudicio reservat illa flagitia, quae solent aliis hominibus esse abscondita.

5. Ἀφιλάργυρος — παροῦσιν) *Sint mores ab avaritia alieni; contenti estote rebus vestris.* Ὁ τρόπος, pro quo οἱ τρόποι frequens Philoni est, *mores.* Platoni inprimis usitatum τρόπος δίκαιος, τρόπος χρηστός. *Studia, cogitationes vestrae absint a pecuniae cupiditate.* Ἀρκούμενοι τοῖς παροῦσιν, sc. ἦτε. Τὰ παρόντα, facultates, quae ad vitae usum, utut parvae, praesto sunt. Natura paucis contenta. αὐτὸς γὰρ — ἐγκαταλίπω) Αὐτὸς. *Deus* nempe. Verba desumta

sunt ex Ios. I, 5. Similia leguntur Deut. XXXI, 6. 1 Paralip. XXVIII, 20. *Ego certissime te non desero. Ego certissime te non relinquo.*

6. Ὥστε — ἄνθρωπος) Θαῤῥοῦντας, בְּטָחִים, *cum fiducia in Deum.* Verba sequentia e Psalmo CXVIII, 6. desumta. Ἄνθρωπος, i. e. ἀνθρώπων τις. Bene autem aptat hoc Apostolus Hebraeis illis Christianis, qui ob religionem saepe ab improbis exuebantur suis facultatibus.

7. Μνημονεύετε τῶν ἡγουμένων ὑμῶν) Ἡγούμενοι generatim sunt, qui aliis praeeunt, inprimis reges ac duces. Sic Philo ἡγεμόνα opponit τοῖς ὑπηκόοις, de Legat. ad Caium p. 1032. D. charit. p. 699. A. Postea ita nominantur *Doctores, Sacerdotes, Diaconi.* Luc. XXII, 26. Act. XV, 22. ὧν ἀναθεωροῦντες — τὴν πίστιν) *Considerate exitum quem habuit eorum vivendi consuetudo, et imitamini fidem eorum.* Ἡ ἀναστροφὴ non est *vita*, sed vivendi ratio ac modus, et sumitur sensu morali. Ergo ἡ ἔκβασις τῆς ἀναστροφῆς non est finis vitae s. mors, sed exitus quem habuit probitas, fides et constantia doctorum. Liberati sunt ab omnibus adversis vitae, et fruuntur beatitate in altera vita. *Fidem eorum imitari*, est fiduciam eorum imitari quam usque ad finem vitae in Deo posuerunt.

8. Ἰησοῦς — αἰῶνας) *Iesus Christus est semper idem omnisque mutationis expers*, i. e. semper eadem est et esse debet religio christiana, est immutabilis. Ἰησοῦς Χριστὸς, *religio christiana*, ut saepissi-

me in his libris. Formula χθὲς καὶ σήμερον respondet hebraicae phrasi גַּם־תְּמוֹל גַּם־הַיּוֹם Exod. V, 14. *uti olim, ita et nunc.* Cf. Gen. XXXI, 2. Sirac. XXXVIII, 24. Hanc sententiam praemittit scriptor exhortationi ad constantiam in nova religione christiana Vs. 9. Periculum enim erat, ne Christiani ex Iudaeis avitam religionem commiscerent cum nova, et multas cerimonias rituales transferrent in christianam religionem.

9. Διδαχαῖς περιΦέρεσθε) *Doctrinis variis et peregrinis ne agitemini.* Pro περιΦέρεσθε alii legunt παραΦέρεσθε, quam lectionem Millius, Bengelius, Wetstenius aliique probant. Παραφέρεσθαι est *a recta via abduci;* περιφέρεσθαι, *circumagi*, et h. l. sermo est de iis qui *instabiles* sunt in doctrina. Doctrinae *peregrinae* sunt falsae, quae non sunt partes religionis christianae, opiniones humanae, quales tum erant Iudaeorum, eam defendentes necessitatem observandarum Iudaicarum consuetudinum, ut spem salutis aeternae negarent omnibus, qui ad ecclesiam Christi, non initiati Iudaico more, accessissent. καλὸν — περιπατήσαντες) *Melius enim est, doctrina Evangelica recreare animum, quam cibis*, (epulis sacris,) *quibus nihil profecerunt huic cultui dediti.* Βεβαιοῦσθαι τὴν καρδίαν, לֵב עָזַר, *cor fulcire*, i. e. se recreare, Gen. XVIII, 5. Χάρις, *beneficium*, h. l. nominatim *doctrina evangelica.* Βρώματα, hic refertur ad epulas sacras cum sacrificiis eucharisticis coniunctas. Περιπατεῖν, הִתְהַלֵּךְ, hic de *Sacris peragendis* intelligendum. Beneficia religionis christianae potiora esse inquit, cibis illis et epulis Iudaicis, ex quibus

nulla ad animum emendandum, tranquillandum et beandum utilitas redundabat. Potest etiam locus explicari sic: *Nolite ergo vos per varias doctrinas et peregrinas abduci a vero: (praeclarum enim est mentem firmare beneficio divino,) non per ciborum discrimina; qui enim his rebus vitam impenderunt, nullum inde ceperunt fructum.* Ambulare in cibis est, vitam sic instituere, ut discrimen cibi et potus ex lege Levitica observes. Ponitur autem species pro genere, ut sensus sit: nolite per observationem legis ritualis abduci a vero.

10. Ἔχομεν—λατρεύοντες) *Nos quidem aram* (victimam) *habemus, ex qua nemini sacerdotum Leviticorum vesci licet.* Θυσιαστήριον, *altare*, metonymice interpretantur nonnulli de *Christo*, alii *de mensa Eucharistiae sacrae*, alii *de doctrina Evangelica*, de *cultu divino* alii. Videtur per metonymiam intelligi *victima*, quae est Christus. Is enim factus est victima pro peccatis nostris. Sacerdotes et Levitae salarii partem habebant hanc, ut carnes victimae residuas comederent. Sed habent vicissim Christiani suam victimam, ἐξ οὗ φαγεῖν οὐκ ἔχουσιν ἐξουσίαν οἱ τῇ σκηνῇ λατρεύοντες, *Iudaeorum ritibus adhaerentes.* Ii enim non fruuntur beneficiis Christi; non pertinent ad eos fructus mortis Christi, qui factus est sacrificium pro peccatis nostris. Τῇ σκηνῇ λατρεύειν, cultui Iudaeorum, qui in tabernaculo peragebatur, addictum esse, vel potius ministrare ad altare.

11. 12. Ὧν γὰρ — ἔπαθε) *Nam corpora animalium, quorum sanguis a Pontifice Maximo propter peccata in Sancta infertur, comburuntur extra ca-*

stra. Quapropter etiam Iesus, ut expiaret populum per suum sanguinem extra portam (urbis Hierosolymorum) *passus est.* His verbis rationem reddere videtur, cur illis, qui Iudaicis ritibus addicti sunt, non liceat frui illa victima, quam Christiani habent. Caussa nempe est, quod eum contemnunt et ignominia afficiunt, ut hominem iure e societate populi Dei exclusum et ignominioso supplicio affectum. Addit vero, hoc ignominioso supplicio, quod Christus sustinuit, non offendi debere Christianos. Hoc enim sic fieri debuisse, ut victima nostra hac etiam ratione similis esset victimis in V. T. a Sacerdotibus summis oblatis. Est autem totus locus Allegoricus. Singula sibi verba opponuntur his versibus: αἷμα ζώων, et αἷμα ἴδιον Χριστοῦ. Ἀρχιερεὺς *V. T.* et *Iesus*, ἀρχιερεὺς μέγας τῆς ὁμολογίας. Κατακαίειν et πάσχειν. ἔξω τῆς παρεμβολῆς, et ἔξω τῆς πύλης. Ut in sacrificiis περὶ ἁμαρτίας comburebantur victimae ἔξω τῆς παρεμβολῆς, sic Christus affixus est cruci ἔξω τῆς πύλης, more consueto. Vid. Levit. XVI, 2. 13. sqq. IV, 5—7. 16—18. De combustione victimarum, quarum sanguis in Sanctum vel Sanctum Sanctorum illatus erat, vid. Levit. XVI, 27. IV, 21. 11. s. VI, 23. Iam Christus in eo quidem similis factus est illis victimis, quod extra portas Hierosolymorum supplicio affectus est. Sed sanguine suo vere expiavit populum. Christiani hac victima, i. e. beneficiis Christi pro peccatis mortui, fruuntur. Iudaeis contra, reiicientibus Iesum et eius sacrificium, non licet his frui beneficiis.

13. Τοίνυν—φέροντες) *Quapropter et nos ad eum* (veluti) *extra castra egrediamur, ut contumelias*

propter ipsum ferendas, suscipiamus, i. e. Patienter toleremus, si Iudaei ob Christi religionem nos eiiciunt, et variis modis vexant, libenter ferentes has contumelias, quas ad ipsius exemplum ferimus. Extra castra ad Christum ire, est mente et cogitatione se conferre in eum locum, ubi interemtus est, et perpendere quae ibi facta sunt. Ὀνειδισμὸς Χριστοῦ indicat calamitates Christi religionisque eius caussa suscipiendas.

14. Οὐ γὰρ—ἐπιζητοῦμεν) Moriendum est omnibus. Tendamus ergo ad Iesum. Alludit ad Abrahami exemplum, c. XI, 8—16. patria exeuntis, et expectantis πόλιν μέλλουσαν, i. e. *coelestem*.

15. Δι' αὐτοῦ—ὀνόματι αὐτοῦ) Δι' αὐτοῦ, *per eum*, sc. Christum, vel *propter eum*, cui haec omnia debemus. Θυσία αἰνέσεως hebr. זֶבַח תּוֹדָה Levit. VII, 12. Philo de victimis p. 842. D. seq. diserte declarat, quid sit θυσία αἰνέσεως, addens, nomen αἰνέσεως indicare ὕμνους, εὐδαιμονισμοὺς, θυσίας καὶ ἄλλας εἰχαριστίας πρὸς τὸν τὰ ἀγαθὰ δωρούμενον. Καρπὸν χειλέων, ex Graeco Hos. XIV, 2., ubi Interpretes פְּרִים sumsere a פָּרִי non a פַּר, *iuvencus*. *Fructus labiorum* est, quicquid ore labiisque profertur. Ὁμολογεῖν idem est ac αἰνεῖν, *laudare* ac *celebrare*, nam hebr. הוֹדוֹת transfertur per ἐξομολογεῖν, et per αἰνεῖν; item תּוֹדָה per ἐξομολόγησιν, et αἴνεσιν, Ob tot tantaque beneficia, quae Christo, summo nostro Sacerdoti debemus, colamus Deum, non sicut Iudaei cibis et epulis sacrificalibus, Vs. 9., sed laudibus et

internis animi sensibus. Non corpus, sed animum recreemus.

16. Τῆς δὲ—ὁ Θεὸς) Εὐποιΐα, *beneficentia*. Κοινωνία proprie *communio*, et per metonymiam caussae efficientis pro effectu *eleemosyna*, liberalitas. Τοιαύταις γὰρ θυσίαις εὐαρεστεῖται Θεὸς, *eiusmodi enim victimis delectatur Deus*. Graecorum enim mos est, passiva formare et cum Nominativo construere, non minus ab Activis Dativum, quam Accusativum regentibus.

17. Πείθεσθε — ἀποδώσοντες) *Obedientiam praestate doctoribus vestris et honorem iis exhibete*. Verba πείθεσθαι καὶ ὑπείκειν τινὶ ut *Theophylactus* et *Oecumenius* volunt, significant *parere* et *concedere* sc. honorem alicui. Verba αὐτοὶ γὰρ ἀγρυπνοῦσιν — ἀποδώσοντες per parenthesin sunt legenda; nam quae sequuntur, directe cum antecedentibus cohaerent. *Nocte dieque solliciti sunt vestri caussa, ut qui Deo rationem reddere debeant, si quid vos per ipsorum negligentiam peccetis.* Ἀποδιδόναι λόγον significat aut *praemium* referre, aut *poenam*, prout quis se gesserit. Ἵνα τοῦτο ποιῶσι, *ut munere sat gravi fungantur*. Μετὰ χαρᾶς, i. e. *cum alacritate*, quae ex gaudio oritur. Per similem metonymiam στενάζειν significat *dolorem*, qui per gemitum indicari solet. Ἀλυσιτελὲς per λυσιτέλειαν dicitur *noxium*. (Cicero de Off. III, 21. *nihil inutilius ei, qui id iniuste consecutus sit, invenio*, i. e. nihil magis noxium.) Neque enim tam bene obeunt munus suum, qui moesto, ut qui laeto sunt animo.

Et si illi rationem suae negligentiae debent Deo, etiam vos ingrati in ipsos animi.

18. Πεποίθαμεν—ἀναστρέφεσθαι) *Persuasus enim sum, me habere bonam conscientiam, et sequi optima consilia in omnibus rebus.* Qui Paulo hanc epistolam assignant, putant haec dici adversus Iudaicos doctores, qui eum calumniati fuerant, et Christianos, imprimis Galatas turbaverant. Gal. I, 1. sqq. IV, 11—20. V, 7—11. Ἐν πᾶσι, nempe *πράγμασι*, quomodo interpretatur Syrus. Merentur aliorum precibus adiuvari, qui nihil non faciunt, ut aliis prosint.

19. Περισσοτέρως — ὑμῖν) Περισσοτέρως, *praecipue, inprimis.* Sperat, si ocius eis restitueretur, fore, ut infirmiores coram edoceri possint, reliqui autem disertius erudiri et confirmari. Ceterum ex his verbis neutiquam sequitur, in vinculis haec scripta esse. Liberatus potius e carcere, saltem Timotheum expectat itineris comitem, Vs. 23.

20. Ὁ δὲ Θεὸς—Ἰησοῦν) *Deus autem, salutis auctor, qui ex mortuis eduxit eum, qui supremus omnium Christianorum dominus constitutus est, propterea quod sanguine fuso foedus aeternum sanxit, Dominum nostrum Iesum Christum.* Ὁ Θεὸς τῆς εἰρήνης, *Deus, omnis felicitatis auctor.* Τὸν ποιμένα τῶν προβάτων τὸν μέγαν, i. e. *supremum omnium Christianorum dominum.* Homerus *reges*, nominatim Agamemnonem vocat ποιμένα λαῶν, et in Sacris litteris ipse Deus vocatur *pastor*, Ps. XXIII, 1. Ἐν αἵματι διαθήκης αἰωνίου, re-

fer ad τὸν ποιμένα τῶν προβάτων τὸν μέγαν, qui praefectus est ecclesiae tanquam caput, *propterea quod sanguine fuso religionem perpetuo duraturam sancivit.*

21. Καταρτίσαι—ἐνώπιον αὐτοῦ) *Vos bene compositos ad omne opus bonum reddat*, vel, absolutos reddat in omni opere bono, *ut faciatis voluntatem eius. Efficiat in animis vestris quod sibi bene placet.* Καταρτίζειν, proprie ἄρτιον ποιεῖν, *perficere*, ad maiorem perfectionem adducere. Ἐν παντὶ ἔργῳ ἀγαθῷ, *ad omnia opera bona; ἐν* pro *ad*, quomodo ב Hebraeum sumitur. Ποιῶν construitur cum καταρτίσαι. Operatur autem Deus in nobis, tum notitiam nobis dando promissionum suarum, tum spiritu nos excitando et roborando.

22. Ἀνέχεσθε — παρακλήσεως) Boni consulite monita, quae huic epistolae adieci. Λόγον τῆς παρακλήσεως totam hanc epistolam nominat. Ἀνέχειν h. l. est *boni consulere.* καὶ γὰρ — ὑμῖν) Διὰ βραχέων, sc. ῥημάτων. Larga se dabat materia; sed ego, quo minus gravis vobis essem, quae multis dici poterant, in pauca contraxi. Ἐπιστέλλειν interdum est *scribere* simpliciter.

23. Γινώσκετε — ἀπολελυμένον) *Scitote fratrem Timotheum esse dimissum.* Ἀπολελυμένον, e vinculis in libertatem prodiisse. Aliis ἀπολύεσθαι h. l. videtur significare *proficisci.* Hi igitur vertunt: *Scitis, Timotheum esse profectum.* Vid. Noesselt. Opusc. Fascic. I, pag. 28. sqq.

24. Οἱ ἀπὸ τῆς Ἰταλίας) *Italici.* Sic apud Philonem legat. ad Caium οἱ ἀπὸ Ῥώμης sunt *Romani;* οἱ ἀπὸ τῆς Ἀλεξανδρείας, *Alexandrini.* Erant non Romae tantum, sed et per omnem Italiam multi iam Christiani.

SCHOLIA

IN

EPISTOLAM IACOBI.

Omnes Apostolorum epistolae, *Iacobi* nimirum, *Petri*, *Ioannis* et *Iudae*, exceptis Paulinis, appellantur *catholicae*. Unde acceperint hoc nomen, disputarunt docti, et disputant. Non improbabilis est *Noesselti* sententia, (in coniecturis ad historiam catholicae Iacobi epistolae,) principio hoc nomen proprium fuisse primae Petri et Ioannis epistolae, quo distinguerentur a ceteris eorumdem scriptorum epistolis, quae incertae fidei essent; post vero, quum *Iacobi* etiam et *Iudae* epistolae in plurimis ecclesiis publica lectione fuissent probatae, translatum esse nomen ad universas, quas discernere a Pauli epistolis vellent Scriptores veteres. Ita epistola *catholica* esset *legitima, omniumque consensu probata*. Vulgaris sententia est, *catholicas* appellari has epistolas, quia non essent scriptae ad singulas ecclesias, quemodmodum Paulinae epistolae, sed ad Christianos omnes, inprimis vero ad Christianos ex Iudaeis per orbem terrarum dispersos. *Leontius* de sectis: καθολικαὶ δὲ ἐκλήθησαν, ἐπειδὰν οὐ πρὸς ἕν ἔθνος ἐγράφησαν, ὡς αἱ τοῦ Παύλου, ἀλλὰ καθόλου πρὸς

πάντα. Ad obiectionem, quod secunda et tertia Ioannis epistola singulis personis inscriptae sint, respondent, eos, qui Epistolis illis Apostolicis nomen *catholicarum* primi imposuerunt, secundam et tertiam Ioannis non recepisse. Huiusmodi epistolae, ad Christianos in variis regionibus degentes scriptae vocabantur olim ἐγκύκλιοι, *encyclicae*, quia traditae civitati cuipiam ab ea exscribebantur et ad alias mittebantur, intra certum κύκλον, *circulum*. Cf. *Zachariae* Introd. in Paraphr. epistolar. cathol. et *Semleri* Prolegom. in Paraphr. Epistolae Iacobi. *De catholicarum epistolarum occasione et consilio* docte scripta commentatio extat *Storrii*, Tub. 1789. 8. Suspicatus est (inprimis Petri loco 2 epist. III, 15. s., sed aliis etiam argumentis ductus,) *Petrum* et *Iacobum* scripsisse ad Christianos *exiudaeos minoris Asiae*, eo consilio ut obviam irent abusui doctrinae Paulinae de fide et legis Mosaicae abrogatione, declararentque suum cum Paulo consensum, nec non ut firmarent animos Christianorum in Asia minore adversus falsos doctores in iis regionibus grassantes. *Iudam*, arbitratur Storrius, commotum pravorum doctorum sollicitationibus, aliquanto post editionem alterius epistolae Petri, sive post mortem Apostoli etiamnum durantibus, Christianos *minoris Asiae* ad constantiam in vera doctrina tuenda denuo excitandos putasse: *Ioannem* denique occurrere voluisse Cerinthi errori, per quem vetus pugna contra pietatis studium inter Asiae minoris Christianos recruduerit. *Iacobi* Epistolam scriptam esse ad nascentem modo *Antiochenam ecclesiam*, coniectura est *Noesselti*. Vid. infra ad c. I, 1. annotanda.

Quaeritur, quisnam huius epistolae, quae *Iacobo* tribuitur, auctor sit habendus? Duo in N. T. commemorantur huius nominis *Apostoli*, unus, *Zebedaei* filius, Ioannis frater (Matth. X, 2.), qui circa decimum post Christi ascensionem annum interemtus est, Act. XII, 2.; *alter*, Iacobus *minor*, Alphaei et Mariae filius (Matth. X, 3.). Fit etiam mentio Iacobi cuiusdam, qui vocatur *frater Iesu Christi* (Matth. XXIII, 55.), omnino diversus ab Alphaei filio. Obstant enim profecto graves rationes, quo minus fratres Domini, Matth. XIII, 55. Marc. VI, 3. enumeratos, in Apostolis habeamus; ab his enim non uno loco, maxime Act. I, 13. seq. Io. VII, 5. discernuntur. Vide *Herderi Briefe zweener Brüder Iesu in unserm Kanon*, pag. 3—6. *Alphaei* filium idem Vir doctissimus contendit ex Alphaeo et Maria, matris Iesu sorore, eum vero, qui frater Domini appellatur, a Iosepho et Maria, parentibus Iesu ipsis genitum esse.

Quinam vero ex his tribus Iacobis pro auctore huius epistolae sit habendus, difficilis est quaestio. *Zebedaei* filium, Ioannis fratrem non esse auctorem, in eo plurimi homines docti hodie consentiunt. Is enim circa a. 43. vel 44. Herode Aprippa regnante, religionis christianae caussa interemtus est, Act. XII, 2., quo tempore religio christiana Palaestinae fines nondum excesserat. Epistolam nostram autem scriptam esse Christianis extra Palaestinam viventibus, ex c. I, 1. luculenter apparet. Alii et veteres et recentiores *Iacobum*, *Alphaei* filium epistolae nostrae auctorem esse existimant, quem Domino ab alio latere cognatum, eamque ob caussam ἀδελφὸν τοῦ κυρίου ap-

pellatum esse censent. Hio Iacobus, si veterum narrationi apud *Eusebium* (Hist. eccles. L. II, c. 23.) credimus, ob singularem virtutem Δίκαιος dictus, per triginta annorum seriem ecclesiae Hierosolymitanae praefuit, Pauli etiam consuetudine usus (Act. XXI, 18.), non multo ante bellum Iudaicum occisus est. *Herdero* vero, cui adstipulatur *Dav. Iul. Pott* (in Prolegom. in epistolas catholicas), germanus Iesu frater, diversus ab Alphaei filio epistolam hanc scripsisse videtur. Argumenta pro singulis his sententiis examinare non est huius loci.

Ad quos haec epistola scripta fuerit, patet ex c. I, 1. Ad tempus, quod attinet, nihil explorati proferri potest, nisi scriptam eam oportere fuisse, (ut ex l. c. patet,) postquam religio iam extra Palaestinam in aliis regionibus propagata fuerat. Perspicuum est Scriptoris consilium, quod eo spectat, ut Christiani munirentur in fide, et confirmarentur in religione adversus persecutiones, quas patiebantur gravissimas. Adhortatur enim Christianos ad constantiam, patientiam, puritatem, caritatem, ceterasque omnes virtutes.

De auctoritate canonica huius Epistolae multi dubitarunt. *Eusebius* H. E. Lib. II, 23. in fine: Ἰστέον δὲ, ὡς νοθεύεται μὲν, (nempe Iacobi Epistola,) οὐ πολλοί γοῦν τῶν παλαιῶν αὐτῆς ἐμνημόνευσαν. Idem Lib. III, c. 25. inter Scripta N. T. ἀντιλεγόμενα refert hanc Epistolam, inquiens: τῶν δ' ἀντιλεγομένων, γνωρίμων δ' οὖν ὅμως τοῖς πολλοῖς, ἡ λεγομένη Ἰακώβου φέρεται. *Lutherus* hanc Iacobi epistolam vere stramineam esse, neque arguere indolem evangelicam, di-

cere ausus est. Eum plane secuti sunt *A. Althamerus*, et *Centuriatores Magdeburgenses*. *Lutherus* inter alia: Meam sententiam nemini obtrudam; tantum dicam, me Epistolam Iacobi non existimare esse Scriptum Apostolicum, ob hanc rationem, primo quia directe contra Paulum et omnem Scripturam operibus iustificationem tribuit; denique Iacobus iste ita confundit omnia ac permiscet, ut mihi vir bonus aliquis ac simplex fuisse videatur, qui arreptis quibusdam dictis Discipulorum Apostolicorum ea in chartam coniecerit etc. Haec verba sunt *Lutheri*, non *Wetstenii*, ut falso existimat *Pott* in Prolegom. modo laudatis. Is enim (Wetstenius) hoc Lutheri aliorumque de hac epistola iudicium iniustum falsumque esse, recte pronunciat. Si enim (inquit) Iacobus Paulo contradiceret, utique non Iacobus, qui id aperte docet, quod lex naturae, quod Scriptura ubique, quod Paulus alibi inculcat, sed illae Pauli epistolae, in quibus dogma a reliquis dissidens contineretur, fuissent abiiciendae. At, si rem recte consideremus, nulla inter Iacobum et Paulum est pugna; quum Iacobus loquatur de lege naturae et de lege Christi, Paulus vero de lege et Oeconomia Mosis. Haec *Wetstenius*. Cf. etiam *Ern. Car. Rauchii* Commentat. *üb. d. Br. Iacobi; ein exeg. krit. Versuch* in *Wineri* et *Engelhardti neuem krit. Iourn. d. theol. Lit.* T. VI. p. 257. sqq. Ab *Eusebio* ἀντιλεγομένοις annumeratam esse hanc epistolam modo diximus. Quum autem a Clemente Al., Origene, aliisque Veterum citetur tanquam Epistola Apostolica, et Syrus interpres eam transtulerit, de eius auctoritate non dubitandum esse videtur.

Epistolam Iacobi *Commentario copiosissimo et verborum et sententiarum* nostra aetate explanavit *Io. Schulthessius.* Turici, 1824.

CAP. I.

1. Θεοῦ καὶ—χαίρειν) Θεοῦ καὶ κυρίου I. Χρ. δοῦλος, est qui Deo et Domino Iesu Christo inservit, puta in praedicando Evangelio. Ergo omnes religionis christianae doctores vocari possunt *ministri Dei et Iesu Christi*, non solummodo Apostoli; ut adeo ex his verbis firmiter concludi non possit, Iacobum, epistolae huius auctorem ex numero duodecim Apostolorum fuisse. Vicissim ex eo, quod Iacobus se δοῦλον, nec item ἀπόστολον I. X. vocat, non potest colligi, eum omnino non fuisse Apostolum. Ταῖς δώδεκα Φυλαῖς sic dicitur, quomodo το δωδεκάφυλον, Actor. XXVI, 7., et intelliguntur gente Israëlitae. *Christianos* ex Iudaeis significari, ex c. II, 1. perspicuum est. Sunt igitur *duodecim tribus in dispersione viventes* Israelitae, h. e Christiani ex Iudaeis extra Palaestinam in variis regionibus habitantes, vel per vim e Palaestina eiecti. Quum autem *exgentiles* etiam Christiani ad populum Dei verum, vel Israelitas pertineant (Act. XV, 13. 14. 17.), epistola haec ad illarum regionum christianos universe scripta esse posset. Vid. *Gottl. Chr. Storrii* Diss. exegetica *in epistolam Iacobi* solide scripta. Ἐν τῇ διασπορᾷ sc. οὖσι, *dispersis.* Vide annotata ad Io. VII, 35. Cf. 1 Petr. I, 1. Haud improbabilis est *Noesselti* coniectura, Iacobum hanc epistolam scripsisse ad nascentem modo Antiochenam

ecclesiam, ex iis quae extra Palaestinam ortae sunt, primam. Si hoc sumitur, *primum* caussa perspicitur, cur Iacobus eam *dispersis* Iudaeis inscripserit: erant enim, qui constisvissent novam ecclesiam, inde a Stephani morte dispersi, Act VIII, 1. sqq. et XI, 19. sqq. in Iudaeam et Samariam; deinceps per Phoenicen et Cyprum pervenerunt Antiochiam, ubi tum *Hellenistas* docuerunt. Tenemus *porro* caussam, cur dissensionum et controversiarum inter Christianos e Iudaeis et ceteros nihil in hac epistola commemoretur. Neque enim tum temporis erant ortae, nec extitere prius, quam eo alii e Iudaea venissent, qui Antiochenos salutem negarent consequi sine circumcisione posse. *Denique* et illud per hanc coniecturam aperiretur, cur Iacobus non tam initia doctrinae christianae, aut eius potiora capita, sed huiusmodi res tractet, quae ad singularem lectorum conditionem necessitatemque referri videantur. Vid. *Noesselti Coniecturae ad historiam catholicae Iacobi epistolae.* Opusc. Fascic. II, p. 299. sqq. „Ἐν τῇ διασπορᾷ, non in *hac* aut *illa* dispersione, τῶν Ἑλλήνων (Io. VII, 35.), sive Ponti etc. (1 Petr. I, 1.), sed in *universa;* in *ieder* Zerstreuung, teutonice dixeris. Haec igitur epistola scripta videtur ad omnem dispersionem, quum nihil sit, quo restringamus; et si qua epistola *catholica* est, i. e. encyclica, omnibus καθόλου fidelibus scripta, ut Oecumenius ait: ista praeter alios catholica debet vocari, licet ad fideles tantum e circumcisione data secundum inscriptionem. " *Schulthessius* l. c. p. 5. — χαίρειν, sc. λέγει, *Salutem dicit.* Mos salutandi, Act. XV, 23. XXIII, 26. 2 Ioan. com. 11.

2. Πᾶσαν χαρὰν—ποικίλοις) Πᾶσαν χαρὰν, *summum gaudium*, i. e. rem vel materiam summi gaudii. Nam et caussa pro effectu nominari solet, et πᾶσα dici pro eo, quod summum est, ut 1 Tim. I, 15. Phil. II, 29. Luc. II, 10. Cicero XII, 13. ad Atticum, de Bruti litteris quibusdam: *Multas mihi lacrymas attulerunt*, i. e. multarum lacrymarum materiam. ὅταν πειρασμοῖς περιπέσητε ποικίλοις) *Ubi in varias incideritis calamitates.* Πειρασμοὶ, *tentationes*, dicuntur calamitates religionis caussa perferendae, quibus constantia Christianorum exploratur. Videtur Iacobus inprimis respicere adversa ea, quae a paupertate venirent, qua premebantur Christiani qui tanquam exules venissent Antiochiam. Nam a loco de adversis Iacobus statim delabitur ad alterum *de pauperum contemtu et opulentorum arrogantia*, Vs. 9. sqq. II, 1. sqq. IV, 1. sqq. V, 1. sqq. Sed et alias credibile est, Christianos hos, tanquam Iudaeos, Antiochiae magno in reliquorum odio vixisse. Vid. Noesselt, l. c. p. 317. Vox περιπίπτειν apud Graecos discrimina et difficultates notat, ut συμφοραῖς περιπίπτειν apud Isocratem et Plutarchum; περιπεσεῖν πόνοις, πονηροῖς ἀνθρώποις, apud Artemidorum.

3. Γινώσκοντες — ὑπομονὴν) *Memores* (considerantes), *fidem vestram calamitatibus exploratam effici constantiorem.* Coniunge: τὸ δοκίμιον ὑμῶν τῆς πίστεως, *explorata fides vestra*, i. e. quando fides vestra exploratur, nempe calamitatibus. Sicuti auri experimentum (δοκίμιον) ignis est, ita christianam fidem explorat, quicquid ei materiam praebet ad experimenta sui danda; quo pertinent calamitates. Fides autem sic

explorata efficit *constantiam*, ὑπομονήν. Si enim periculum prospere cedat, vires ad bonum ipso usu augentur et confirmantur. Vitio tamen hominum saepe accidit, ut res adversae exitum habeant perniciosum. Vide infra Vs. 15. ὑπομονή, ab ὑπομένειν, *manere sub aliqua re*, i. e. non reformidare ac defugere quid; *sustinere, perferre*, non succumbere.

4. Ἡ δὲ ὑπομονὴ — ἐχέτω) *Constantia autem factum perfectum contineat*, s. *factis se planissime*, aut in omnibus, *probet*. *Facta* enim ubique commendat Iacobus, et τέλειον, ut recte Noesseltus monet, ipse explicat per ea quae sequuntur, *ut perfecti* (τέλειοι) *et integri sitis, quibus nihil omnino desit*. Alii vertunt: *Perduret autem constantia ad finem usque*. Tum ἔργον τέλειον esset *opus perfectum*, ἀποτέλεσμα, et alludere videretur Iacobus ad cursores in stadio, qui, ut vincerent, conficere cursum, et brabei consequendi desiderio omnem certaminis laborem laeti et alacres perferre debebant. Ita etiam Christiani opus suum consummare, et ad finem perseverare debent in fide, 2 Tim. IV, 7. ἵνα ἦτε — λειπόμενοι) Construe: ἵνα ἐν μηδενὶ λειπόμενοι, ἦτε τέλειοι καὶ ὁλόκληροι, *Ut in nulla re inferiores* (aliis, vel nulla laude carentes) *sitis perfecti et integri* (omnibus numeris absoluti,) i. e. *ut perfecte tales sitis, quales Christiani esse debent*. Tales autem fiunt, quorum constantia se planissime factis probat. Qui alteram expositionem praeferunt, ii vocabulum λείπεσθαι e veterum certaminibus ductum esse putant. Vide *Krebsius* ad h. l. Tum τέλειοι sunt, qui superiores e certamine discedunt, et huic verbo ὁλόκληροι additur,

quo perfectior victoria significetur. Christiani igitur debent opus suum ita consummare, ut praemium propositum unice intueantur, et eius cupiditate incensi ipsa etiam virtutis tentamina pro laetabilibus putent. Sed prior interpretatio mihi facilior esse videtur. Ἐν μηδενὶ, sc. πράγματι, s. χαρίσματι. Vox una שלם modo per τέλειον, modo per ὁλόκληρον vertitur. Possunt alioqui haec duo distingui, ut τέλειον sit, quod labe caret, et ὁλόκληρον, quod omnes suas partes habet. Transferuntur hae voces a corpore ad animum.

5. Εἰ δὲ — σοφίας) *Quodsi cui vestrum desit sapientia.* Si sentiat, se non satis habere prudentiae ad diiudicandum, quid in singulis circumstantiis agendum sit. Hanc enim σοφίαν Iacobus h. l. intelligere videtur; quod nexus cum antecedentibus suadet. „Si res e contextu iudicetur, sapientia dicitur practica, i. e. rectum de rebus iudicium. Ea enim veri nominis est sapientia, quae honestatem, fidem, religionem, denique officium ceteris rebus anteponit neque casibus ac vexationibus ad haec deserenda impellitur.“ *Hottingerus.* Alii σοφίαν sumunt sensu latiori de sapientia in universum, alii sapientiam christianam, eamque factis conspicuam (πίστιν) intelligunt. Alii denique haec ad doctores religionis christianae pertinere putant, et σοφίαν ad eam inprimis sapientiam restringunt, qua in defendenda religione christiana coram iudiciis indigebant doctores. Matth. X, 19. 20. αἰτείτω — ἁπλῶς) *Expetat eam a Deo, omnibus* abunde *largiente.* Post διδόντος non male ex praecedentibus σοφίαν suppleas. Poteris et eam vocem absolute capere, ut Luc. XV, 16.

ἐδίδου. Πᾶσιν, sc. κατὰ τὴν αὐτοῦ δόσιν, dat cuique quantum ei opus est accipere, Sirac. I, 10. Ἁπλῶς, Vulgatus: *affluenter*, vel potius *simpliciter*, i. e. non ambitiose, iactanter, aut (quod plerumque inter homines fit) in obliquum finem, sed mero studio benefaciendi. Cf. Rom. XII, 8. ἐν ἁπλότητι μεταδιδόναι. Hoc sensu et Marcus Antoninus Lib. XI. dixit, ἁπλῶς προσφέρεσθαί τινι, et Plutarchus de Alex. fort. ἁπλῶς ἐπιστολὴν (alterius nempe) ἀναγινώσκειν, i. e. ἀδόλως, sine consiliis, sine calliditate. καὶ μὴ ὀνειδίζοντος) *Neque exprobrante.* Nempe, ut solent homines, benefacta sua intempestivis iteratisque praedicationibus iniucunda et onerosa efficientes. Plutarchus de amici et adulat. discrim. ὀνειδιζομένη χάρις ἐπαχθὴς καὶ ἄχαρις. Sirac. XX, 14. sqq. δόσις ἄφρονος οὐ λυσιτελήσει σοι — ὀλίγα δώσει καὶ πολλὰ ὀνειδίσει, *beneficium hominis stulti non magnopere te iuvabit — parce dabit, et beneficia exprobrabit.* Iacobus igitur hoc vult: Deum esse omnium bonorum largitorem benignissimum. Alii ὀνειδίζειν accipiunt pro καταισχύνειν, quod est *expectationem fallere*, Ps. CXIX, 116. *precanti repulsam dare.* Vs. 18. καὶ δοθήσεται αὐτῷ) Nimirum si, (quod praecessit,) petierit eam. Rom. X, 12. Matth. VII, 7.

6. Αἰτείτω—διακρινόμενος) Ἐν πίστει, cum fiducia impetrandi. Μηδὲν διακρινόμενος, nihil addubitans aut de potentia Dei, aut de voluntate. Sermo est de precibus pro impetrandis bonis ad animi salutem pertinentibus. ὁ γὰρ διακρινόμενος — ῥιπιζομένῳ) *Dubitans enim* (utrum obtenturus sit, quod petit, nec ne,) *similis est fluctui maris, qui ventis iactatur et*

eorum flamine agitatur. Sicut marina unda a ventis impellitur, et nunc huc nunc illuc iactatur, ita ipsius animus modo sperat, modo spem abiicit; nulla tranquillitate et salute gaudet. Ies. LVII, 20. In Glossario: *κλύδον, aestus, gurges, unda.* Ibidem *ἀνεμίζω, ventilo, ῥιπίζω, flabello.*

7. 8. Μὴ γὰρ οἰέσθω — ὁδοῖς αὐτοῦ) Hi duo versus uno spiritu sunt legendi sublato puncto post *κυρίου*, et substituto commate. Sensus est: *Talis homo, animo duplex, fluctuans in omnibus actionibus suis, non existimet, se aliquid accepturum esse a Domino.* Λαμβάνειν h. l. est *obtinere.* Δίψυχος, *qui nec velle nec nolle quicquam diu potest, quemque modo consilii poenitet, modo poenitentiae ipsius,* ut Q. Curtius loquitur. Ὁδοὶ, *actus,* vitae actiones. Qui fide vacillat, is necesse est actiones edat varias, atque inter se multum discrepantes.

9. Καυχάσθω—ὕψει αὐτοῦ *Laetetur humilis (contemtus* et pauper) *Christianus ob multo maiorem honorem,* quo apud Deum fruitur; vel ob divitias meliores opibus caducis. Ὁ ταπεινὸς, hic, ut alibi, est *humilis,* i. e. abiectae conditionis, ideoque iniuriis expositus, et hoc quidem loco, qui fortunarum conversionem expertus est religionis caussa, pauper. Nam opponitur Vs. 10. ὁ πλούσιος, dives et honoratus. Is animum non despondeat; laetetur potius. Ἐν τῷ ὕψει αὐτοῦ, vel pro ἐν τῇ ὑψώσει αὐτοῦ, nempe *μέλλοντι ἔσεσθαι, in meditatione illius temporis, quo aut in hac, aut in altera vita a Deo exaltabitur;* vel *in sublimitate* christianae vocationis suae; ob ho-

norem in eo positum, quod Dei filius censetur. Ceterum haec admonitio aptissima erat iis, ad quos hanc epistolam scriptam esse cum Noesselto (vid. Vs. 1.) sumsimus. Credibile est enim, exules Hierosolymis Antiochiam venientes, pauperes fuisse, in his forte aliquos, qui nimia liberalitate in egentes Hierosolymis bona sua perdidissent, ut Barnabas, Act. IV, 37. c. XI, 22. Commune autem hoc magnarum et divitiis affluentium urbium vitium esse constat, pauperes ibi pressos, divites gloriosos et contumeliosos esse. Vid. Noesselt l. c. p. 317. sq.

10. Ὁ δὲ πλούσιος — αὐτοῦ) *Homo dives autem*, (si ita velit) *glorietur de vili statu suo*, i. e. de suis divitiis, quae sunt instabiles et caducae. Repete ex versu praecedente καυχάσθω. Ironice haec dicta esse videntur. Ὁ πλούσιος, quilibet dives, qui suis opibus sibi placet. Glorietur de suis divitiis, et honore, quo apud homines fruitur. Non habet caussam gloriandi, quia in his rebus, si absit vera pietas, potius ταπείνωσις est, quam ὕψος. Caussa statim additur: ὅτι ὡς — παρελεύσεται) *Sicut enim flos perit.* Commate 11. sequitur οὕτω καὶ etc. Verba ἀνέτειλε — ἀπώλετο eodem comm. 11. parenthesi includenda sunt. Παρελεύσεται, Futurum pro Praesenti, more hebraico. Χόρτος Hebraeis est omnis herba, עֵשֶׂב. *Semlerus* ita hoc comma circumscribit: *Sic et ille, cui suppetunt adhuc divitiae, sibi ipse gratulari debet, quod sit hac mente, ut divitiarum iacturam, si forte religionis caussa facienda sit, ferre et pati possit. Ea est enim sors divitiarum, ut non sint stabiles et diuturnae* etc.

11. Ἀνέτειλε — ἀπώλετο) *Nam sol, ubi ortus est una cum Euro, arefacit herbam, ita ut flos eius decidat, et decor formae eius pereat.* Sunt Aoristi pro praesenti, aut quovis tempore. Praeterea est etiam Hebraismus. Sol oritur et arefacit, pro: *Sol, ubi ortus est, arefacit* etc. Σὺν τῷ καύσωνι Vulgatus *cum ardore*, vertit. *Rectius* autem intelligitur *ventus urens*, solis ortum comitari solitus, Ionae IV, 8. et Gen. XLI, 27., quem *Samum* vocant Orientales. Hieronymus in Epistola ad Laetam: *Cito flores pereunt, cito violas et crocum pestilens aura corrumpit;* ubi *pestilens aura* est, quae hic ὁ καύσων. Is autem quandoque Eurus, saepius tamen Auster, vel Notus. Est igitur καίσωνος proprium ξηραίνειν, *arefacere*, Ezech. XVII, 10. et Hos. XIII, 15. Vid. de vento *Sam* itinerariorum scriptores; *Shaw* et *Niebuhr.* Ἡ εὐπρέπεια τοῦ προσώπου αὐτου, *decor, pulcritudo eius*, more Hebraeorum, qui cuiusvis rei speciem externam vocant פְּנֵי. Simili fere ratione Latini *faciem* dicunt non modo vultum hominis, sed totam eius formam, neque tantum hominis faciem, sed aliarum quoque rerum, ut montis, coeli, maris. Hesychius: εὐπρέπεια, εὐμορφία. οὕτω καὶ — μαρανθήσεται) *Sic etiam dives cum consiliis suis tabe quasi consumetur*, i. e. ipse facile e vita tollitur, et omnia eius consilia fiunt irrita. In verbo μαρανθήσεται est Enallage futuri pro potentiali. Pro πορείαις Erasmi πορίαις legentis coniectura merito reiicitur. Πορείας Iacobus vocat consilia, in quibus, tanquam in via, dives ambulat. In his, dum dives placet sibi, et nescio quae ingentia molitur, improviso ut floris

decor marcescit, i. e. vel paupertate deprimi poterit, vel morte penitus e medio auferri, paucis, forte et nullis eorum, quae in animo habuerat, ad exitum perductis. Μαραίνεσθαι proprie *flores* dicuntur; quod verbum Iacobus, ut coeptam similitudinem continuaret, ad opulentos hic transtulit.

12. Μακάριος ἀνὴρ — τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτόν) Μακάριος ἀνὴρ, אַשְׁרֵי הָאִישׁ Ps. I, 1. *Felix ille.* Ὃς ὑπομένει πειρασμόν, *cui adversa eveniunt;* qui calamitates perpetitur; nam πειρασμὸς saepe denotat omnis generis calamitates, quia iis explorantur homines, quales sint. Cf. Matth. V, 10. 11. et ὑπομένειν est *perpeti*, sustinere. Hebr. XII, 7. Non pro miseris habendos esse (dicit Iacobus) eos, quibus adversa eveniant, sed pro beatis, quia calamitates sint occasio et incitamentum exercendae virtutis. Rom. V, 3. Δόκιμος γενόμενος, i. e. δοκιμασθείς, *quum apparuerit probus*, sive constans. Τὸν στέφανον τῆς ζωῆς, *praemium vitae* s. *felicitatis aeternae;* nam στέφανος, *corona*, saepe ponitur pro quolibet praemio, et ζωὴ est vita suo nomine digna, quam nulla mors excipit, aeterna atque beata. Homini constanti praemium felicitatis aeternae propositum est. Licet ei ipsam etiam mortem, si religionis caussa obeunda sit, laetabilem habere, quum immatura vitae amissio praematura et beata resurrectione sarciatur. Τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτόν, i. e. *cultoribus suis.*

13. Μηδεὶς — πειράζομαι) *Nemo qui ad peccatum sollicitatur, putet se sollicitari a Deo.* Πειράζεσθαι supra quidem Vs. 2. 12. valebat *explorari;* hoc

autem loco in malam partem accipitur, ut is πειράζεσθαι dicatur, qui ad peccatum (κακὰ) incitatur. Multi, ut videtur, tum erant, qui peccata sua, inprimis defectionem a religione christiana, excusabant magnis periculis, fidei caussa ingruentibus, et ad necessitatem, quasi ad asylum confugiebant. Contra hos monet Iacobus, non ideo adversa nobis immitti a Deo, ut nos peiores faciat, sed ut meliores. ὁ γὰρ — οὐδένα) *Deus enim nec ipse in mala impelli potest, nec in male facta, vel etiam pravas cogitationes alios impellit.* Qualis ipse est, tales ut sint homines, optat. Ἀπείραστος, *passivam* significationem habet, eamque pro varia τοῦ πειρασμοῦ notione variam. Nostro loco *non tentatus* est is, qui non sollicitatur peccatis. Deus igitur, qui ipse peccatis non sollicitatur, is nec ullum hominem sollicitat ad peccata. Vid. Sirac. XV, 11. sq.

14. Ἕκαστος — δελεαζόμενος) *Quilibet in peccatum impellitur, sua ipsius cupiditate abreptus et allectus.* Ἐπιθυμία, *prava concupiscentia, cupiditas rerum* quae appeti non debent, vel appetuntur sic, ut appeti non debent. Quando igitur ad peccata perpetranda seducimur, non Deus in caussa est, sed quod bona huius vitae, vitamque hanc ipsam plus amamus, quam fieri oportet. Cicero in Pisonem: *Sua quemque fraus, suum facinus, suum scelus — de sanitate ac mente deturbat.* Ἐξέλκυσθαι ὑπὸ τῆς ἐπιθυμίας elegantiae graecae est locutio. Polybius: ὑπὸ τῆς συνήθους καχεξίας ἑλκόμενος. Arrianus in Epictetum: ὑπὸ τῆς φαντασίας ἕλκεσθαι. Notissimum est ex Latino Poëta: *Trahit sua quemque volu-*

ptas. Δελεάζειν, *inescare*, metaph. *allicere.* Simile desumtum a meretrice.

15. Εἶτα — ἁμαρτίαν) *Concipit cupiditas mala*, quum eam in animis nostris fovemus, eaque delectamur. Tum enim sequitur peccatum et ipsum scelus, quemadmodum conceptionem partus sequitur. Philo de Sacrif. Abel. et Caini p. 147. E. Ὥσπερ ταῖς γυναιξὶ πρὸς ζώων γένεσιν οἰκειότατον μέρος ἡ Φύσις ἔδωκε μήτραν, οὕτω πρὸς γένεσιν πραγμάτων ἄρισεν ἐν ψυχῇ δύναμιν, δι' ἧς κυοφορεῖ, καὶ ὠδίνει, καὶ ἀποτίκτει πολλὰ ἡ διάνοια. Ἁμαρτία, h. l. non est tantum defectio a religione christiana, sed in universum cuiusque generis peccatum. ἡ δὲ ἁμαρτία—θάνατον) i. e. *Peccatum, quum commissum est, sequitur poena, miseria.* Ἀποκύει θάνατον, parit ea, ὧν τὸ τέλος θάνατος, Rom. VI, 21. vel, ut ibidem com. 23. ὧν θάνατος τὰ ὀψώνια. „Haec Vs. 14. 15. sententia nostri: Cogitare nefas est, τὸν πειράζοντα esse Deum aut ullam potestatem mortali natura viribusque humanis maiorem, quem Satanam Hebraei, diabolum Hellenistae vocabant; sed suam cuiusque hominis cupiditatem, in omni carne et sanguine domesticam. Si quis ergo cupiditati carnis (Gal. V, 16.) indulget, adamatam libidinem fovens et exosculans, creat ex ea sibi peccatum, i. e. quod concupivit, turpiter quoque cogitat et agit. Quumque admittitur crebro peccatum, in turpitudinis ac nequitiae consuetudinem abit, eaque pravitas et foeditas homines corruptos instar veneni perdit in aeternum. Θάνατος enim iste contrarius τῆς ζωῆς Vs. 12. Rom. VI, 23. mors non est corporis, quam semel sibi propositam habent (Hebr. IX, 27.) homines cuncti, sed

animi mors aeterna (Matth. X, 28.), manens eos, qui mentem iacere sinunt rudem et incultam." *Schulthessius* l. c. p. 34.

16. Μὴ πλανᾶσθε) 1 Cor. VI, 9. XV, 33. etc. Ne vos in errorem agatis, putantes, Deum esse auctorem malorum, vel homines ab eo impelli in peccatum.

17. Πᾶσα δόσις — ἄνωθέν ἐστι) *Mera bona cuiusvis generis* (non inutilia aut noxia, aut sollicitationes ad peccata) *a Deo proficiscuntur.* Πᾶσα δόσις ἀγαθὴ, *merum donum bonum.* Sic πᾶς saepe accipi, docuit *Raphelius* in annotationibus ex Polyb. ad h. l. Δόσις ἀγαθὴ et δώρημα τέλειον sunt Synonyma, quibus utitur Scriptor, ut significet, cuiusvis generis bona proficisci a Deo. Ἄνωθεν, *coelitus, de coelo,* i. e. a Deo, ut Io. III, 31. Πᾶσα δόσις — τέλειον, est Hexameter fortuito effusus, ut scimus accidisse multis Scriptoribus. καταβαῖνον—φώτων) Καταβαῖνον alii cum superioribus coniungunt: ἄνωθέν ἐστι καταβαῖνον, sensu eodem. Πατὴρ φώτων, *auctor luminum*, siderum tam splendidorum et utilium. Πατέρα saepissime poni pro *auctore*, notissimum est. Τὰ φῶτα nonnulli interpretantur *spiritus, et dona spiritualia;* alii prosperitatem et laetitiam; alii aliter. Nos cum aliis intelligimus sidera, quae saepius tanquam divinae maiestatis argumentum proponuntur, e. c. Ies. XL, 26. Ps. CXLVII, 4. sq. Sir. XLII, 16. — XLIII, 12. ὁ πατὴρ τῶν φώτων est *huius universi creator.* Sed Iacobus siderum tantummodo mentionem fecit, quoniam paullo ante dixerat ἄνωθεν, i. e. οὐρανόθεν. Ab auctore tam splendidorum et utilium siderum, optimo, maximo,

nonnisi bona et perfecta munera expectari possunt. Is igitur nunquam in peccata et exitium nos coniiciet. παρ' ᾧ—ἀποσκίασμα) *In quo mutatio nulla ne minima quidem est*, ut in Sole, qui etsi πατὴρ φώτων dicatur, est tamen ipse pro exaltationis sive declinationis positu, et facie et operatione varius. παραλλαγὴ, τροπὴ, et ἀποσκίασμα sunt voces Astronomicae, ut ab Eruditis animadversum. Nam παραλλαγὴ Astronomis est *conversio solis a septentrione ad meridiem et vice versa*; τροπὴ, *solstitium*, vel ea solis conversio, quae ab ortu ad occasum fieri videtur, et ἀποσκίασμα *ea umbra, quam terra proiicit sole sub eo condito*. Sed haec nimis artificiose excogitata esse videntur. Est potius παραλλαγὴ *quaevis per vices mutatio*, τροπὴ, *mutatio*, est merum Synonymum, τροπῆς ἀποσκίασμα, *mutationis umbra, vel species*. Τροπὴν Hesychius explicat per ἀλλοίωσιν. Suidas: τροπῆς ἀποσκίασμα, ἀντὶ τοῦ ἀλλοιώσεως καὶ μεταβολῆς, ἴχνος καὶ ὁμοίωμα φαντασίας. Sensus est, *in Deo nullam, ne quidem minimam mutationem*, Deum semper esse bonum, et semper mera bona tribuere.

18. Βουληθεὶς—ἀληθείας) *Volens* (sponte, benignitate motus) *Christianos nos fecit per doctrinam veram*. Βουληθεὶς, *quum ita vellet, decrevisset, quum hoc consilium eius esset*, κατὰ τὴν εὐδοκίαν θελήματος αὐτοῦ, Eph. I, 5. Βούλεσθαι, saepe est *delectari aliquo* (1 Sam. XVIII, 25.), *eique cupere* (XX, 11.). Apud Lysiam: θέλοντες ἀποδέχεσθε, *lubenter et cum voluntate admittitis*. Ἀποκύειν, proprie de feminis et partu naturali dicitur. At hic,

quia de partu morali est sermo, vox ea Deo, tanquam homini aptatur. Hinc et commode Vulgatus Interpres *nos genuit* vertit. Ἀποκύσιν igitur h. l. idem valet quod ἀναγεννᾶν, *a Iudaismo et Paganismo ad Christianismum perducere*, et ἀναγέννησις h. l. idem est, quod interdum ἐπιστροφὴ, transitus a Iudaismo et paganismo ad christianam religionem, ut Act. XIV, 15. XV, 3. XXVI, 18. Possis etiam ἀποκύεσιν hoc quidem loco vertere: *creare*, Hebraeorum more. Ps. XC, 2. Deut. XXXII, 18. Ier. II, 27. Creator siderum etiam in nobis ipsis talem se exhibuit, qui in istam suspicionem (Vs. 13.) vocari nullo modo possit. Λόγος ἀληθείας, *doctrina vera*, i. e. Evangelium, 1 Petr. I, 23. Εἰς τὸ εἶναι—κτισμάτων) *Ut simus primi ac praecipui, omnium mortalium.* Ἀπαρχὴ, *primitiae*, deinde etiam in qualibet re praecipuum et optimum. Scholiastes vetus ad hunc locum in Medic. bibliotheca: Ἀπαρχὴν, τουτέστι πρώτους καὶ τιμιωτέρους, κτίσματα δὲ τὴν τῶν ὁρωμένων κτίσιν φησὶν. Convenit etiam haec significatio hebraicae loquendi consuetudini. Nam primitiae tanquam medulla fructuum Deo ex lege Mosaica consecrabantur (Num. XVIII, 12.), et primogenitus quoque *praecipuum* in familia locum obtinebat. Deut. XXI, 17. Gen. XLIX, 3. Secundum alios ἀπαρχὴ dicuntur, qui ante alios vocati sunt, Christiani ex Iudaeis, et κτίσματα intelligenda sunt καινὰ, ut ἀπαρχὴ κτισμάτων sint ii, qui primi omnium facti sunt Christiani. Noesseltus hunc locum ad Antiochenum Christianorum coetum refert, qui primus extra Palaestinam extitit, primus certe qui assumsit novum nomen Christianorum, ut Epaenetus Rom. XVI, 5. est ἀπαρχὴ τῆς Ἀχαΐας εἰς Χριστὸν, *primus qui in*

Achaia Christum secutus sit. Tum ἡ ἀπαρχὴ τῶν κτισμάτων τοῦ Θεοῦ essent *Christiani primi* tempore. Dubito autem an τὰ κτίσματα sint Christiani.

19. Ὥστε—βραδὺς εἰς ὀργήν) *Quapropter fratres carissimi, promptus esto quisque ad discendum, tardus ad docendum, tardus ad iram.* Ὥστε, *quae quum ita sint*, quum per doctrinam veram tales efficiamur, qui sint in praestantissimis creaturis Dei, (Vs. 18.) hanc tam salutarem doctrinam lubenter et alacriter discere, et quidem ita discere debemus, ut emendemur, et meliores reddamur. Atque hoc ipsum, quod evangelium non tantum disci, sed et observari debeat, copiosa deinceps oratione persequitur Apostolus, inde ab hoc nostro versiculo ad cap. II. finem, ut bene observat *Storrius*, omnino hic consulendus. Ἔστω πᾶς ἄνθρωπος ταχὺς εἰς τὸ ἀκοῦσαι, *quilibet vestrum libenter audiat*, nempe doctrinam salutarem. Ita Sirac. V, 11. γίνου ταχὺς ἐν ἀκροάσει. Ἀκοῦσαι sc. τὸν λόγον τῆς ἀληθείας, est *religionem christianam discere;* λαλῆσαι autem *tradere*, *docere*, ut saepius. Βραδὺς εἰς ὀργήν, tardus ad iram, vel etiam fervorem immoderatum in docendo. Videntur nempe inter Christianos fuisse, qui immoderato studio alios docendi flagrarent, quum ipsi nondum satis accurata notitia religionis imbuti essent. Cf. c. III, 1. Hos igitur hortatur Apostolus, ut ipsi potius mansueto animo religionem discere, quam aliis zelo imprudenti tradere malint. Inter eos, qui Hierosolymis propter religionem expulsi Antiochiam venerant, fuisse videntur doctores Iudaicae religionis studiosi, qui sese ingerere regnareque cuperent. Cf. infra c. III, 1. Vid. Noesselt. l. c. p.

325. sqq. Hi facile irasci poterant iis, qui eorum studia reprimere vellent.

20. Ὀργὴ γὰρ — κατεργάζεται) *Iracundus enim praescripta Dei non observat.* Ὀργὴ ἀνδρὸς pro ἀνὴρ ὀργιζόμενος. Δικαιοσύνη τοῦ θεοῦ, *religio divina* vel etiam praescripta divina. Prov. VIII, 15. Homo iracundus non solet observare religionis praecepta; ergo nec docere potest religionem, prouti fas est. Aliis δίκαιος. τ. θ. h. l. est *favor divinus.*

21. Διὸ — κακίας) *Quapropter depositis omnibus vitiis, et nimia morositate.* Ῥύπος et ῥυπαρία solet de sordibus corporis dici. Inde ad animum transfertur, significatque omne id, quo inquinatur animus. Basilius Homil. in Ps. 61. Εἶδον ἰατροὺς ἐγὼ μὴ πρότερον διδόντας τὰ σωτήρια φάρμακα, πρὶν ἐμέτοις ἀποκενῶσαι τὴν νοσοποιὸν ὕλην, ἣν ἐκ πονηρᾶς διαίτης ἑαυτοῖς οἱ ἀκόλαστοι ἐναπέθεντο. Περισσεία κακίας, *nimia morositas.* Κακία, *malitia*, consuetudo vel cupiditas nocendi aliis, ut Cicero explicat Tuscul. 4. 15. Περισσεία et περισσὸν, *omne nimium.* Ergo intelligere videtur Iacobus nimiam illam in docendo morositatem, de qua paullo ante dixerat; vel etiam reliquias malitiae illius, quam in Iudaismo contraxerant huius epistolae lectores. ἐν πραΰτητι—τὰς ψυχὰς ὑμῶν) Ἐν πραΰτητι, *animo docili*, ab omni contumacia et repugnandi cupiditate alieni. Τὸν ἔμφυτον λόγον, *doctrinam illam, quae* Apostolorum vel aliorum doctorum opera *animis vestris inseritur*, vobis proponitur. Doctrina Christi semini comparatur. Luc. VIII, 4. sqq. Matth. XIII, 3. sqq. Haec doctrina potest animos vestros σῶσαι, libe-

rare a vitiositate, prava peccandi consuetudine et miseria inde orta; perducere ad veram mentis morumque huius et futurae vitae felicitatem. Τὰς ψυχὰς ὑμῶν, *vos ipsos*. Rom. I, 16. Maluit autem dicere τὰς ψυχὰς ὑμῶν, quia felicitas, de qua h. l. sermo est, ad animum spectat.

22. Γίνεσθε — ἑαυτούς) *Exprimite autem doctrinam factis, neque auribus tantum percipite, vos ipsi decipientes.* In hanc periocham a versu 22. usque ad cap. II, 26. docta extat Commentatio *Knappii* in *Scriptis varii argumenti* etc. pag. 459. sqq. Edit. sec. Ποιητὴς λόγου, *doctrinae morem gerens*, est nova loquendi ratio; classicis enim scriptoribus ποιητὴς νόμου *auctor* vel *lator* legis est. Observantibus religionis praecepta opponuntur μόνον ἀκροαταὶ, sc. τοῦ λόγου, qui christianae religionis praecepta auribus tantum percipere solent, nec iis convenienter vivunt: Non satis est discere et scire veritatem, sed obsequium etiam accedere debet. Qui enim tantum audiendo verbum Dei, et profitendo se Christianos esse, sine factis piis servari se posse sperant, ii παραλογίζονται ἑαυτούς, *semet fallunt*. Videntur sibi religiosi, nec vero sunt ex Dei sententia, Vs. 26. 27., salutem frustra sibi promittunt, c. II, 14. Videtur Iacobus in animo habuisse sermonem Domini, Matth. VII, 24. sqq.

23. Ἔοικεν — ἐσόπτρῳ) Ἀνδρὶ, i. e. ἀνθρώπῳ s. τινὶ, hebr. אִישׁ, nec ad solos *viros* est restringendum. Κατανοεῖν hic est *conspicere*; forte a speculo in transitu oblatam imaginem conspicari. Τὸ πρόσωπον τῆς γενέσεως, i. e. γνήσιον *innata*, *naturalis facies*. Facies naturalis opponitur faciei morali.

24. Κατενόησε — οἱοῖος ἦν) Pro: Κατανοήσας γὰρ ἑαυτὸν, καὶ ἀπελθὼν, εὐθέως ἐπιλανθάνεται οἱοῖος ἦν. Qui in transitu oblatam a speculo imaginem forte conspexit, is deformitates in facie non animadvertit, adeoque eas purgare omittit.

25. Ὁ δὲ — παραμείνας) *Qui autem assidue considerat doctrinam religionis perfectam, verae libertatis magistram.* Παρακύπτειν, proprie significat: *incurvare se, inflexo collo et corpore introspicere*, ut Io. XX, 5. metaphorice, *diligenter et accurate considerare.* Παρακύπτειν εἰς νόμον, *diligenter legem inspicere*, tanquam speculum, quod animi morbos plene ob oculos ponit intuentibus. Lucianus Reviviscent. Ἐπειδὴ παρέκυψα εἰς τὰ ὑμέτερα, *postquam ista dogmata vestra accuratius inspexi.* Νόμος h. l. est *doctrina*, תּוֹרָה, λόγος, Vs. 18. 21. Νόμος τῆς ἐλευθερίας est ea doctrina, quae nos ab imperio vitiorum et libidinum liberat, eodem prorsus sensu quo Io. VIII, 31. 32. Harum enim libidinum pravitatem fugiendam iubet Iacobus per universam epistolam, e. c. statim Vs. 26. II, 1. 15. sqq. III. IV. Alii ἐλευθερίαν hanc ad libertatem a legibus cerimoniarum, alii ad liberationem a culpa et poena peccatorum referunt. Sed intelligi libertatem ab imperio vitiorum et libidinum, inde patet, quod omnis, qui sequitur locus in commendandis bene factis versatur. Τέλειον, *perfectam*, universam, non tantum particulas aliquas. Fortassis etiam ideo vocatur *perfecta* doctrina christiana, quod accuratam contineat voluntatis divinae institutionem, non mancam et imperfectam, qualem lex Mosaica tradidit. Παραμένειν, *perseverare*,

nempe in meditanda et consideranda doctrina Evangelica, sicut feminae faciunt, quae ad singulos capillos bene ponendos de speculo consilium sumunt. *οὗτος — αὐτοῦ ἔστται*) *Is, quum non obliviosus auditor, sed rei effector sit, beatus erit facto suo.* Dum facit, quae praescribit religio, obtinebit *ἐλευθερίαν*, quam promittit evangelium, seu *μακάριος ἔσται*. *Ἀκροατὴς ἐπιλησμονῆς*, i. e. *ἐπιλήσμων*, *obliviosus*. *Ποιητὴς ἔργου*, *effector eorum operum*, *quae evangelica lex exigit.* Singulare pro plurali. In pronomine *οὗτος* pulcra est *ἀναφορὰ*.

26. *Εἴ τις—καρδίαν αὐτοῦ*) *Si quis religiosus sibi videtur, quanquam v. c. linguam non refrenet, sed decipiat se, eius religio vana est.* *Δοκεῖ*, nempe *ἑαυτῷ*, ut optime intellexit Vulgatus, qui vertit: *si quis putat se religiosum*, verum Dei cultorem *esse*. *Θρῆσκος* hic est *θρησκευτὴς*, *religiosus*. *Μὴ χαλιναγαγῶν γλῶσσαν αὐτοῦ*, sc. *ἀπὸ καταλαλιᾶς*, vel *ἀπὸ τοῦ κακοῦ*, 1 Petr. III, 10. Fortassis tamen Iacobus respexit ad nimiam docendi licentiam et linguae intemperantiam, de qua Vs. 19—21. scripserat. Non esse verum Dei cultorem, inquit, eum, qui pruritu docendi abreptus, secus docentes calumnietur. Frequens in hac re comparatio a fraeno desumta. Ceterum exemplo singulari, primis lectoribus cum maxime accommodato utitur Apostolus, pro universo genere christianarum virtutum; quasi dixisset: si quis sibi religiosus esse videtur, nec tamen verae virtuti studet. *Sed decipiat se*, sit *μόνον ἀκροατὴς λόγου. τούτου μάταιος ἡ θρησκεία*) Nihil illi proderit talis imaginaria religio. *Μάταιον*, quod effectu caret, non genuinum et sincerum.

27. Θρησκεία — πατρὶ) *Religio vera et non adulterina, quae Deo, qui et Pater noster est, placet.* Similitudo sumta a gemmis, in quibus requiritur, ut et sincerae sint, et non ulceratae. Ἀμίαντος, *labe carens.* Παρὰ τῷ θεῷ, iudice Deo. ἐπισκέπτεσθαι θλίψει αὐτῶν) *Orphanorum et viduarum, quum affligantur, curam habere.* Ἐπισκέπτεσθαι, Vulgato *visitare,* id vero est *curare,* vel *providere.* Hesychius: ἐπισκέπτεται, προνοεῖ. Sirac. IV, 10. Γίνου ὀρφανοῖς ὡς πατὴρ, καὶ ἀντὶ ἀνδρὸς τῇ μητρὶ αὐτῶν, i. e. τῇ χήρᾳ. Species ponitur pro genere. Nam religio vera fidem quidem et omnis generis virtutes requirit, sed perficitur duabus maxime rebus, beneficentia et vitae puritate. ἄσπιλον — κόσμου) *Purum sese servare a vitiis hominum profanorum.* Alii per τὸν κόσμον h. l. intelligunt *terram, resque terrenas,* bona huius vitae et divitias, vel potius rerum terrenarum illecebras et nimium divitiarum amorem. Equidem retinendam esse putaverim vulgarem τοῦ κόσμου in N. T. significationem, qua *profani homines,* Iudaei et Pagani, κόσμος vocantur. Ab his autem purum se servare non est omnem cum iis consuetudinem fugere, sed abstinere a vitiis, quibus dediti sunt, non imitari pravos eorum mores. Cf. 1 Cor. V, 9. sqq. Ergo ex mente Iacobi probatissima θρησκεία est eius, qui aliorum commodis, quantum potest, inservit, et a pravis moribus profanorum hominum abstinet. Is enim factis ostendit sensus animi rectae Dei cognitioni convenientes, consiliis Dei se accommodat, eumque imitatur, i. e. colit Deum; est in eo religio.

CAP. II.

1. Μὴ ἐν — τῆς δόξης) *Potestisne, fratres, si partium studio ducamini, pro veris cultoribus splendidissimi Domini nostri Iesu Christi haberi?* Voculae μὴ cum *Storrio* interrogandi vim tribuendam, ἔχετε vero pro ἔχειν δύνασθε, accipiendum esse puto. Ἔχειν τὴν πίστιν I. Χρ. est *habere religionem Iesu Christi*, cultorem esse Iesu Christi. Τῆς δόξης ponitur pro τοῦ ἐνδόξου, ut 2 Cor. III, 9. Προσωποληψία, *personae respectus*, illud vitium dicitur, dum in diiudicandis aliis non respicimus ea, quae laude digna sunt, sed res externas, formae pulcritudinem, vestium splendorem, divitias, etc. Vid. not. ad Rom. II, 11. Negat Iacobus eos, qui Domini Iesu Christi, maiestatis pleni, amicos, sub sordido pallio latentes, despicatui habeant, veros esse tanti Domini cultores. Qui particulam μὴ vertunt *non*, ii varie locum explicant. *Pott* totam formulam sic resolvit: μὴ ἔχετε (i. e. μὴ κατέχετε) τὴν προσωποληψίαν ἐν (i. e. ἅμα σὺν) πίστει, nolite nunc, quum Christiani facti estis retinere partium illud studium, cui olim dediti fuistis. Potest etiam ἐν προσωποληψίᾳ positum esse pro σὺν προσωποληψίᾳ. Illud facile perspicitur, Iacobum nunc dehortari Christianos a turpi illo partium studio, quo divites pauperibus praecipue in synagogis praeferri solebant.

2. Ἐὰν γὰρ—ἐσθῆτι) Γὰρ, *exempli gratia*. Συναγωγὴ, עֲדָה, קָהָל, alias *coetus Iudaeorum*, h. l.

ad *coetum Christianorum*, *et ad locum*, *in quem hic coetus cogebatur*, *transfertur;* quod ex eo patet, quod honoratiora et viliora subsellia commemorantur. Non tantum domos privatas, sed et interdum synagogas Iudaeorum christianis conventibus esse dedicatas, valde probabile est. *Vitringa* de synag. Vet. I, 3. 2. Ἀνήρ, אִישׁ, *aliquis*, sive Christianus, sive Iudaeus vel Ethnicus, ut patet ex Vs. 6. 7. Licuisse enim etiam aliis ingredi in conventum publicum Christianorum, discimus etiam ex 1 Cor. XIV, 25. Χρυσοδακτύλιος vertit Vulgatus *aureum annulum habens:* mallem cum Pricaeo *aureos annulos.* Arrianus in Epict. I, 22. ἦξει ἀνὴρ πολιὸς, χρυσοῦς δακτυλίους ἔχων πολλούς. Seneca Natur. quaest. VII, 31. *Exornamus annulis digitos, in omni articulo gemma disponitur.* Voluit dicere sumus χρυσοδακτύλιοι. Recte autem, et ex consuetudine ditiorum, annulis lauta vestis iungitur, ἐν ἐσθῆτι λαμπρᾷ, *veste splendida.* Sic λαμπρὰν χλαμύδα ἐσύρων est apud Posidonium. Πτωχὸς, homo pauper, sed Christianus, Vs. 5. vel etiam nondum Christianus, sed vir bonus, eo consilio ingressus in synagogam Christianorum, ut disceret, qualis esset cultus Christianorum, Vs. 3. Ἐν ῥυπαρᾷ ἐσθῆτι, veste nec nitida, nec elegante, sed obsoleta ac detrita.

3. Καὶ ἐπιβλέψητε — ὑποποδίόν μου) Ἐπιβλέψητε, *cum reverentia quadam oculos atque animum advertitis.* Theophrastus in charact. morum ex adulatoris persona: ἐνθυμῇ ὡς ἀποβλέπουσιν εἴς σε οἱ ἄνθρωποι; Hoc lautae vestes cultusque splendidus efficiunt, praesertim apud imperitiores. Κάθου ὧδε κα-

λῶς, Vulgatus: *Sede hic bene*, i. e. commode; vel καλῶς, *in conspicuo loco isto*, unde apud Aelian. Var. Hist. II, 13. ἐν καλῷ τοῦ θεάτρου καθῆσθαι. *Tertullianus* Apologetico: *Praesident probati quique seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio adepti.* Fuisse videntur in urbibus quibusdam homines, medii quasi inter Iudaeos et Christianos, dubitantes et fluctuantes, an consultius esset Iudaismum deserere, et ad christianam religionem accedere, nec ne? Credibile est, ministros ecclesiarum sedulis studiis prosecutos fuisse omnes divites, et splendide vestitos, si venirent in consessum publicum, ut eo facilius eos in societatem suam pertraherent, pauperes vero neglexisse, nec de eorum salute sollicitos fuisse. *Potto* venientes in coetum sunt fratres advenae. Diaconos aliosve in ecclesiis adfuisse existimat, qui his fratribus loca assignarent, et quidem priora, eaque honestiora divitibus, inferiora vero pauperibus. *Storr* cum Hammondo et Herdero Christianos intelligit, inter quos lites factae fuerant, ecclesiae arbitrio dirimendae. Matth. XVIII, 17. 1 Cor. VI, 1. sqq. Sed haec omnia sunt incerta. Possunt etiam intelligi eidem adscripti ecclesiae, qui, quum sedilia ab aliis, qui ante venerant, iam essent occupata, locum ubi sederent, non statim invenerunt.

4. Καὶ οὐ διεκρίθητε—πονηρῶν.) *Tum non diiudicavistis* (rem illam), *tum pravos iudices vos praebuistis.* Nonnulli volunt interrogative haec legenda, quomodo legit Syrus, sicut hebr. לֹא et וְלֹא ponitur pro הֲלֹא. Verbum διακρίνεσθαι h. l. varie red-

dunt interpretes. Videtur praeferenda esse eorum sententia, qui active reddunt per *discernere*, sed *discrimine iniusto et illegitimo*, alterum alteri praeferre. Ἐν ἑαυτοῖς, i. e. ἐν τῇ καρδίᾳ ὑμῶν, Marc. XI, 23. Sensus est: *Pro arbitrio vestro alterum alteri posthabetis.* Κριταὶ hic dicuntur ii, *qui discernunt vel aestimant.* Genitivus διαλογισμῶν πονηρῶν hic non est obiecti, sed attributi. Iudicatis secundum malas cogitationes; estis iudices male ratiocinantes, ex vestitu nimirum ad animum. Nam διαλογισμοὶ πονηροὶ sunt mala principia, vel pravae cogitationes et ratiocinia falsa eorum, qui dignitatem vel vilitatem aliorum externo cultu, vestitu aliisque rebus externis metiuntur. *Storr* ita vertit: *Nonne vero ipsi vobis sententiam dixistis, iudices vos esse male ratiocinantes?* Alterum καὶ, quemadmodum *Vau* in וְיֵשׁ (Gen. XLVII, 5.) reddit *quod.* Διεκρίθητε vero in eandem fere partem accipit, atque codex Corbeiensis, qui habet: *diiudicati estis.* Denique ἐν ἑαυτοῖς interpretatur a *vobis ipsis.* Si, quod multi faciunt, omittitur καὶ οὐ, tunc sensus est: *Hac ratione inter vos Schisma ortum est; et facti estis iudices duarum partium; alii aliis exprobrant prava consilia*, ut significetur *divisiones* sic ortas esse his in urbibus. Equidem non dubito, nunc eorum accedere sententiae, qui hoc comma sine interrogatione legi volunt. Et horum quidem expeditissima ratio ea est, quam *Carpzovius* iniit, (in Progr., quo epistola Iacobi illustratur Helmst. 1782.) censens, geminatum καὶ h. l. ita sibi respondere, ut Latinorum *et — et*, *tum — tum*, hoc sensu: *tum non diiudicavistis* s. *reputastis* rem illam (supplendum enim est τοῦτο, vel ταῦτα), *tum*

pravos iudices vos praebuistis. Nec obstat passiva verbi forma, (διεκρίθητε) *diiudicati estis*, quippe quae et in hoc verbo et in aliis, activam saepe significationem habet, ut Rom. IV, 20. 2 Petr. I, 3. 4. Hebr. XII, 26. Huic sententiae *Knappius* etiam accessit l. c. pag. 488.

5. Ἀκούσατε — ἀγαπῶσιν αὐτὸν) *Heus vero, carissimi fratres, annon Deus probat rerum mundanarum egenos, abundantes fide, et participes felicitatis, quam cultoribus suis promisit?* Ἀκούσατε, i. e. animum attendite. Ἐκλέξασθαι est *diligere, probare*, hebr. בָּחַר. Πτωχοὺς τοῦ κόσμου, *qui mundo videntur pauperes* dixit, ut melius inferret ἀντίθετον quod sequitur; vel etiam *pauperes, quod attinet ad res terrenas.* Hos Deus probat et prae ceteris diligit, si sint πλούσιοι πίστει, abundantes fide. Alienus ab omni partium studio pauperes et humilis conditionis homines probat et beneficiis ornat. Primum igitur argumentum, quo confirmatur, perperam illos iudicare, qui divites praeferant propter solas divitias, petitum est ex divinae rationis dissimilitudine; Deum nempe pauperes adeo non indignos habere suo favore, ut potius eos prae aliis diligat et probet, atque participes felicitatis aeternae faciat. Maximam partem Christianorum pauperes fuisse satis constat.

6. Ὑμεῖς δὲ — πτωχόν) Aoristus pro quovis tempore, ut et supra Vs. 4. Ἠτιμάσατε *despicatui habuistis*, ut Syrus habet. οὐχὶ οἱ πλούσιοι — κριτήρια) Alterum argumentum, quo studium illud partium reprehendendum esse docet Iacobus: Si quid huc prae-

iudicati afferendum esset, iudicio ex solemnibus divitum moribus facto, divitem potius in antecessum fuisse postponendum. Καταδυναστεύειν, *opprimere, inique alicui imperare.* Divitum mos est imperiose agere adversum pauperes; operam eorum parvi ducere. Καὶ αὐτοὶ ἕλκουσιν ὑμᾶς εἰς κριτήρια, *ad tribunalia.* Videtur de Iudaeis incredulis esse sermo; hi enim, praesertim ditiores, opprimebant pauperes Christianos, et accusabant eos apud magistratus, ut ex Apostolorum Actis notum est. „Ceterum qui opulentos praeter alios suspiciunt omnique honore afficere student, hoc ipso arguuntur, si fortunae filii essent, non humanius ipsos communiusque sua sorte usuros esse; itaque dignos, qui adulentur ac deserviant divitibus eorumque tyrannidem tolerent.“ *Schulthessius* p. 89.

7. Οὐκ αὐτοὶ — ἐφ' ὑμᾶς;) *Nonne isti conviciis proscindunt honorandam illam personam, ex qua accepistis nomen?* Ὄνομα pro *persona* saepius iam habuimus; et Christum intelligendum esse, facile apparet. 1 Petr. IV, 16. Καλὸν, *honorandum.* Τὸ ἐπικληθὲν ἐφ' ὑμᾶς i. e. ἐξ οὗ ἐπικαλεῖσθε, vel ἐπίκλησιν ἔχετε. Christum tanquam impostorem reiiciunt, maledictisque lacessunt divites Iudaei et Pagani. Possunt etiam haec verba ita exponi: *Nonne isti conviciantur praeclarum nomen quo vos appellamini?* Intelligitur nomen Christianorum, quod primi susceperunt Antiocheni. Act. XI, 26. Τὸ ἐπικληθὲν ἐφ' ὑμᾶς, *quo appellamini*, more Hebraeorum, qui nomen eius, a quo denominamur, *super nos vocari* dicunt. Vid. Gen. XLVIII, 16. 1 Reg. VIII, 16. Ies.

IV, 1. Invisum fuisse nomen Christianorum profanis, satis constat. Sed probabilior est prior explicatio: *a quo vos denominati et appellati estis.* Ita enim verba τὸ ἐπικληθὲν ἐφ' ὑμᾶς ex usu loquendi Hebraeorum reddenda sunt. Vid. Gen. XLVIII, 16. Ies. IV, 1. Ier. XXV, 29. et alia loca a *Knappio* laudata, l. c. p. 497. sq. Ceterum nemo non videt, quae hic *universe* de divitibus et pauperibus enuntiantur, ea de magna eorum parte intelligenda esse.

8. Εἰ μέντοι—βασιλικὸν) Iudaei, Christianis ubique infensi, praecipue zelum legis Mosaicae prae se ferebant. His igitur *Iacobus* similiter summam et arcem universae legis opponit, sicut Christus Matth. XXII, 34. sqq. et Paulus Gal. V, 14. Rom. XIII, 9. *Lex regia* sine dubio vocatur praeceptum de amore proximi ideo, quia maximi est momenti, et utilissima. Nam βασιλικὸν saepe est praestantissimum, et Deo auctore dignissimum. Philo, *quod omnis probus liber* p. 888. Βασιλικώτερον οὐδὲν ἀρετῆς, *nihil aeque regium ac virtus.* Plato in *Minoe* citante Stobaeo serm. 42. τὸ μὲν ὀρθὸν, νόμος ἐστὶ βασιλικὸς. Maximus Tyrius Diss. 10. sub. init. κάλλος βασιλικὸν, *pulcritudo regia.* Κατὰ τὴν γραφὴν, Levit. XIX, 18., quae sententia potissima esse debebat iis, qui ex Iudaeis facti erant Christiani.

9. Εἰ δὲ—παραβάται) *At si partium studio ducamini, peccatum admittitis, et notamini ab illa lege tanquam violatores.* Legem intelligi nonnulli putant eam, quae extat Levit. XIX, 15. sumendam ita, ut non solum ad iudicia pertineat, sed et ad honorum signa

in coetu ecclesiae. Sed respicere etiam Apostolus potest ad legem de amore proximi, quam modo comm. 8. vocaverat νόμον βασιλικὸν, quae respectu personarum, vel partium studio omnino violatur. Quid? vos, qui tali personarum respectui illam legem praetenditis, quae vos quemvis hominem amare iubet, annon videtis, vos pauperem diviti postponentes ipsam illam legem violare, qua omnes homines aequo amore iubemini amplecti?

10. Ὅστις γὰρ — ἔνοχος.) *Qui enim totam legem servaverit, obsequium vero denegaverit uni praecepto, negligentiae omnium reus est.* Per ὅλον τὸν νόμον hic intelligit Iacobus legem Mosis, et idem de lege evangelica valere innuit, quod de illa lege omnes fatebantur. Si quis omnia alia praecepta servaverit, πταίσει δὲ ἐν ἑνὶ, *violaverit autem unum*, nempe eorum, quibus poena capitalis constituta est, γέγονε πάντων ἔνοχος, i. e. ὡς πάντων ἔνοχος. Non minus morte punitur quam si omnia praecepta violasset. Sic Rabbini dicunt: *Qui transgreditur unum praeceptum, est ac si transgrederetur omnia.* Quod de lege Mosis valet, hoc etiam de lege Christi dicendum est. Παραβάτης legis Christi is habetur, qui unum aliquod praeceptum ab eo profectum, e. c. illud, quo προσωπολημψίας crimine alios laedere vetamur, scienter et pertinaciter violat, quamvis alia officia non negligat. Πταίειν, *impingere, offendere*, et ex adiuncto: *vacillare, labi*, metaphorice *peccare, aberrare a virtutis tramite.* Πταίειν ἐν ἑνὶ, sc. λόγῳ, h. l. *unum mandatum prorsus negligere.* Non enim *singulares actus*, cuicunque praecepto repugnantes dam-

nat Apostolus, sed eos carpit, qui certum officiorum genus omnino negligebant. *Semlerus* putat ἑνὶ forsan hebraico more positum esse pro πρώτῳ, *primo* praecepto in decalogo, vel eo praecepto, quod novo iure christiano est primum, ut Christus Matth. XXII, 37. 38. dixit πρώτην καὶ μεγάλην ἐντολήν. Durior haec interpretatio esse videtur, quam ut admitti possit. Ratio autem, cur is, qui unum praeceptum negligi t, reliquorum etiam reus sit, est in promtu. Qui nempe unum aliquod praeceptum scienter et pertinaciter violat, is eo ipso ostendit, se legislatoris reverentem non esse, sed in iis etiam actibus, qui legi consentire videantur, aliis citius rationibus duci, quam pietate in Dominum.

11. Ὁ γὰρ — παραβάτης νόμου) Scite *Salvianus*: „Si enim pro arbitrio suo servi dominis obtemperarent, ne in iis quidem, in quibus obtemperaverint, obsequuntur. Quando enim servus ex Domini sui iussis ea facit tantummodo, quae vult facere, iam non dominicam voluntatem implet, sed suam.“ Ceterum recte monet *Pott*, haec, quae dicta sunt, Vs. 10. et 11. non revocanda esse ad metaphysicam subtilitatem, quasi Iacobus omnia peccata paria esse, et eum, qui unam migraverit legem, eandem poenam, ac si omnes violasset, daturum esse, contendat, sed id unum innuere voluisse: ne unius quidem legis migrationem esse vilipendendam, quia Deum habeat auctorem, cuius auctoritas etiam vel uno praecepto laeso admodum violetur.

12. Οὕτω λαλεῖτε — κρίνεσθαι) *Eo modo loquamini* (doceatis) *et agatis, qui decet homines olim secun-*

dum legem, quae libertatis est magistra, diiudicandos, i. e. *Cogitate semper, dicta et facta vestra iudicanda esse*, illo die, *secundum legem eam, quae est libertatis magistra*, i. e. secundum religionis christianae praecepta, quibus observandis ab imperio vitiorum et pravarum libidinum liberandi sumus, inprimis secundum τὸν νόμον βασιλικὸν: *amabis proximum tuum ut te ipsum*, Vs. 8. Severam igitur iudicis Dei sententiam experietur, quisquis hanc legem neglexerit, Vs. 13. Μέλλοντες κρίνεσθαι, sc. die extremi iudicii. Διὰ νόμου, i. e. κατὰ νόμον. De lege libertatis vid. supra c. I, 25. Ergo sermonibus et actibus, *amore plenis* πίστις νόμου ἐλευθερίας comprobanda est.

13. Ἡ γὰρ — ἔλεος) i. e. *Poena gravissima affligetur is, qui non exercuit benignitatem*, qui neglexit illam legem libertatis, legem primariam religionis christianae, quae mutuum erga omnes amorem praecipit, Vs. 12. cf. Vs. 8. Κρίσις interdum etiam est *poena*. *Poena* ἀνίλεως est, quae ita exercetur, ut gratiae et condonationi non amplius sit locus. Ἔλεος, respondens Hebraeo חֶסֶד, omne genus beneficentiae significat; mutuum erga omnes homines amorem. Vide dicta ad Matth. IX, 13. Lex Evangelii est, ut benefaciamus omnibus; qui id non facit, dure tractabitur, Matth. VII, 1. XXV, 42. κατακαυχᾶται ἔλεος κρίσεως) *Beneficentia de damnatione triumphat*; eam non metuit. Ἔλεος, abstractum pro concreto, *homo benignus, alios amans*, et amorem dictis et factis ostendens. Misericors, benignus gloriari potest de iudicio extremo; quia nullius culpae sibi conscius, supplicia

non timet, sed praemia expectat. Non potest Deus damnare suae bonitatis imitatores. Non excluduntur aliae virtutes, sed beneficentiae vis declaratur. Cf. Rom. XIII, 8 — 10.

14. Τί τὸ ὄφελος—σῶσαι αὐτὸν;) *Quid prodest si quis glorietur, se fidem habere, neque vero factis ostendat? Potestne talis fides eum felicem reddere?* Cf. infra Vs. 24. Πίστις h. l. non tantum est *religionis notitia seu professio*, ἀκρόασις τοῦ λόγου, de qua c. I, 22. sqq., sed etiam fiducia, quae inde existit. Vid. *Ge. Christ. Knappii Scripta varii Argumenti*, Hal. 1823. pag. 511. Edit. sec. Λέγειν, vel *cogitare*, vel *palam profiteri*. Ἔργα, sc. fidei consentanea. Hic locus doctrinae Pauli de peccatorum remissione sine meritis operum, propter Christum solum adipiscenda, minime repugnat, quod facile perspicere potuissent interpretes, si utrumque et Pauli et Iacobi locum diligentius considerassent. *Paulus* nempe docet Rom. III. *peccata pristina nobis remitti; nosque a Deo recipi in gratiam*, (hoc enim apud Paulum est δικαιοῦσθαι) ex mera gratia, antequam operum meritis favorem eius nobis conciliavissemus. *Iacobus* autem ostendit, fidem, sensu latiori, non esse genuinam, aut vere talem, nisi bona opera consequantur. Ergo Paulus et Iacobus non *eiusdem generis homines* obiurgant aut edocent. Paulo enim ὁ νόμος est universa lex Iudaica, et ii, contra quos disputat, sunt Iudaei, qui se solos, exclusis paganis, ἐξ ἔργων νόμου, propter observationem legis Mosaicae δικαιοῦσθαι censent. Distinguenda sunt igitur in tota hac disputatione ἔργα νόμου et ἔργα ἀγαθὰ. Nam apud Iacobum ἔργα sunt dicta et facta religioni christianae consentanea, Vs. 8., et ii,

adversus quos scribebat, erant Christiani, qui fidem a factis divellebant, et nudam fidem sufficere putabant. Agendam autem esse vitam doctrinae convenientem, si quis frui velit felicitate, id Paulus etiam docet Rom. II, 13. VI. et in omnibus Epistolis. Illustrari possunt *Iacobi* verba ex artibus et artificiis in vitae communis usu obtinentibus, quorum *mortua*, i. e. inutilis theoria est, nisi in actus producatur. *Philo* Lib. de congr. quaerendae erudit. gratia p. 430. D. Τίς ὄνησις εὐφώνου ἠσυχάζοντος, ἢ μὴ αὐλοῦντος αὐλητοῦ, ἢ κιθαριστοῦ μὴ κιθαρίζοντος, ἢ συνόλως τεχνίτου τοῦ κατὰ τὴν τέχνην μὴ ἐνεργοῦντος; ἡ γὰρ ἄνευ πράξεως θεωρία ψιλὴ οὐδὲν ὄφελος τοῖς ἐπιστήμοσιν. Ubi nota τὸ ὄφελος, quo Iacobus usus. Falsa opinio, fidem solam prodesse ad salutem, olim valde fuit frequens apud Iudaeos, qui existimabant, omnem Israëlitam, qui modo professionem Iudaismi non abiecisset, partem tandem habiturum in altero seculo, i. e. in vita aeterna. Quum eadem sententia apud multos Christianos invaluisset, *Iacobus* eam refutavit. Interrogatio, μὴ δύναται ἡ πίστις σῶσαι αὐτὸν; efficacissime negat. Non potest sola religionis notitia, vel etiam fiducia in Christum collocata, vitae, morumque probitate destituta eum felicem reddere.

15. 16. Ἐὰν δὲ ἀδελφὸς—τὸ ὄφελος;) Rem propositam Iacobus similibus illustrat. Propositum autem habet sibi hoc haec comparatio: Sicut bona dicta non prosunt egenti, cui dicuntur, etiam si adsit forte animus optans egenti bona: ita nec fides destituta operibus prodest credenti. In hoc autem simili inest et aequitatis demonstratio. Noluit ille prodesse alteri: aequum est, ut nec sibi prosit. Γυμνοὶ, *male vestiti*, ut

Matth. XXV, 36. 38. 43. 44. aliisque multis locis. Λειπόμενοι τῆς ἐφημέρου τροφῆς, qui non modo destituuntur rerum mediocri copia, sed nec habent, unde in diem vivant. Quod hic τροφὴ ἐφήμερος, id τροφὴ καθ' ἡμέραν *Alexidi* et *Aristophani*. Qui nihil habent amplius καθημερόβοι Graecis. Ὑπάγετε ἐν εἰρήνῃ, *bene vobis sit*. Est enim bene precantis. Θερμαίνεσθε, *calefacite vos* sc. vestitu; metonymia, pro *estote vestiti*. Iob. XXXI, 20. Καὶ χορτάζεσθε, *bene pasciminor;* sit vobis unde saturemini. τὰ ἐπιτήδεια τοῦ σώματος, *quae corpori expediunt*. Nam adiectivum istud apud Graecos modo Genitivum, modo Dativum regit. Μὴ δώτε δὲ αὐτοῖς, nempe quum id facere vobis in proclivi sit. Τί τὸ ὄφελος; Bona vota non sunt spernenda, sed nullius pretii, si ab eo proficiscantur, qui quod optat, effectum dare potest, et non vult. Posset etiam referri ad nomen christianum, seu religionis professionem. Cur te *Christianum* nominas? ecquid ad te ipsum utilitatis inde redibit?

17. Οὕτω καὶ—καθ' ἑαυτήν) Sicut vestra illa vota, effectu destituta, proximis vestris non prosunt, ita nec vobis proderit fides vestra, destituta operibus. Deus vestro vos modulo metietur. *Mortuum* esse dicitur, quicquid effectum suum non consequitur. „Νεκρὸς, non mortuus, qui vitam amisit, animam efflavit, sed inanimus, qui nunquam animatus vivere coepit, nedum pervenit in actionem, in qua virtutis (ergo fidei quoque) laus omnis consistit, ut ait Cicero. Sic νεκρὸν scriptoribus sacris id dicitur, quod nullum habet indicium vitae, nullam vim et actionem, nullum effectum

et fructum." *Schulthessius* p. 109. Πίστις καθ' ἑαυτήν, *fides per se*, si sola cernitur, ab operibus vel recte factis seiuncta. Versio syriaca: *Si est sola et separatim.* Ut nempe corpus exanime nihil efficere potest, ita et fides, operibus destituta, nihil prodest vel efficit; i. e. homini vera virtute destituto, nullam utilitatem affert.

18. Ἀλλ' ἐρεῖ — ἔχω) *Dicere potius quis posset: Tu fidem habes, atque ego facta habeo.* Varie explicatur hoc comma. Mihi nunc placet sententia *Knappii* (l. c. p. 518. sqq.) loquentem induci alium quempiam, probum et sapientem (c. III, 13.) qui priorem illum τινὰ (Vs. 14. cf. Vs. 16.) de imaginaria fide sua temere praedicantem refellat. Is igitur illum iam sic affatur: *Tu fidem habes*, pro: *Tu dicis te fidem habere*, Vs. 14. Id enim agit, ut *fidem* illi prorsus abiudicet. Deinde haec subiungit: *Atque ego facta habeo*, (quibus tu non studes, teque impune carere posse putas;) ut indicet, se talem requirere fidem, quae cum factis coniuncta sit. Id ipsum declarant verba: δεῖξόν μοι — τὴν πίστιν μου) *Ostende mihi fidem tuam sine factis* (tuis); *atque ego ostendam tibi e factis meis meam fidem.* De constituenda lectione vid. Knappium l. c., nam alii legunt ἐκ τῶν, alii χωρὶς τῶν ἔργων. Vera lectio videtur esse χωρὶς ut ironice intelligenda sint haec verba. *Ostende mihi vero tuae fidei praestantiam sine factis*, si potes. Aliter tibi non credam, fidem quam tu iactas hoc nomine dignam esse, nisi id mihi re ipsa, et factis tuis ostendas. Nemo igitur sibi arroget fidem, quin habeat facta, quibus ostenderit. Sin autem facta eiusmodi

habet, non opus est verbis fidem iactare, quam homines ultro ex factis cognoscunt. Omnis ergo fidei gloria suspicionem habet.

19. Σὺ πιστεύεις — φρίσσουσι.) Affertur exemplum, ad confirmandam illustrandamque sententiam ante Vs. 17. (cf. Vs. 14.) propositam, quae fidem *solam*, h. e. eam, cui facta desint, *salutarem* esse negaverat. Sumitur id, quod inter credenda primum est, Deum esse, et esse unum, unde etiam pendet tota in Christum fides. Καλῶς ποιεῖς, *bene hoc se habet*, sed non sufficit ad salutem. Καὶ τὰ δαιμόνια πιστεύουσι, nempe esse Deum, et esse unum. Δαιμόνια, *mali spiritus*. Καὶ φρίσσουσι, *et contremiscunt;* non modo salutem nullam sperandam habent, sed et pro sua pravitate graviora tormenta cum metu exspectant. Verbum φρίσσειν per metonymiam ingentem metum significat, vertiturque in Glossario: *horreo*, *horresco*. Iam porro vir ille sapiens, quem Iacobus inde a comm. 18. loquentem inducit, *germanae fidei* indolem, Abrahami exemplo magis declarat Vs. 20 — 23.

20. Θέλεις δὲ — νεκρά ἐστιν;) Θέλεις δὲ γνῶναι; Vin' tibi exemplis, e sacro codice, cui credere te ais, depromtis, ostendi, verum esse quod dixi? Ἄνθρωπε κενέ, רקא. Matth. V, 22. Non igitur omnino universim sumendum, quod Christus vetat tali vocabulo quempiam appellari, sed ubi id ex odio et impotenti ira fit, non ubi fraterno corrigendi animo, praesertim si, qui ita loquitur, imperium aliquod in alterum aut inspectionem habeat. Sic μωρούς, *stultos*, dixit Christus Matth. XXIII, 17. 19. et ἀνοήτους tum Christus

Luc. XXIV, 25., tum eius exemplo Paulus Gal. III, 1. 3. Sed simul notandum, et hic et illis Christi Apostolique verbis non certum aliquem hominem, sed hominum genus, et quidem prava aliqua qualitate aut persuasione tinctum ita compellari.

21. Ἀβραὰμ — θυσιαστήριον;) *Abraham, parens noster, nonne propter recte facta Deo probatus est, quum filium suum, Isaacum, arae imponeret?* Visus est Iacobus nonnullis contradixisse Paulo, expressis verbis docenti (Rom. III, 28.), πίστει δικαιοῦσθαι ἄνθρωπον χωρὶς ἔργων νόμου. Nec verisimilitudine caret, vanos homines Paullina illa doctrina abusos fuisse. Sed fac, fuisse inter Christianos, ad quos Iacobus scripsit, qui *abuterentur* dictis Pauli de δικαιώσει, tum Iacobus non ipsi Pauli doctrinae sed falsae cuidam explicationi Paulinae doctrinae contradixisse dicendus erit. *Paulus* nempe adversus *Iudaizantes*, qui putabant, observatione legis, inprimis Mosaicae ex debito quasi se expectare posse praemia et felicitatem aeternam, disputans, dixerat: *quemque hominem, sive natione sit Iudaeus sive Paganus, sola Christi fiducia, nullo suo merito beari*, (Rom. III, 25. s.). Ii vero *Christiani*, adversus quos *Iacobus* disputat, in ea erant persuasione, (ut ex eiusdem Apostoli responsione patet,) posse aliquem beari πίστει χωρὶς ἔργων (ἀγαθῶν) i. e. fide destituta factis; salutem propter Christum obtingere non tantum nullo nostrorum factorum merito, sed etiam ita, ut emendata mente, et piis factis ne quidem sit opus. Hoc autem Paulo nunquam in mentem venerat. Is enim perspicue docet, (Rom. VI. VIII.) religionis christianae hanc esse vim, ut nobis praestet, quod lex Mo-

sis praestare non poterat, ut nos ab infausto pravarum cupiditatum imperio liberet, et in animis nostris desiderium rerum coelestium, sensus bonos, et verae virtutis studium excitet et alat. Ergo Paulus et Iacobus amice conspirant.

Paulus docet: Christianis non amplius opus esse lege Mosaica, ut consequantur favorem Dei, et meliores reddantur; solam religionem Christianam nobis praestare omnia ad salutem necessaria; hancque felicitatem nobis obtingere nullo nostro merito, ex mera gratia divina.

Iacobus docet: Fidem, (sive religionis professionem in universum, sive Christi fiduciam nominatim intelligas,) πίστιν igitur, quae careat bonis sensibus et recte factis, non esse veri nominis fidem, sed imaginariam et fictam.

Uterque, et Paulus et Iacobus, thesin suam exemplo Abrahami illustrat, uterque accommodate ad rem, quam tractat; et quod Iacobum attinet, non ille negat, Abrahamum πίστει consecutum esse favorem divinum, sed hoc negat, πίστιν eius destitutam fuisse factis. Ostendit potius Abrahamus πίστιν suam et fiduciam eo, quod Filium de Sara unicum, vinctum imposuit arae, ut fieri mos victimis, paratus etiam eum mactare, si Deus in iusso perstitisset. Cf. Hebr. IX, 17. Significanter addit Iacobus, ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον, *super altare*, ex Gen. XXII, 9., quasi diceret, ad certam, ut ipse arbitrabatur, mortem, quae victimas ita in altari impositas, et in id ligatas solebat sequi.

22. Βλέπεις — ἔργοις αὐτοῦ) *Vides, fidem* eius *inserviisse operibus eius*, i. e. produxisse bona opera. Fides eius *adiuvabat* facta, ut facilius et certius fierent. Συνεργεῖν, *inservire, conducere.* Philo Lib. de mundo p. 1165. D. *αὐγὴ τὸ ἀποστελλόμενον ἐκ φλογὸς συνεργὸν ὀφθαλμοῖς, εἰς τὴν τῶν ὁρατῶν ἀντίληψιν, splendor est, qui a flamma emittitur, oculis inserviens ad res spectabiles apprehendendas.* In eodem Lib. p. 1171. D. *Οὐδὲν εἰς τὸ φθείρεσθαι τὸν κόσμον ἡ πλασθεῖσα τῷ λόγῳ μείωσις τῆς θαλάσσης συνεργεῖ, ad mundi interitum asserendum commentitia maris imminutio nihil confert.* Sic plane Syrus intellexit verbum *συνεργεῖν*, habet enim הימנותה סיעת לעבדוהי *fides eius auxilio fuit operibus eius.* καὶ ἐκ — ἐτελειώθη) *Et ex operibus cognitam fuisse fidei perfectionem*, et magnitudinem. Verbum *τελειοῦσθαι* hic ut alibi est pro perfecto agnosci, ut 2 Cor. XII, 9. *ἡ γὰρ δύναμίς μου ἐν ἀσθενείᾳ τελειοῦται, potentia mea in illis, qui malis obnoxii sunt, perfectius agnoscitur.* Sensus igitur est, Abrahamum operibus, praecipue vero oblatione filii sui demonstrasse fidei suae veritatem et integritatem.

23. Καὶ ἐπληρώθη ἡ γραφὴ ἡ λέγουσα) *Sic confirmata est scriptura; apparuit, verum esse, quod dicit Scriptura.* Πληροῦσθαι hic est, *verum deprehendi;* nam innuitur effatum, quod extat Gen. XV, 6. Veram fuisse *πίστιν* illam, quae l. c. parenti nostro tribuitur, ex factis eius intellectum est, quum v. c. filium arae imponere non dubitaret. Hoc igitur eventu *confirmatum* est praeconium fidei eius. Ἡ γραφὴ,

per Meton. contin. pro contento, *locus*, s. *dictum scripturae*, ut Marc. XII, 10. Io. XIX, 24. καὶ ἐλογίσθη αὐτῷ εἰς δικαιοσύνην) *Et favore divino dignus habitus est*, i. e. Deus hoc ita in bonam partem accepit, ut Abrahamum praemiis afficiendum existimarit. Cf. notata ad Rom. IV, 3. καὶ φίλος θεοῦ ἐκλήθη) *Et amicus Dei appellatus est*, i. e. fuit, factus est, locutione hebraea, qua vocari aliquis dicitur nomine, quo nunquam appellatus est, sed quod ipsius statum pulcre exprimit, ut 1 Io. III, 1. et in V. T. saepe. Pertinet hoc ad ea, quae habemus Gen. XXII, 16. seqq., ubi Deus, quod ante non fecerat, iuratum foedus cum Abrahamo iniit, sicut reges cum amicis solent, additurque caussa: quia fecisti hanc rem, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me. Quo et illud spectat, quod est Ies. XLI, 8. et 2 Paralip. XX, 7. Cf. Gen. XVIII, 17. Philo de verbis: resipuit Noë p. 281. E. φίλον γὰρ τὸ σοφὸν θεῷ μᾶλλον ἢ δοῦλον, παρ' ὃ καὶ σοφῶς ἐπὶ Ἀβραὰμ φάσκει, μὴ ἐπικαλύψω ἐγὼ ἀπὸ Ἀβραὰμ τοῦ φίλου μου; pro quo in Alexandrina versione loci cit. Geneseos: τοῦ παιδός μου. At Hebraicum עַבְדִּי quamquam Alexandrini fere semper per παῖδα reddunt, tamen Esth. II, 18. pro עבדים vertunt pulcre φίλοι. Sunt igitur παῖδες iidem qui φίλοι, *amici familiaresque regum et principum*, qui παῖδες quoque dicuntur Matth. XIV, 2. *Arabes* etiam Abrahamum vocant *Alchalilo*, ut notat I. H. Michaelis in annot. uber. ad 2 Paralip. XX, 7. Hactenus Iacobus per *sapientis Christiani* personam cum vano *fidei* iactatore coram lectoribus disputavit. Iam rursus *lectores* (Vs. 14.) compellat, et summam ante dictorum colligit.

24. Ὁρᾶτε — μόνον) *Videtis igitur, ex factis aliquem argui Deo probatum, non ex fide sola.* Cf. dicta ad Vs. 21. Hoc ergo dicit Apostolus: Ut, qui iam credidit, Deum habeat amicum et fautorem, non sufficere fidem solam, sed, si tempus detur et occasio, requiri et bona opera, qualia praestitit Abrahamus.

25. Ὁμοίως — ἐκβαλοῦσα;) De hac *Rahabe*, et de voce πόρνης vide notata ad Hebr. XI, 31. Quia multi etiam alienigenae in eandem cum Iudaeis credentibus ecclesiam coaluerant, alterum Iacobus exemplum addit, valde ad eorum rem appositum, feminae et extraneae a sanguine Abrahami, et vitae antea mendosae, quales et plerique ex gentibus fuerant. Οὐκ ἐξ ἔργων ἐδικαιώθη; Interrogative. Nonne operibus id consecuta est, ut fidei praemium a Deo referret, sola Dei iussu servata, quum omnes eius populares interficerentur, deinde dignata coniugio viri, eminentis inter suos, Boozi. Fides praecesserat, qua Deum agnoverat unum coeli terraeque Dominum, Ios. II, 1. Hebr. XI, 31.; quod quantum fuerit illis corruptissimis temporibus, ex frequentibus Hebraeorum circa id ipsum lapsibus satis intelligitur. Sed fidei huic addenda censuit opera. Ὑποδεξαμένη τοὺς ἀγγέλους, *quum excepisset exploratores.* Hi enim recte etiam *nuntii* dicuntur, quia in id mittuntur, ut spectata renuntient. Hospitio eos excepit, texitque, reverentia unius Dei, quem ab Hebraeis coli, quemque huius belli auctorem esse Hebraeis intellexerat. Καὶ ἑτέρᾳ ὁδῷ ἐκβαλοῦσα, *et alia via dimittens;* nam ἐκβάλλειν non semper est *vi eiicere*, sed interdum etiam *dimittere*, ut Matth. IX, 23. *Alia via*, quam qua ituri putabantur. Nam

et per murum eos demisit, et devia itinera monstravit, ne ab Hierichuntinis deprehenderentur. Haec omnia non factura, si salutem ex nuda fide sperasset.

26. Ὥσπερ — νεκρά ἐστι) *Corpus sine anima est mortuum*, i. e. functiones hominis convenientes non edit. Πνεῦμα, *Spiritus hominis, animus.* Is ubi abiit, relinquitur corpus νεκρὸν, non edit ex se eos actus, qui humano corpori conveniunt. Sic etiam fides sine operibus mortua est, non producit id, quod producere debebat, continuationem scilicet divini favoris, et consequenter vitam aeternam. Est sicut corpus sine anima.

CAP. III.

1. Μὴ πολλοὶ διδάσκαλοι γίνεσθε) *Ne quivis ambiat munus doctoris*, i. e. Episcopi eminenter sic dicti. Videntur fuisse inter Christianos, qui more Iudaeis consueto se ingererent muneri docendi, et obtrectarent aliis doctoribus, de qua re Paulus saepe in Epistolis queritur. Si epistola haec ad Christianos Antiochenos scripta est, facile caussa huius admonitionis perspicitur. Cf. supra c. I, 19. εἰδότες—ληψόμεθα) *Cogitantes, nos* (olim) *poenam graviorem esse experturos* (graviori iudicio fore obnoxios,) i. e. cogitantes, Deum requirere plura a nobis, qui doctores aliorum sumus, quam ab aliis. In prima persona loquitur Apostolus *per communicationem.* Ipse enim a *suo* docendi munere nullas poenas, sed praemia expectabat. Κρίμα, *poena*, ut Matth. XXIII, 14. Graviores poe-

nas dabunt doctores, quam alii homines, si munere suo male fungantur.

2. Πολλὰ—ἅπαντες) *Omnes enim saepissime peccamus.* Igitur multo maius est errandi periculum, si quis doctoris gerat provinciam. Πολλά, *saepissime*, pro κατὰ τὰ πολλὰ μέρη τοῦ χρόνου. Proverbii instar haec apud varios Scriptores occurrunt, ut *Wetstenius* ostendit. Παίειν, *impingere*, *offendere*, *peccare*, et dictis et factis. εἴ τις — τέλειος ἀνὴρ) *Si quis ne verbo quidem peccaret, is perfectus esset vir.* Eiusmodi vero homines non dari, iam dixerat praecedentibus verbis. Quomodo rectus usus linguae sit coniunctus cum totius vitae innocentia, declarant verba statim sequentia: δυνατὸς—τὸ σῶμα) *Qui omne etiam corpus potest refraenare*, i. e. omnes ad peccandum illecebras reprimere. *Grotius*, quem sequitur *Moldenhawer*, per τὸ σῶμα intelligit *corpus ecclesiae*, ut sit sensus: Is demum aptus est ad regendum totum corpus ecclesiae; plerumque enim fit, ut doctoris linguam sequatur plebs. Τὸ σῶμα interdum esse *corpus ecclesiae*, negari nequit. Hoc loco autem non accipi posse hac significatione, patet ex comm. 6. Nec Iacobus in sequentibus de doctoribus solis loquitur, sed universum de recto usu linguae, progrediens a speciali ad generale. Cohaeret nempe, ut mihi quidem videtur, sermo Apostoli hoc modo. Nemo se temere ingerat muneri docendi; non enim omnes sunt pares. Doctor ecclesiae cavere debet, ne dicat, quod non compertum habeat. Observet etiam tempora, quibus quidque aut dicendum, aut silendum sit. Sed hoc difficile est, quia omnes saepe labimur, praesertim dictis.

Quid igitur h. l. est τὸ σῶμα? *Pricaeus:* Forte *corporis* voce intelligendi hic affectus proprii, (quos, quia in plurimis eorum mens corporis ministerio utitur, metonymice τὰ σώματα vocaveris, quomodo per metaphoram τὰ πάθη χαλιναγωγεῖν Lucianus dixit:) vel, missa eiusmodi figura, reliqua omnia sui corporis membra, (oculos nempe, ne illicitum quodvis inhianter inspiciant; manus, ne quid inconcessum tangant; pedes ne extra orbitas iustitiae se moveant, ceterasque quae supersunt partes,) in officio continebit. Ratio autem videtur esse, quod quum linguae adeo plerumque volubiles improvisique sint impetus, ut vel ipsum mentis, (qua nil velocius,) motum praevertant, reliquorum autem ministeria membrorum saltem locum aliquem arbitrio ac rationi concedant, illius rapidos motus qui cohibere noverit, potestates actusque ceterorum sub imperio haud difficulter habiturus est.

3. Ἰδοὺ, τῶν ἵππων — μετάγομεν) *Ecce, equorum ori frena immittimus, ut nobis obsequantur, et* (sic) *totum eorum corpus circumagimus.* Apposita similitudine ostendit, saepe exigua esse, quae res magnas moveant. Videntur nempe Vs. 3. et 4. referri ad Vs. 5. *Carpzovius* vero comma hoc cum praecedentibus ita iungit: Qui os et linguam suam compescit, is totum corpus gubernare potest, aeque ut, qui saltem os equi frenat, totum corpus equi circumagit. Χαλινὸν ἵππῳ ἐμβάλλειν habet Aelian. Var. Histor. IX, 16. Πρὸς τὸ πείθεσθαι αὐτοὺς ἡμῖν, Vulgatus: *ut consentiant nobis. Ire viam quam monstrat eques* — ut plane in eadem re Horatius locutus. Philo de

Mund. Opif. p. 19. E. τό γε θυμικώτατον ζων ἵππος, ῥαδίως ἄγεται χαλινωθεὶς, ἵνα μὴ σκιρτῶν ἀφηνιάζῃ.

4. Ἰδοὺ, καὶ τὰ πλοῖα — βούληται) Τηλικαῦτα apte dicitur, ad exprimendam navium magnitudinem. Ὑπὸ σκληρῶν ἀνέμων, *a ventis validis*. Pollux I. 9. §. 17. ἄνεμος βίαιος, σκληρός. Difficultatem regimini et hoc addit, quod et fluctibus huc illuc agitantur. Ὅπου ἂν ἡ ὁρμὴ τοῦ εὐθύνοντος βούληται, *quocumque gubernator voluerit*. Ὁρμή hic non est *impetus*, sed *voluntas, consilium*, quo modo Herodianus Lib. IV. usus est, et alii Historici. Εὐθύνοντος, i. e. κυβερνήτου. Hesychius: εὐθύνει, κυβερνᾷ, et εὔθυνος, κυβερνήτης.

5. Οὕτω καὶ—μεγαλαυχεῖ) *Sic etiam lingua parvum quidem est membrum, sed magna praestare potest.* Parvum est membrum lingua, ratione habita corporis humani. Μεγαλαυχεῖν, *magna iactare*, hic autem *magna praestare*, vel bona, vel mala, pro recto vel malo usu linguae. Erasmus: pusillum est membrum, sed turgidum et iactabundum, lateque miscens exitium, et ingentes excitans tumultus, ni freno animi cohibeatur: haec totos populos, tota regna committit. Ἰδοὺ, ὀλίγον — ἀνάπτει) Vox ὕλης, pro lignis, strue, omninoque omnibus, quibus ignis nutritur, commode accipi potest. Maior tamen, si de *silva* accipias, sententia est. In Glossis: ὕλη ἐν τοῖς ὄρεσι, silva, nemus.

6. Καὶ ἡ γλῶσσα — ἀδικίας) sc. ἐστὶ. *Etiam lingua est ignis, cumulus impietatis*, i. e. similis est

igni, caussa innumerorum malorum. Syrus aliter legisse videtur; vertit enim: *Et lingua ignis est, et mundus peccati veluti silva est.* Optime quidem, si spectetur totus contextus. Forsan scripsit Iacobus: Καὶ ἡ γλῶσσα πῦρ, ὁ κόσμος τῆς ἀδικίας ὕλη, nam propter sequens οὕτως facile ὕλη potuit omitti, sicuti contra οὕτως praeter Syrum omittunt Cod. Alex. et 27. ap. Wetst. Vulg. corb. Antioch. Damasc. Isidor. Pelus. Sensus itaque esset: *Lingua similis est igni, malus mundus similis est silvae,* ut mali homines ponerentur vice materiae, quam ignis facile accendit. Ὁ κόσμος τῆς ἀδικίας, *cumulus malorum,* caussa innumerorum malorum. Sic mihi intelligenda esse haec verba videntur. Temerarii nempe improvisique sermones, vel mendacia etiam et convicia suscitant incendia odiorum, dissidiorum, seditionum, bellorum etc. Sic Latini dicere solent: *oceanus malorum. Semlerus* τὸν κόσμον explicat *ornatum,* ut 1 Petr. III, 3. Sirae. VI, 30. ut sit sensus: κοσμεῖ τὴν ἀδικίαν, *res male gestas aut pessimas studiosissime defendit atque exornat.* Alii aliter. οὕτως ἡ γλῶσσα — μέλεσιν ἡμῶν) *Sic inter membra nostra lingua se habet.* Haud raro idem est in membris nostris, quod ignis in silvam immissus. Καθίσταται, *est.* Lingua in membris nostris illud est, quod igni multa vastanti rectissime comparatur. Particulam οὕτως a nonnullis omitti, modo notatum. Mihi vero omnino retinenda videtur, praesertim si forte vox ὕλη in praecedenti membro sit omissa, vel repetenda. Vulgo haec verba vertunt: *Lingua constituta est inter membra nostra.* Sed quid opus erat monere lectores de re pueris nota? Bensonius: *illud in nostris membris muneris habet*

lingua, quod ignis in materiam immissus. Semlerus: similiter ἡ γλῶσσα, ὡς πῦρ, καθίσταται — scilicet isto hominum vitio: non constituta est, sed tamquam ignis in membris nostris grassatur. ἡ σπιλοῦσα ὅλον τὸ σῶμα) *Quae inficit totum corpus*, sicut ignis totam silvam accendit, Vs. 5. Σπιλοῦν non tantum est *maculare*, sed interdum etiam *inficere*. Quemadmodum qui ἐν λόγῳ οὐ πταίει, potest χαλιναγωγῆσαι καὶ ὅλον τὸ σῶμα, Vs. 2. sic contra, qui abutitur lingua, non potest refrenare reliquum corpus, vel corporis membra, quo minus in maiora peccata incidat. Sic e. c. lingua maledica iniuriosum hominem iurgiis implicat, in quibus, si non ad verbera et vibices venitur, ita certe totius corporis faciem dehonestat, interdum etiam morbis deformantibus afficit. Sic *Storrius*. „Si quis libidinosis ac petulantibus indulserit sermonibus, is facillime etiam transibit ad prave facta. Qui puer obscenis verbis adsueverit, is maior natu rebus obscenis operam dabit.“ *Morus.* καὶ φλογίζουσα τὸν τρόχον τῆς γενέσεως) *Et inflammat totum vitae decursum*, suscitando nimirum odiorum, dissidiorum, seditionum incendia, i. e. vitam nostram miserrimam reddit. Τρόχον pronuntiandum esse, non τροχὸν, multi iam observarunt. Γένεσις est *natura*, ut supra c. I. 23. *Cursus naturae*, autem est περίφρασις vitae. Sic Iudith XII, 18. Sap. VII, 5. Haud raro fieri solet, ut homo maledicus, vel effraenis lingua totam secuturam vitam suam reddat tristem et infelicem. Impurae Veneris, quae sine Cerere et Baccho friget, consuetudinem et exitium intelligit *Semlerus*. Lingua talium doctorum, qui promittunt voluptatum omnium libertatem, inflammat omnem cursum γενέσεως,

naturae, quae inest humano corpori, ut nullum amplius modum observet, sed praeceps in omnes voluptates ruat. Sic dixit apud Wetstenium Plutarchus *τῆς γενέσεως ποταμὸν* generationem ex avis, patribus etc. *καὶ φλογιζομένη ὑπὸ τῆς γεέννης*) Grotius: Praesens pro futuro, nisi scribendum *φλογισομένη*, quomodo legisse videtur Syrus. Sicut ipsa incendit; ita et ipsa, nempe cum corpore incendium feret gehennae. Lingua, quae tot iras accendit, et corpus hominis vitamque depasta est, post haec omnia denuo ardebit, inflammata et discruciata a gehenna. Sensus idem qui Matth. V, 22. Vide et Matth. XVIII, 9. Marc. IX, 47. Iacobus sine dubio respexit ad vulgarem Iudaeorum opinionem eam corporis partem, qua homo in hac vita inprimis peccasset, in inferno inprimis puniri, sive igne cruciari. Sapient. XI, 17. *δι' ὧν τις ἁμαρτάνει, διὰ τούτων κολάζεται.* Imagine demta, sensus est: linguae abusus hominem in altera etiam vita infelicem reddit. Pro *ὑπὸ τῆς γεέννης* Syrus habet, בנורא, Arabs באלנאר, i. e. ab igne. Alii per gehennam intelligunt pravas cupiditates et concupiscentias, quibus accenditur quasi lingua. Varias variorum interpretationes breviter enarrat atque diiudicat *Pott*, Excurs. III.

7. Πᾶσα γὰρ φύσις—ἀνθρωπίνῃ) *Omnia animalia, volatilia, reptilia et marina domari possunt, et domita sunt ope humana.* *Φύσις θηρίων* idem est ac *θηρία*, *animalia*. Sic Plato de Leg. IX. *παρέξει νόμος οὐδεὶς κτεῖναι τὸν πατέρα ἢ μητέρα τοὺς εἰς φῶς τὴν ἐκείνου φύσιν* (eum) *ἀγαγόντας*. Vide Io. Conr. Schwarzii Commentar. Linguae Gr. voce *φύσις*, ubi plura invenies exempla. Sic etiam *ἡ φύσις ἀνθρω-*

πίνη est *homo*. Iamblichus vit. Pythag. c. 3. καὶ μεῖζόν τι ἢ κατὰ ἀνθρωπίνην φύσιν ἐνιδόντες τῇ τοῦ παιδὸς ἐυκοσμίᾳ. Dicit autem Iacobus δαμάζεται καὶ δεδάμασται, ut ostendat, perpetuum hoc esse, et ut nunc sit, ita factum semper. Hesychius: δαμάζεται, ὑποτάσσεται, *subigitur*, *domatur*, ita ut non possit nocere. Latiore significatu sumtum verbum δαμάζειν porrigitur ad omnia animalia noxia, quae cornu, dentibus, calcibus, aut veneno nocent; significatque omnes artes, quibus homines utuntur, ad vitanda et coërcenda haec animalia; dum capiuntur, armisque suis spoliantur, aut vulnera ab iis accepta, vel venenati morsus arte humana curantur.

8. Τὴν δὲ γλῶσσαν — δαμάσαι) i. e. Difficilius est linguam suam, quam animalia fera et venenata domare. Loquitur de hominibus sibi relictis. Grotius intelligit *linguam alienam*. Hanc nemo domare potest, sicut animalia fera mansuefaciamus. Forte ad utrumque respicitur. ἀκατάσχετον — θανατηφόρου) Sc. ἐστὶ. Lingua est *malum, quod coerceri nequit, plena est veneno lethifero. Aerger als ein unbändiges Ungeheuer, schädlicher als tödliches Gift.* Bengelius: Tum maxime est malum cohiberi nescium, *quum* turget veneno lethali. Θανατηφόρου, i. e. adeo mortiferi, ut omnia remedia superet. De susurratrice lingua praecipue loquitur. Linguam hominis garruli, loquacis, litigiosi, maledici, obtrectatoris domare nemo potest. Videtur Apostolus respicere inprimis ad doctores, Vs. 1. qui invectivis in alios Christianos, quos suae partis non esse, sed aliis magistris operam dare viderent, funestissima dissidia concitabant.

9. Ἐν αὐτῇ—γεγονότας) Ἐν, *per*. Εὐλογεῖν, *celebrare, laudare*. Per communicationem Iacobus loquitur in prima persona; intelligit autem multos, inprimis doctores impios. Isti impietatis magistri volebant videri doctores Christiani, ideoque Deum omnino sermonibus suis celebrabant; sed imprecationibus aliorum satis ostendebant, se non esse Dei amantes. Quomodo enim Deum ex animo veneretur is, qui hominibus omnium in his terris creaturarum praestantissimis imprecatur? Καὶ πατέρα, ut supra I, 27. Καταρᾶσθαι, אָרַר, proprie est *diris devovere*, deinde etiam quolibet modo *maledicere*. Pulcre haec conveniunt cum Aesopi dicto: *Linguam et optimam esse et pessimam*. Et Hebraei dicunt: *Vita et mors in manu linguae*. Γεγονότας, i. e. πεποιημένους, Gen. I, 26. 27.

10. Ἐκ τοῦ αὐτοῦ—γίνεσθαι) Idem membrum fungitur rei optimae et pessimae ministerio. Οὐ χρή, meiosis, pro: *nefas est*. Hesych. οὐ δεῖ, *non convenit, non oportet ita fieri*. Maledictis contaminata lingua preces fundere et laudes canere Deo gratas nulla ratione poterit. Miseratione dignum, omnium nobilissimam creaturam sibi ita esse contrariam, ut in tota rerum natura nihil simile reperire liceat.

11. Μήτι—τὸ πικρὸν;) Eodem nempe tempore, et ex eodem cavo. Nam ex vicinis cavis fit interdum, ut hinc dulcis fluat aqua, inde amara aut salsa, ut Physici notant. Βρύει, *emittit*. In Glossario: βρύω, *scaturio*.

12. Μὴ δύναται — σῦκα;) Similis sententia Matth. VII, 16. οὕτως οὐδεμία — ἅλμυρον) Alii rectius legunt: οὔ-

πως οὐδὲ ἁλυκὸν γλυκὺ ποιῆσαι ὕδωρ, sc. *δύναται*, *sic nec fons salis potest proferre aquam dulcem.* Ἁλυκὸν pro *πηγὴ ἁλυκή*. *Vulgata*, quacum consentiunt Codices nonnulli, Copt. corb. Cyr. *Sic neque salsa dulcem potest facere aquam.* Mare non edit de se aquas dulces.

13. Τίς σοφὸς—ὑμῖν;) Alii legunt: *εἴ τις σοφὸς* etc. sensu eodem. *Si quis sibi videtur esse sapiens et docendo aptus.* Videtur enim *σοφὸς* dici, qui multa novit; *ἐπιστήμων*, qui etiam alios instituere potest. Pertinet sermo ad eos, qui doctorum ministrorumque provinciam ultro arripuerant, atque in plures quasi societates seiunxerant christianae religionis cultores. *δειξάτω — σοφίας*) *is recta vita se sapientem demonstret esse, idque per conditam lenitate sapientiam*, i. e. *in convictu et conversatione producat opera, quae mitem sapientiam testentur.* Ἀναστροφὴ, *conversatio.* Ἐν *πραΰτητι σοφίας*, i. e. *ἐν σοφίᾳ πραείᾳ*, ut hic recte explicat Syrus. Ἐν autem valet *σὺν*. Mansuetudo cum sapientia coniuncta esse debet.

14. Εἰ δὲ — *καρδίᾳ ὑμῶν*) *Si autem ad invidiam amarulentam, et contentionem estis proni.* Ζῆλος, *invidia, livor, odium.* Hesychius: *πικρὸν, χαλεπὸν, ἀργαλεὸν. μὴ κατακαυχᾶσθε — ἀληθείας;*) *Nonne falso gloriamini, contra veritatem vobis arrogando sapientis titulum?* Μὴ, interrogative. Est autem pleonasmus in illo *μὴ ψεύδεσθε κατὰ τῆς ἀληθείας*. Similis locutio Rom. IX, 1. „Maxime adducuntur plerique, ut eos iustitiae capiat oblivio, cum in

imperiorum, honorum, gloriae cupiditatem inciderint. — Nam quidquid eiusmodi est in quo non possint plures excellere, in eo fit plerumque tanta contentio, ut difficillimum sit sanctam servare societatem." *Cicero.*

15. Οὐκ ἔστιν — κατερχομένη) *Non haec est illa vera sapientia, quae a Deo sit data;* non qualis a Deo per doctrinam religionis christianae animis instillatur. Ἄνωθεν, *coelitus*, i. e. a Deo. ἀλλ' ἐπίγειος — δαιμονιώδης) *sed terrena, animalis, diabolica.* Ἐπίγειος, non quaerens coelestia, sed terrena, conveniens curvis in terras animis. ψυχική, *ex malis cupiditatibus et concupiscentiis profecta.* Cf. de hac voce 1 Cor. II, 14. Δαιμονιώδης, *malis daemonibus propria*, impurum genium magis imitans et referens, quam divinae naturae candorem, quae abusive vocatur sapientia, re autem vera est malus dolus, qualem adhibuit Diabolus, quum Protoplastos ad peccandum induceret.

16. Ὅπου γὰρ — πρᾶγμα) *Nam ubi invidia est et rixandi studium, ibi dissensiones et mala quaevis enascuntur.* Ἀκαταστασία, tumultus, sive seditiones, ut Luc. XXI, 9. 2 Cor. VI, 5. XII, 20. Πᾶν φαῦλον πρᾶγμα, hyperbole. Vult enim dicere, ex invidia, et quae eam sequitur acerba contentione, plurima nasci mala.

17. Ἡ δὲ ἄνωθεν — ἀνυπόκριτος) *Coelestis autem sapientia primum est pura, deinde pacis studiosa, modesta, docilis, beneficentia* et bene factis *plena, nullius discrimen habens, non simulata.* Abstracta

posita sunt pro concretis; quasi scriptum esset: *οἱ ἄνωθεν σοφοὶ εἰσὶν ἁγνοὶ κ. τ. λ.* et describitur indoles doctorum, qui vere sunt sapientes. Horum igitur sapientia est *ἁγνὴ*, *pura*, nempe a terrestribus illis studiis, *frey von bösen Absichten.* 1 Io. III, 3. *Εἰρηνικὴ*, *pacis studiosa*, non contentiosa, ut illa, de qua Vs. 15. 16. *Ἐπιεικὴς*, *aequa*, *lenis*, omnia, quantum fieri potest, in meliorem partem interpretans. *Εὐπειθὴς*, *obsequiosa*, docilis, aliorum voluntati facile se accommodans pacis caussa, ubi id fieri recte possit. *Μεστὴ ἐλέους*, *plena beneficentiae;* sic enim sumi *ἔλεος*, saepe iam diximus. *Καρποὶ* autem h. l. sunt *bona opera*, Matth. III, 8. Doctor igitur vere sapiens nonnisi amoris et benevolentiae documenta aliis exhibet. *Ἀδιάκριτος*, *nullius*, sive Iudaei sive alieni *discrimen habens.* *Ἀνυπόκριτος*, *haud simulata*, non ut mos est ambitionis, aliud clausum in pectore, aliud promtum in lingua habens, ut est apud *Sallustium.*

18. *Καρπὸς δὲ — εἰρήνην*) *Fructus autem probitatis saluberrimus ab iis seritur, qui pacem colunt.* i. e. ex pacis studio quod colunt, multae aliae virtutes, tanquam fructus proveniunt. Ut nempe omne vitiorum et malorum genus ex invidia et contentione nascitur, sic contra ex pacis studio multae aliae virtutes nascuntur, et multa commoda. *Δικαιοσύνη* hic generaliter sumitur, ita ut omnia comprehendat, quae nostri sunt officii, ut saepe. *Ἐν εἰρήνῃ*, *pacis studio*, *Grotius* hic putat esse *ἀνταναπλασιν*, ut *εἰρήνης* vox sumatur primum pro *rebus prosperis*, (*ἐν εἰρήνῃ* pro *εἰς εἰρήνην*,) deinde pro *concordia.* Comparatio *sationis*

in hac re frequens, ut 2 Cor. IX, 6. Gal. VI, 7. 8. Sic Latini dicunt: *Uti seres, ita metes.* Deinde ποιεῖν εἰρήνην est *dare operam paci*, quomodo ποιεῖν δικαιοσύνην, 1 Io. II, 29. III, 7.

CAP. IV.

1. Πόθεν—ἐν ὑμῖν) *Unde lites et iurgia inter vos?* Errant, qui rebellionis adversus Romanos tirocinia quaedam hic inveniunt; motus enim Iudaeorum adversus Romanos post scriptam hanc epistolam exorti sunt. Designantur potius lites et dissidia familiarum, sectarum, aut partium in eadem civitate, sine externo armorum strepitu. Noesselt haec refert ad eos, qui se tanquam doctores insinuassent; talia enim quaesivisse et lucrum captasse hos homines Iudaici ingenii, saepenumero Paulus conqueritur, ut Gal. VI, 12. Phil. II, 21. 1 Tim. VI, 3—10. Vid. etiam *Pott* ad h. l. οὐκ ἐντεῦθεν — μέλεσιν ὑμῶν;) *Nonne hinc, quod malae cupiditates illae animos vestros vexant?* Plenior formula esset: οὐχὶ ἐντεῦθεν, ὅτι στρατεύονται αἱ ἡδοναὶ ὑμῶν ἐν τ. μ. ὑμ. Post οὐκ ἐντεῦθεν nonnulli ponunt signum interrogationis, et volunt intelligi *ex hoc terrarum orbe.* Refertur autem rectius ad sequentia. *Voluptates*, metonymice appellat cupiditates rerum terrenarum. Velut perversi illi doctores (c. III, 1.) quaerebant magnam existimationem et auctoritatem, dona praesertim et munera divitum, quorum etiam scelestae vitae ipsa doctrinae conformatione patrocinari haud erubescebant. Sed et ii, qui pravos magistros sequebantur, *voluptatibus* ducebantur. Ἐκ τῶν ἡδονῶν —

μέλεσιν ὑμῶν, *ex cupiditatibus illis malis, quae animos vestros vexant, et turbant.* Cf. 1 Petr. II, 11. Rom. VI, 12. 13. VII, 23. *Maximus Tyrius* diss. 36. bellum illud internum in homine vocat πόλεμον οὐ δημόσιον, ἀλλ' ἰδιωτικὸν, οὐ σιδηροφορούντα, οὐδὲ πυρφορούντα — ἀλλὰ γυμνὸν ὅπλων, ἀσίδηρον, ἄπυρον, λυμαινόμενον τὴν ψυχὴν, καὶ αὐτὴν πολιορκοῦντα. *Cicero* de finibus I. *Ex cupiditatibus odia, dissidia, discordiae, seditiones, bella nascuntur.* Egregie dicit Iacobus στρατευομένων, quia bella illa externa non essent, nisi prius fuisset internum, cupiditatum scilicet istarum cum recta sanaque ratione.

2. Ἐπιθυμεῖτε, καὶ οὐκ ἔχετε) *Concupiscitis, nec obtinetis,* sc. doctoris munus, existimationem, et id genus alia. *Semlerus* et hic et in praecedentibus locis Iudaizantium studia designari existimat. Conferre iubet Epist. Iudae Vs. 4. et 2 Petr. II, 19., ubi Petrus loquitur de hominibus, qui promittunt *libertatem* a iugo et dominio gentium. Iam *Whitbyus* designabat, hos expetiisse continuis votis immunitatem a tributis, et imperium in alias gentes. Ingeniosa sane sunt haec, et quae Vir summus de Iudaizantium studiis, ipsum communis religionis consilium evertentibus, ad illustrandam Iacobi epistolam affert. Possunt tamen plurima huius Epistolae loca etiam sine hac hypothesi intelligi. Et eiusmodi homines quales hic describuntur, ubivis terrarum reperias. φονεύετε — ἐπιτυχεῖν) Quum constantissime omnes codices, etiam veterum translationum retineant φονεύετε, sine iusta ratione *Erasmus, Beza* et alii eius in locum sufficiunt φθονεῖτε. Verbum φονεύειν h. l. vel *proprie* est *occidere*, si

quis e. g. opum cupiditate alium occidit, aut veneno e medio tollit, vel de *animo ad caedes parato* potest intelligi. Ζηλοῦτε, *invidetis*. Καὶ οὐ δύνασθε ἐπιτυχεῖν, nempe id quod optatis, et studiose quaeritis. *Semlerus:* „Haec sententia, *non potestis adipisci*, eius videtur esse magnitudinis, ut res mediocres aut exiles vix cogitare possimus. Coniunxerim igitur istud propositum, abiiciendae potestatis Romanae; quia et *Petrus*, qui simillimas multas sententias repetit, graviter admonuit de subiectione et obedientia civili magistratui praestanda, 1 Epist. II, 13. seqq.“ μάχεσθε—αἰτεῖσθαι ὑμᾶς) Μάχεσθαι et πολεμεῖν etiam de privatis litibus et turbis occurrit apud *Homerum*, aliosque Scriptores. Οὐκ ἔχετε δὲ, sc. illud, quod tam vehementer optatis. Διὰ τὸ μὴ αἰτεῖσθαι ὑμᾶς, quod non petitis vera bona a Deo; quod rerum humanarum dominum quasi contemnitis. Itaque iubet Apostolus Vs. 7., Deo ut se et res suas omnino subiiciant, et variam spem et superbiam fugiant. Cf. Matth. VI, 24. sqq. Fons igitur votorum vanorum erat negligentia Dei, et dissolutio animi, in varia desideria ruentis.

3. Αἰτεῖτε—διαπανήσητε) *Neque, etiamsi precemini, aliquid impetratis, quum id malo agatis consilio, ut voluptatibus vestris* (bona expetita) *impendere possitis.* Ad alios oratio convertitur, qui non erant adeo profani et impii, ac isti alii. Precabantur quidem, sed pravo animo, et improbo proposito, non ut habentes necessaria Deum colerent, sed ut haberent, quae in voluptates impenderent.

4. Μοιχοὶ καὶ μοιχαλίδες) Haec verba nonnulli olim adiunxerunt versui praecedenti, quum sit novi sermonis initium. Voces *adulteri* et *adulterae* hic sunt sumendae in sensu figurato, de iis qui Deo uni non adhaerent, nec ei per omnia parere cupiunt, sed partim Deo, partim mundo se accommodant; hi enim similes sunt iis coniugibus, qui suo, vel sua coniuge non contenti, externos amores admiscent. Designantur haud dubie homines, qui nec Christiani iam nec Iudaei erant, propter quorum infamiam christiana religio in infamiam adducebatur, 2 Petr. II, 1. 2. Nec tamen est dubitandum, praecipites voluptates hic simul tangi. οὐκ οἴδατε — τοῦ θεοῦ ἐστιν;) *Annon scitis studium pravarum rerum inimicum esse Deo?* Ὁ κόσμος h. l. non significat res creatas, sed perversitatem, malum morale. Huius amor et studium ἔχθρα τοῦ Θεοῦ ἐστιν, adversatur Deo, eiusque consiliis, institutis et praescriptis. Ὃς ἂν οὖν βουληθῇ — καθίσταται) *Qui igitur libidini perversae studet, is contrarius est Deo*, agit plane contraria consiliis, institutis et praescriptis Dei.

5. Ἢ δοκεῖτε — κατῴκησεν ἐν ἡμῖν;) Difficillimus sane locus, quem *Semlerus* παραφράζει ita: „Nec enim eo vos iam delapsos putarim, ut haec non ignoretis quidem, sed existimetis, inanem esse istam scripturae admonitionem, quae de invidia dixit, spiritum quasi aliquem invidiae, qui in vobis domicilium sibi fecerit, suscitare ista terrestria desideria.“ Κενῶς, *sine ratione.* Quaenam vero sit ἡ γραφή, ad quam Iacobus hic respicit, hoc quidem difficile est dictu. Loca citantur varia ab interpretibus, ad quorum unum Iacobum

putant respexisse, e. g. Gen. IV, 3. 5. VIII, 21. Ezech. XXIII, 25. Num. XI, 29. Proverb. XXI, 10. Cantic. VIII, 6. Eccles. IV, 4. Alii Iacobi hanc sententiam a librariis iam olim falso descriptam et depravatam fuisse existimant. *Zachariae: in libris sacris haec doctrina occurrit, dona divina* (πνεῦμα,) *pugnare adversus invidiam* etc. ut Gal. V, 17. similis sententia extat; quam explicationem iam *Cocceius* attulerat. *Wetstenius* putat ad Sap. VI, 11. 23. et alia loca respici, vultque πνεῦμα idem esse ac σοφίαν, desiderandum esse hunc spiritum sapientiae. Sed phrasis ἡ γραφὴ λέγει vix potest componi cum tam difficili allegatione. *Semlerus* statuit, Iacobum respicere ad librum *apocryphum*, his lectoribus, Iudaeis graecis, satis notum, quod eo minus mirum, quod et *Petrus* in secunda Epistola, et *Iudas* affert locum ex libro *Henochi*, de angelis. Verba igitur πρὸς φθόνον iungit Semlerus cum illis: ἡ γραφὴ λέγει, *scriptura dicit de invidia*, describenda teterrimae invidiae caussa. Iam sequitur illud, quod illa scriptura de *invidia* dicit: *ille spiritus* (invidiae) qui in vobis habitat, impetu perpetuo fertur. Respici putat ad testamentum *Simeonis* num. 3. ὁ φθόνος κυριεύει πάσης διανοίας τοῦ ἀνθρώπου, nec sinit eum edere, bibere, aut facere aliquid bonum; semper ὑποβάλλει, (suggerit) *occidere* istum, cui invidetur — cognovi, ὅτι ἡ λύσις τοῦ φθόνου διὰ φόβου θεοῦ γίνεται. Si quis ad Dominum confugiat, ἀποτρέχει τὸ πονηρὸν πνεῦμα (sc. τοῦ φθόνου) ἀπ' αὐτοῦ. Ergo in homine invido *habitavit* hic spiritus. Taceo alia loca similia. Secundum hanc interpretationem pro ἐν ἡμῖν legendum esset ἐν ὑμῖν, ut non solum legit Vul-

gata, sed et aethiopica. Christiani plerique librarii scripserunt ἐν ἡμῖν, *in nobis*, quia intelligebant de *spiritu sancto*, qui in Pauli Epistolis dicitur *habitare* in Christianis, talibus autem hominibus, quos hic Iacobus describit, *adulteris* etc. putabant non convenire *spiritum sanctum*, tribuerunt ergo Apostolis et sociis. Hactenus *Semlerus*. Ingeniosa omnino est haec interpretatio; sed nec cum praecedentibus, nec cum sequentibus bene cohaeret. Non contemnenda videtur *Dan. Heinsii* sententia, quam miror recentioribus ne mentione quidem dignam visam fuisse. Est nempe φθόνος, si illum audimus, idem ac Hebraeorum קִנְאָה, et quidem קִנְאַת יְהוָה, φθόνος Κυρίου, sive παροργισμὸς Κυρίου, ut Ps. CVI, 16., ubi pro יְהוָה, quod est πρὸς φθόνον ἤγαγον, in Hebraeo. Ἐπιποθεῖν, pro ἐπιθυμεῖν. Sensus igitur esset: *an ergo ignoratis, passim a Scriptura dici: ὅτι τὸ πνεῦμα ὃ ἐν ἀνθρώποις κατῴκησε, πρὸς φθόνον Κυρίου ἐπιθυμεῖ; spiritum hominis, (aut qui habitat in homine,) adversus Deum, et cum indignatione eius, cupiditates suas exercere? Pott* verba μείζονα δὲ δίδωσι χάριν cum hoc Vs. 5. coniungit, totumque comma ita vertit: *invidiae repugnat spiritus divinus nobis concessus, ita ut potius gratiam atque humanitatem erga alios nobis commendet.* Effatum Prov. III, 34. hoc commate memoriter, Vs. 6. autem disertis scripturae sacrae verbis ab Apostolo expressum esse putat. Πρὸς φθόνον ἐπιποθεῖ, i. e. ἐπιθυμεῖ πρὸς φθόνον, *contra invidiam pugnat* τὸ πνεῦμα, *Spiritus sanctus.* Μείζονα δὲ δίδωσι χάριν, i. e. πολὺ μᾶλλον δὲ δίδωσι (ἡμῖν,) χάριν, *gratiam in*

agendo et dicendo, *humanitatem*. Quanquam vero verba: μείζονα δὲ δίδωσι χάριν, recte, ut mihi quidem videtur, ad Vs. 5. referuntur, vix tamen χάρις de humanitate et in agendo gratia h. l. intelligi potest. Repugnat enim totius loci contextus et consilium, inprimis vero comma 6., ubi verba: Deus δίδωσι χάριν longe alium sensum habent. Praefero igitur *Storrii* expositionem: *Maiora vero Deus beneficia dat*, maiora quam quae ὁ κόσμος vobis dat beneficia Deus vobis exhibebit, si eius amici (Vs. 4.) esse malueritis. Similis locus est in Testamento *Simeonis* num. 4., ubi dicitur: Φυλάξατε οὖν ἀπὸ παντὸς ζήλου καὶ Φθόνου, καὶ πορεύεσθε ἐν ἁπλότητι ψυχῆς, καὶ ἐν ἀγαθῇ καρδίᾳ, ἵνα δώῃ καὶ ὑμῖν ὁ Θεὸς χάριν, καὶ δόξαν καὶ εὐλογίαν. Similiter num. 5. καὶ ἔσεσθε εὑρίσκοντες χάριν ἐνάκιον Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων. Addo, Syrum etiam habere: *Gratiam autem ampliorem dedit nobis Dominus noster*. Aliorum interpretum rationes recenset atque diiudicat Pott, Excurs. IV. in epist. Iacobi.

6. Διὸ λέγει—δίδωσι χάριν) *Propterea dicit* Scriptura: *Deus elatis renititur*, *submittentibus autem se beneficus est*. Διὸ λέγει, sc. ἡ γραφή. Locus extat Prov. III, 34. *Superbos* intelligo in universum eos, quos supra com. 4. Iacobus vocaverat φίλους τοῦ κόσμου, et ἐχθροὺς τοῦ Θεοῦ, qui voluntati Dei adversantur, *qui se efferunt*, magis suae opinionis libidinisque impetum sequentes, quam vocem et legem Dei in appetitione examinanda respicientes, nullam legem sibi latam ratos, *non obtemperantes*. ὑπερήφανοι, οἱ κατὰ τῶν μὴ ἐχόντων ἐφ' οἷς ἔχουσι φυσώμενοι. Oecum.

Eiusdem indolis sunt, qua invidiosi: nam qui superbit in tenuiores, invidebit hominibus magis fortunatis et opulentis. His Deus resistit, eorumque conatus et consilia adeo non prosperat, ut potius irrita reddat, iisque talem se praebeat, quales ipsi se adversus eum gesserant, resistentibus sibi vicissim resistat. Ταπεινοὶ autem sunt, qui Deo se submittunt, qui a Deo datam sibi normam norunt, eamque non spernunt, sed appetitionis suae impetum ei subiiciunt, ad eius decreta coercent, *obedientes*. His igitur *benignus et beneficus est Deus*.

7. Ὑποτάγητε οὖν τῷ θεῷ) Passivum pro reciproco, i. e. *subiicite vos ipsos Deo*, nempe pio obsequio, ut non amplius praeferatis favori Dei τὴν φιλίαν τοῦ κόσμου. Bene *Morus* (in Progr. *de homine submittente se Deo*, pag. 14.) per ambages circumlocutionis locum sic exprimit: Subdite Deo vestram de appetendo, et de modis appetita consequendi opinationem, ipsamque cupiditatem; nihil quaerite, quod ille quaeri non vult, nihil eo modo quo ille non vult, nihil ad eam usque mensuram, ad quam usque nos provehi non vult. Haec expositio contextui videtur esse convenientior ea, quam *Semlerus* pro indubie vera et aptissima habet. Intelligit nempe Iudaeos et Iudaizantes, qui solebant aversari imperium Romanorum, quos admoneri a Iacobo, Paulo, Petro, Iuda, existimat, opus esse, ut Romanis, et *sic Deo*, se subiiciant, abiiciantque ista consilia rebellionum continuarum. ἀντίστητε—ἀφ' ὑμῶν) *Resistite Diabolo*, Dei adversario pessimo, a vera pietate et in Deum obsequio avertere vos tentanti; *et aufugiet a vobis*, nihil nocere vobis poterit.

Resistere diabolo hic videtur simpliciter significare, *resistere malo;* nam ὁ διάβολος, quid hoc loco est aliud, nisi ἡ φιλία τοῦ κόσμου; Vs. 4. Nec est alius modus resistendi diabolo, quam qui est resistendi vitiis et hominibus pravis per preces, doctrinam christianam, attentionem.

8. Ἐγγίσατε—ὑμῖν) *Propius ad Deum accedite, tum ille vobis erit propior,* i. e. *Deum pio obsequio colite, et propitius erit vobis.* Ἐγγίζειν τινί, sese applicare ad aliquem, ad virtutem, amicitiam etc.; ἐγγίζειν Θεῷ, קָרַב, est *Deum colere, adorare,* phrasi desumta a cultu templi. Deus contra dicitur *ad nos venire,* quum nos adiuvat, et beneficiis afficit. καθαρίσατε χεῖρας ἁμαρτωλοί) i. e. *a sceleribus et vitiis abstinete.* Dicuntur illi *polluere manus,* (per Hebraismum,) qui dediti sunt impuris, indignis, improbis factis, studiis, operibus. *Purgant manus,* qui ab his abstinent. καὶ ἁγνίσατε καρδίας, δίψυχοι) *Mentis puritati date operam, qui adhuc duplici fuistis animo,* inter Iudaeos et Christianos quasi medii. ἁγνίσατε. Non satis est malefactis abstinere; animum quoque ita curare oportet, ut nihil turpiter cogitemus. Ergo lustrandus est animus, castus reddendus a libidinibus, integer consiliis ac studiis. Δίψυχοι vel sunt ii, qui iam nec Iudaei, nec veri Christiani erant, vel in universum ii, qui supra Vs. 4. audiebant μοιχοί, qui quamvis religiosi videri vellent (I, 26.), Dei tamen amicitiae non sincere se devoverant, sed cupiditatum illecebris unice capiebantur.

9. Ταλαιπωρήσατε—κλαύσατε) *Miseros vos agnoscite, lugete et plorate.* Pluribus phrasibus utitur Ia-

cobus, ad poenitentiam et tristitiam de peccatis eo studiosius commendandam. Haec enim *animi affectio* spectatur ut caput rei. Luctus et ploratus tanquam adiuncta resipiscentiae sunt consideranda, nec tam haec externa, quam potius interni sensus urgentur. Ταλαιπωρήσατε, *agnoscite vestram miseriam.* Cogitate, quam vana et caduca sit illa felicitas, qua adhuc gavisi estis, atque vestram in mediis fortunis humilitatem et miseriam cum profundo doloris sensu agnoscite. ὁ γέλως — κατήφειαν) *Risus vester in luctum vertatur, et gaudium in moerorem.* Poeniteat et pudeat vos pravorum studiorum et flagitiorum, quibus hactenus delectati estis. Quantum antea risitis, et gavisi estis, ubi ultionem vobis de inimicis sumere, res eorum rapere, et cupiditatibus vestris indulgere licuit, tantum nunc suscipite dolorem ac moestitiam. Κατήφεια talis est tristitia ac moestitia, quae vultu demisso se prodit. „His commatibus 8. et 9. Apostolus eos, qui per fraudem et noxam emergere conantur, tantoque celsiores, ampliores, honestiores, beatiores se esse putant, quanto magis alios circa se oppresserint, despoliaverint atque in pulverem redegerint, aequo et pari cum ceteris iure vivere nolentes, excellentiorem autem quemque invidia onerantes, contraria denique omnia facientes praecepto et exemplo Christi Matth. XVIII, 25 — 28., immemores ad communitatem natos esse homines, istos gravissime increpat atque monet, ut poeniteat sui, ut cernant et sentiant, quam longe absint ab omni vera magnitudine ac dignitate; quanto meliores et honestiores re et veritate illi quos despiciant, ut animos et mores prorsus mutent.“ Schulthessius, p. 157.

10. Ταπεινώθητε — ὑψώσει ὑμᾶς) Agnoscite tenuitatem vestram coram Domino, et Deus sui favoris vos reddet participes. Cf. supra Vs. 7. *Humiliari coram Deo* est agnoscere, te inferiorem esse Deo, te totum a Deo pendere, obstrictum esse eius obsequio, et propter denegatum obsequium reum esse poenae. Haec agnitio coniuncta esse debet cum animi proposito, vitam et studia emendandi. Hos tales Deum *exaltat*, eos suo favore dignos habet, et felices reddit.

11. Μὴ καταλαλεῖτε ἀλλήλων) *Ne rodite vos invicem, fratres.* Καταλαλεῖν, *criminari; obtrectare, scelerum aliquem reum postulare.* Doctores illi impii, de quibus supra c. III, 9. s. dictum est, cum asseclis, sine dubio lacerabant meliores Christianos. Fortassis etiam Iudaizantes aliis Christianis, legum Mosaicarum auctoritatem non amplius agnoscentibus detrahebant, eosque criminabantur. ὁ καταλαλῶν — κρίνει νόμον) *Qui alterum obtrectat et damnat*, nempe ob eas res, quas Christus in Evangelio non damnat, qualia sunt observationes dierum, ciborum et similia, *ille vituperat et damnat ipsam legem nobis Christianis propriam*, religionem Christianam, quam ut imperfectam spernit. Καταλαλεῖ νόμου, sc. ἡμῶν, aut τοῦ Χριστοῦ. Est enim intelligendus νόμος τέλειος τῆς ἐλευθερίας, c. I, 25. Κρίνειν τὸν νόμον Christi, est doctrinam Christi pro imperfecta declarare, Iudaismum porro necessarium iudicare, atque ideo contradicere aliis doctoribus. Sed potest etiam per νόμον h. l. intelligi lex illa principalis, de qua c. II, 8. In hac enim lege continetur etiam interdictum obtrectationum, 1 Petr. II, 1. 2 Cor. XII, 20. Damnat vero illam le-

gem, quisquis impune sibi licere putat, ut in alterum maledicta conferat. *εἰ δὲ νόμου — κριτὴς*) *Sin autem doctrinam Christi damnas ut imperfectam, iudicium tibi sumis in legem, cui obsequi debueras. Es iudex legis*, i. e. *conaris*, *affectas esse* iudex legis, de sanctitate et necessitate eius tuo arbitratu statuens.

12. *Εἷς ἐστιν — ἀπολέσαι*) Post *νομοθέτης* addunt *καὶ κριτής* Cod. Al. et plerique iuniores codices, Syr. utr. Erp. Copt. Aeth. Vulg. corb. floriac. Cyr. Antioch. Euthal. Cassiodor. Sensus est: Nos enim Christiani unum tantum auctorem legis nostrae agnoscimus, Deum; huius unius tanta est auctoritas, ut pronuntiandi potestatem habeat de hominum salute atque interitu. *Εἷς ἐστιν ὁ νομοθέτης*, *Deus*, vel *Christus*; nam ad rem et sensum nihil interest. *Δυνάμενος* hic *ius potestatemque* significat, ut Act. IV, 20. 2 Cor. XIII, 8. Christus iudex omnium a Deo datus, ius potestatemque habet et servandi nos et perdendi. Illi igitur integrum relinquendum est iudicium de rebus dubiis. *σὺ τίς εἶ — ἕτερον;*) Quem te facis? nonne homo es? neque legis auctor, nempe iudex animorum a Deo constitutus? Rom. XIV, 4.

13. *Ἄγε νῦν — κερδήσομεν*) Codices quidam exhibent *πορευσώμεθα — ποιήσωμεν — ἐμπορευσώμεθα, καὶ κερδήσωμεν*, quum alii tantum *indicative* legant. Sensus fere est idem; Indicativus tamen videtur praeferendus. Transit Iacobus ad aliud argumentum, quod variis parenthesibus interruptum, pertexitur tandem c. V, 1. sqq. Reprehendit nempe studium immodicum rebus humanis gerendis impensum,

quo mercatores et negotiorum gestores feruntur, tanquam satis certi de vitae suae longo adhuc itinere, nec se et omnia sua a Deo pendere cogitant; nam tales etiam in classem eorum referendi sunt, qui Deo se non submittunt, Vs, 6. 7. Ἄγε νῦν, particula adhortandi, referenda est ad c. V, 1. sqq., ubi eadem repetitur. Verbis, *qui dicitis, hodie aut cras proficiscamur* etc. Inest severa reprehensio, et amara quasi irrisio, qua Iacobus vanos iactatores dehortatur, ne gloriari et contra Deum se efferre (Vs. 6.) pergant. Inter Iudaeos conversos, ad quos Iacobus scripsit, in emporiis celebrioribus dissipatos, erant negotiatores opulenti, praesumtuosi et fastuosi, qui Tyrum, Alexandriam, Ephesum, Romam mercabantur. *Semlero* Apostolus videtur reprehendere contemtum quasi publicum christianae doctrinae, quae sensim hac illa in urbe solebat propagari. Hi, quos Iacobus iam alloquitur Christiani, ex Viri docti sententia nec Iudaizantibus, nec probioribus doctoribus dabant operam, sed tempus et otium in alias operas consumebant. Excusabant se, dicentes: Iam iter suscipimus *Romam*, *Alexandriam*, *Tyrum*, *Antiochiam*, *Ephesum* etc. Sed duriorem esse hanc explicationem nemo non videt. Ἐνιαυτὸν ἕνα, *annum unum* nominat, loco temporis incerti, longioris.

14. Οἵτινες – ἀΰριον) Qui tamen minime nostis, quid crastino die sit eventurum; quid pariturus sit dies crastinus, ut loquitur *Salomon* Proverb. XXVII, 1. Seneca: *Nemo tam divos habuit faventes, Crastinum ut possit sibi polliceri.* ποία γὰρ ἡ ζωὴ ὑμῶν) *Quam caduca res est vita haec vestra!* Quasi diceret, quum viae tantillum emetiendum supersit, cur

tantum viatici concupiscitis? Seneca Epist. 101. *Navigationes longas, et pererratis littoribus alienis seros in patriam reditus proponimus — quum interim ad latus mors est.* ἀτμὶς — ἀφανιζομένη) *Vapor profecto est, exiguum adparens, tum autem evanescens.* Γὰρ h. l. valet *profecto.* Cf. Kypke ad Act. XVI, 37. Ἀτμὶς pro ὥσπερ ἀτμὶς. Vapor, aut fumus pauxillum ad tempus videtur, deinde disparet. Sic et *umbrae* vitam humanam conferunt Hebraei, Ps. CII, 12. Iob. VIII, 9. 1 Paral. XXIX, 15. Plin. Lib. III, Epist. 7. *Quid tam circumcisum, tam breve, quam hominis vita longissima?* Ergo ipsa experientia testatur nos homines totos pendere a Deo, et stultos esse vanos iactatores, qui suis viribus confidunt, et se sine Deo felices fieri posse putant. Reprehendit autem Iacobus nominatim mercatores illos fastuosos, Vs. 13. qui non tam optabant, quam potius decernebant confidenter.

15. Ἀντὶ τοῦ — ἐκεῖνο) *Quum dicere deberetis: Si Deus dederit, ut vivamus, faciemus hoc et hoc;* nam καὶ saepe est ἐξηγητικὸν. *Lucianus* in Contemplantibus: ἐπὶ δεῖπνον κληθεὶς ὑπό τινος τῶν φίλων, μάλιστα ἤξω, ἔφη, καὶ μεταξὺ λέγοντος, ἀπὸ τοῦ τέγους κεραμὶς ἐμπεσοῦσα αὐτὸν ἀπέκτεινεν. Minucius in Octavio: *Deus magnus est, et, Deus verus est: et, si Deus dederit, vulgi iste naturalis sermo est.* Quo minus Christianos, qui iustum pretium rebus omnibus statuere debent, decet ista levitas, securitas, arrogantia.

16. Νῦν δὲ—ἀλαζονείαις ὑμῶν) *Ita vero gloriamini potius insolentes.* Αἱ ἀλαζονεῖαι sunt hoc loco

consilia et ausa, quae cum ostentatione et iactantia, mercatoribus propria, coniuncta sunt. Καυχᾶσθαι hic est, imagine spei conceptae titillari, rei, quam certo sibi eventuram quis credit, voluptatem antecapere, et ex eiusmodi laetitia in sermonis iactantias erumpere. Luc. XII, 19. Gloriose implent magnis cogitationibus pectus suum, spes inchoant longas, et quae non habent, iactitant quasi haberent.

17. Εἰδότι — αὐτῷ ἐστιν) *Igitur qui scit melius agere, nec agit, peccato tenetur.* Hoc vult Iacobus: Moniti estis a me; ignorantiam non potestis obtendere; si quid posthac tale dixeritis, gravior erit culpa. ἁμαρτία, i. q. παράβασις, *culpa*, Io. IX, 41., qui locus etiam sententiae lumen affundit. Cf. etiam Io. XV, 22. 24. εἰ μὴ ἦλθον, καὶ ἐλάλησα αὐτοῖς κ. τ. λ.

CAP. V.

1. Ἄγε νῦν — ἐπερχομέναις) *Vos igitur porro, divites, dolete et eiulate propter miserias quae vobis imminent.* Videtur cum his verbis incipere Apodosis, cuius Protasis extendebatur a c. IV, 13. usque ad 17. Intelligit vero Apostolus eosdem iactatores, quos reprehenderat statim, et repetit ἄγε νῦν. Putant nonnulli, Apostolum per apostrophen sermonem dirigere ad Iudaeos, permixtos Christianis. Fuisse inter Iudaeos, extra Palaestinam, multos satis divites, luxuriae deditissimos, et Iudaicae religionis parum castos amatores, vel ex *Philonis* multis locis constat, qui gravissime reprehendit commessationes et vitae depravatio-

nem publicam. Nihil tamen obstat, quo minus intelligamus divites *Christianos*, c. II. notatos. Κλαύσατε, Imperativus pro futuro, stilo prophetico, ut rem certissimam demonstret. *Flebitis;* instat hoc ferale tempus. Ἐπὶ ταῖς τ. ὐ. τ. ἐπ. *propter eventuras vobis calamitates.* Ἐπὶ hic est *propter*, ut alibi saepe. Praesignificat Apostolus, ut nounulli putant, post excisa Hierosolyma eventuras Iudaeis calamitates; prope enim adventabat tempus a Christo praedictum. Post gentem dispersam, pessime etiam aliis in locis extra Palaestinam tractari coeperunt Iudaei, quorum tunc sub nomine latebant et Christiani. Quum autem omnibus divitibus improbis immineat miseria, qualis hic describitur, non opus esse hac interpretatione videtur.

2. Ὁ πλοῦτος—γέγονεν) *Divitiae vestrae pereunt (putredine quasi corrumpuntur,) et vestimenta vestra a tineis corroduntur.* Describitur nunc miseria divitum, fastuosorum nempe et impiorum, de quibus hactenus fuerat sermo. Qui etymologiae verbi σήπω inhaerent, intelligunt per τὸν πλοῦτον eas divitias, quae *putredini* obnoxia corrumpuntur, omnia frumenti genera, oleum, vinum, poma, carnes, pisces etc., quibus antiqua per tempora *divitiae* maxime solebant describi. Sed recte monet *Io. Bened. Carpzovius* ad h. l. non unice ad etymologiam et *putredinem* respiciendum esse, sed Iacobum loqui universim de opibus caducis. Nam σήπειν significat *obsoletum fieri, perire*, non unice *putredine* perire, sed ut statim legitur, etiam *situ, aerugine, carie,* a *tineis* et *blattis,* et ab aliis rebus φθαρτικοῖς. Οἱ πλούσιοι quos alloquitur Apostolus, solebant, ut videtur, *vestes, pretiosa, an-*

nonam etc. emere, et postea carius atque iniquius vendere; mentio enim fit vestimentorum, auri, argenti, quae possidebant, idem messorum quos defraudaverant. Ceterum tempus praeteritum σέσηπε ponitur pro Praesenti et continua actione, sicut statim γέγονε σητόβρωτα, et κατίωται.

3. Ὁ χρυσὸς — κατίωται) *Aurum vestrum et argentum aerugine vitiatur.* Auro, licet proprie aerugine non ipsum possit corrumpi, viridis tamen interdum adhaeret color, si diu defossum, aut acri humori longa in quiete expositum iacet. Ceterum ut Latini pro *pecunia* aurum vel argentum vel aes synecdochice appellant: ita etiam ἀργίριον, aut χρυσὸς καὶ ἄργυρος pro nummis universe dicitur. Hoc tamen loco etiam quaevis pretiosa intelligi possunt. Cf. Vs. 2. καὶ ὁ ἰὸς — ἔσται) *Atque eadem aerugo testimonium quasi perhibebit apud Deum adversus vos;* reos vos peraget, nempe iniustitiae erga operarios aliosque oppressos. Μαρτύριον est idem h. l. quod ἔλεγχος, *reprehensio, poena.* Cf. Matth. VIII, 4. X, 18. etc. καὶ φάγεται — ἡμέρᾳς) Varia est huius loci interpunctio. Syra translatio non habet ὡς, atque iungit πῦρ cum ἐθησαυρίσατε. Sequentibus iungunt πῦρ etiam Cod. Al. et alii, versiones Arabicae et Aethiopica. Plurimi interpungunt post ὡς πῦρ, et recte quidem; nam ignem vorare humanas carnes, iam Homerus dixit Iliad. ψ. Vs. 177. seqq. Sensus est: *et quasi ignis exedet vestras carnes*, vel bona vestra, vel corpora vestra. *Continuus moeror*, (sed et fames, penuria ciborum, quos alieno in loco collegistis) *depascet istud obesum corpus.* Ἐθησαυρίσατε ἐν ἐσχάταις ἡμέ-

ραις, pro εἰς ἐσχάτας ἡμέρας, *congeritis vobis poenas post vitae exitum.* Θησαυρίζειν h. l. sumitur in malam partem, *poenam sibi congerere*, ut Rom. II, 5.

4. Ὁ μισθὸς — κράζει) *Clamare ad coelum*, (i. e. ad Deum) quaedam scelera et flagitia dicuntur, quia et graviora sunt aliis, et iustus iudex inter homines iis deesse solet. Gen. IV, 10. XVIII, 20. Exod. II, 23. 24. Οἱ ἐργάται οἱ ἀμήσαντες τὰς χώρας, *operarii, qui demessuerunt agros*, ponuntur a Iacobo pro mercenariis omnis generis, qui dominis et divitibus operam commodarunt in rebus rusticis, et coluerunt agros, vineas, hortos quocunque modo usque ad θερισμὸν. Nam verbum ἀμᾶν et in Medio ἀμᾶσθαι latius patet et intelligitur de omnibus iis, quae coloni in re agraria operantur. Hos homines iusta mercede privare inter gravissima peccata habetur propter ea, quod mercedem suam nonnisi gravissimo labore acquirunt, ob incommoda aestus, Solisque intemperiem. Accedit, quod quum haec natio hominum plerumque καθημερόβιος sit, qui pane eos hodierno maligne fraudat, sudori crastino exhauriendo iis vires subtrahit. καὶ αἱ βοαὶ — εἰσεληλύθασιν) Κύριος Σαβαὼθ est hebr. יְהוָה צְבָאוֹת Deus, qui est Dominus siderum, angelorum, hominum, omniumque creaturarum, ac proinde *potentissimus.* Vide dicta ad Rom. IX, 29. *in aures intrarunt*, i. e. exauditae sunt.

5. Ἐτρυφήσατε — ἐσπαταλήσατε) *Luxuriatis in terra et lascivitis*, vivitis in omni deliciarum et lasci-

viae genere in hoc mundo. De verbo σπαταλᾶν cf. 1 Tim. V, 6. Ἐπὶ τῆς γῆς, *in hoc mundo.* ἐθρέψατε — σφαγῆς) *Ventri indulgetis quasi propediem mactandi*, i. e. indulgetis *genio et corpori;* abundantissime vino et cibo vos impletis, *pecudibus mactandis similes.* Τὰς καρδίας ὑμῶν, i. e. *vosmet ipsos.* Ἐν pro εἰς. Similis locus est apud Philonem in Flacc. p. 990. C., ubi *Flaccus* de salute sua desperans, queritur: σιτία μοι καὶ ποτὰ καθάπερ τοῖς θρέμμασιν ἐπὶ σφαγὴν δίδοται. *Cibus potusque mihi praebetur, sicut mactandis pecudibus.* Indicavit igitur Apostolus elegantissima hac locutione, quae mala a divino numine imminerent, dum ii otio et luxu diffluerent. *Oecumenius* explicat de laniena Iudaeorum, a Romanis occidendorum.

6. Κατεδικάσατε — ἀντιτάσσεται ὑμῖν) *Condemnatis et interficitis probos homines, nec ipsi resistere possunt vobis. Condemnatis probos*, i. e. efficitis vestris opibus, ut ab aliis, sive arbitris christianis, sive magistratibus infidelibus damnentur. In vocabulo τὸν δίκαιον Enallagen esse Singularis pro Plurali nemo non videt. *Interficitis* eos, dum litibus intendendis et mercede retinenda victu eos spoliatis. *Resistere vobis non possunt;* quia opibus sunt inferiores vobis. Vel etiam *nolunt* vobis resistere, ex praecepto Christi, e. c. Luc. VI, 29. sqq. Nam vim vi propulsare adversus magistratus et iudices legitima potestate abutentes, optimus quisque religioni habebit.

7. Μακροθυμήσατε — τοῦ κυρίου) *Expectate igitur patienter, fratres, donec veniat Dominus.* Μακρο-

θυμεῖν, h. l. est *expectare*. Cf. Vs. 8. Vertitur nunc sermo ad oppressos. Παρουσία κυρίου h. l. nonnullis est iudicium Christi in gentem Iudaicam; nam gliscebat iam tum Iudaeorum rebellio, cuius fatalis et tristis eventus, veteri scripturae phrasi, *adventus Domini* dicitur. Ut nempe Deus quasi longius abesse dicitur, si maleficia hominum per aliquod tempus impune perpetrari, et boni a malis opprimi videntur: *sic advenire* dicitur Deus, quando malis iusta poena infertur. Potest tamen simul etiam significari iudicium Christi ultimum in genus humanum universum; nam de tempore nihil certi didicerant veteres Christiani, et semper iussi erant intenti esse in ultimum illum diem, qui bonos ab omni malorum vexatione erat liberaturus. Cf. Vs. 8. ὁ γεωργὸς—τῆς γῆς) *Agricola sperat largum proventum terrae. Spes alit agricolas.* Ὁ γεωργὸς, i. e. quivis agricola. Egregie dixit τὸν τίμιον καρπὸν τῆς γῆς, frugem, qua maxime alimur; eius enim frugis magnus semper honos et apud Iudaeos et apud Christianos. μακροθυμῶν—ὄψιμον) Abest ὑετὸν ab Itala, Vulg. Copta, et cod. 9. Wetstenii, seu Stephani 13. Sic pertinerent adiectiva πρώϊμον καὶ ὄψιμον, ad praecedens καρπὸν, sunt enim terrae fructus alii tempore priores, alii ὄψιμοι. Sensus itaque esset: *Patienter expectat, dum accipiat pro temporis opportunitate fructuum unum genus post alterum.* Si genuina est lectio ὑετὸν, intelliguntur imbres, de quibus Hebraei utuntur nominibus מַלְקוֹשׁ vel גֶּשֶׁם מַלְקוֹשׁ et גֶּשֶׁם מוֹרֶה quae coniunctim nominantur Deut. XI, 14. Ioel II, 23. et alibi. Haec est pluvia illa, quae decidit, quum simul sunt semina terrae commissa; i. e. pluvia *matu-*

tina, autumnalis, illa vero, quae fruges, quum iam adoleverint, efficit ut proveniant latius et uberius, hoc est *serotina, vernalis.*

8. Μακροθυμήσατε — ἤγγικε) *Patienter expectate et vos*, sub spe frugis multo maioris. Στηρίξατε τὰς καρδίας ὑμῶν, i. e. *animos vestros spei magnitudine confirmate.* Translata est phrasis ab iis, qui cibo et potu reficiuntur, et vires corporis colligunt, Iudic. XIX, 5. 8. *Quotidie magis appropinquat adventus Domini*, quo nempe dura vestra conditio feliciter mutabitur. Praecipue autem admonet, ut spe futurae felicitatis pascantur. Nam in hac vita nunquam plane liberati sunt Christiani a vexatione malorum.

9. Μὴ στενάζετε — κριθῆτε) *Nolite fremere alius in alium, fratres, ne puniamini.* Alii legunt κατακριθῆτε, sensu eodem; nam utrumque verbum interdum significat *punire. Ne Deus vos puniat.* Voce στενάζειν *Beza* intelligit quandam internam querimoniam, quae impatientiam declaret, quamvis non prorsus erumpat. Grotius: *ne alii invidete aliis. Pricaeus* indicari hic arbitratur talem pectoris motum vel ab invidia ortum, vel etiam ab excandescentia; ab *invidentia*, quum alienis bonis quis carpitur et maceratur; ab *ira*, quum ad opinionem alicuius iniuriae perpessae indignatio oritur. *Carpzovio* στενάζειν h. l. esse videtur, *fremere, vociferari* ob indignationem propter perpessam iniuriam. Nam proprie hoc verbum sumitur de fremitu leonis et ursi, ut Iob. IV, 10. Ies. LIX, 11. Pauperes Christiani, si a divitibus iniurias patiun-

tur, non modo non resistere (Vs. 6.), sed ne fremere quidem et ingemiscere debent, vel cupiditatem ulciscendi exprimere verbis gravibus, et vindictam divinam imprecari. Ὁ κριτής, nempe illius qui succenset, et cui succensetur. Πρὸ τῶν θυρῶν, locutio est notans summam proximitatem.

10. Ὑπόδειγμα—κυρίου) Ὑπόδειγμα, exemplum, ad quod nos ipsos fingere debemus, ut Io. XIII, 15. Κακοπάθεια, *malorum perpessio*. De his malis, quae Prophetae pertulerunt, vide Hebr. XI, 33. sqq. Μακροθυμία, constans in adversis patientia. Ἐν ὀνόματι κυρίου, *Dei mandato*, instinctu, non suo; non ἀφ' ἑαυτῶν, non suo lubitu, suis affectibus indulgentes.

11. Μακαρίζομεν τοὺς ὑπομένοντας) Ὑπομείναντας legunt cod. Alex. et iuniores nonnulli, Syr. Vulg. corb. Euthal. Nec male, quia illa exempla omnia fuerunt temporis praeteriti. Laudamus adhuc constantiam eorum, qui talia mala pertulerunt, beatosque eos hoc nomine praedicamus. Ergo et imitandi a nobis sunt. τὴν ὑπομονὴν Ἰὼβ ἠκούσατε) *Iobi patientiam cognovistis*. Amissis liberis ac bonis, torto per gravissimos dolores corpore, amicis eum calumniantibus. Videtur multis vera esse haec historia, sed tractata poëtice. καὶ τὸ τέλος κυρίου εἴδετε) *Et praeclarum exitum*, quem Deus curaverit, *intellexistis*. Τὸ τέλος κυρίου ex Hebraismo est *finis quem Deus fecit*, et κυρίου hic est Genitivus caussae. Vidistis, inquit, id est, legendo cognovistis, quem exitum ei Deus dederit: bonam ac firmam valetudinem, plurimos ac florentes li-

beros, famam et honores et divitias. Multi cum *Augustino* hoc traxerunt ad Christum.

12. Πρὸ πάντων—ὅρκον) *Ante omnia autem, fratres mei, non iurate per coelum, nec per terram, nec aliud huiusmodi iuramentum.* Locutio cum Accusativo est elliptica, pro ὀμνύειν εἰς τὸν οὐρανόν etc. Sequens vero Accusativus μήτε ἄλλον τινὰ ὅρκον non regitur a Praepositione cum ὀμνύειν iungenda, sed alia enunciatione adhibetur quam in antecedentibus. Quia Iudaei valde proni erant ad iuramenta, nec facile evelli ea consuetudo potuit, ideo Christianos monet serio Iacobus, ut meminerint eius praecepti, quod Christus dedit. *Semlerus* ad coniurationem et sodalitia quasi Iudaizantium refert, quae iureiurando firmarentur adversus Romanos. Cf. dicta ad Matth. V, 33. sqq. Iudaei superstitiosiores ad vulgaria iuramenta non diserte Dei nomen usurpabant, sed res alias, ut coelum et terram. Sed his quoque abstineri vult Christus. Nec illam Christi reprehensionem, nec hoc Iacobi dictum pertinere ad politicum et legitimum iusiurandum, nexus orationis, et res ipsa docet. ἤπω — οὔ, οὔ) *Esto autem vestra affirmatio mera affirmatio, et negatio mera negatio.* Debent Christiani affirmare, quod affirmandum est, negare quod negandum est sine omni iureiurando, vel ulla alia asseveratione accedente. ἵνα μὴ ὑπὸ κρίσιν πέσητε) *Ne in poenam incidatis.* Plurimae editiones typis expressae habent εἰς ὑπόκρισιν, quomodo habent codices iuniores, Arab. polygl. Armen. Antioch. Oecumen. Theoph. Sed ὑπὸ κρίσιν habet cod. Alex. Syr. Erp. Copt. Aeth. Vulg. corb. et nonnulli codices iuniores. Haec lectio praeferenda

videtur. *Ne in reprehensionem et damnationem iustam incidatis.* Ἐμπίπτειν εἰς κρίσεις occurrit Sirac. XXIX, 19. Κρίσις intelligi potest *Dei; poena a Deo infligenda;* potest etiam accipi de iudicio humano. Nam iuramento se obstringere temere pro aliis, affert utique periculum κρίσεως, quia multi sponsorem facile deserunt.

13. Κακοπαθεῖ — προσευχέσθω) *Si quis vestrum moerore afficitur,* vel res adversas patitur, *preces ad Deum fundat.* Κακοπαθεῖν vel est *malis affligi,* vel *animi tristitia laborare.* Iudaei quaedam morborum atrociorum genera tribuerunt daemoniis, illisque eiiciendis adsciverunt varias formulas verborum et caerimonias tristes. Talem morborum curationem prohibere videtur Iacobus. Si quis moerore, animi tristitia, melancholia laborat; προσευχέσθω, sc. more christiano: non iam cogitet de poenis aliorum, non imponat aliis orandi provinciam, more Iudaeorum, nec differat in conventum publicum sacrum. εὐθυμεῖ τις, ψαλλέτω) *Si quis laetatur,* (ob accepta a Deo bona,) *Deo gratias agat,* etiam cum cantu. Col. III, 16.

14. Ἀσθενεῖ — ὀνόματι τοῦ κυρίου) *Aegrotat quis inter vos, vocet Presbyteros, qui illius caussa Deum precentur et ungant eum oleo, auxilio divino freti.* Per τοὺς πρεσβυτέρους *Carpzovius* intelligit viros peritos, pios, cordatos, viros profecta iam aetate, in quibus maior rerum usus et consilia solidiora sunt quam plerumque in iunioribus. Nam olim consilia dabant qui aetate conspicui erant, et propter gravitatem *Patres,* propter aetatem *Presbyteri* vocabantur. Huic

sententiae obstare videtur, (vid. Noesselt, Fasc. II, p. 328.) quod Presbyterorum *ecclesiae* nomen in N. T. libris semper de viris in ecclesia primariis, iisque vel magistris vel praesidibus usurpetur. Ii igitur, inquit Iacobus, *precentur aegroti caussa*, ἀλείψαντες αὐτὸν ἐλαίῳ ἐν τῷ ὀνόματι κυρίου, *ungentes eum oleo cum imploratione divini nominis.* Verba ἐν τῷ ὀνόματι κυρίου possunt etiam construi cum προσευξάσθωσαν ἐπ' αὐτόν, ut sensus sit: *auctoritate Domini* (Christi) convenienter doctrinae Christi, nempe adiecta conditione, si Deus voluerit, ut aegrotus convalescat. Ceterum *oleum* positum esse videtur pro remediis aliis etiam salutaribus et necessariis. Nam in regionibus orientalibus et ad meridiem olea erant valde generosa, et usus oleorum permultus medendis variis morbis obtinebat. Unde etiam peregrinantes secum gestabant ampullam oleariam; et Samaritanus ille vulneratum a latronibus curabat oleo. Discipuli etiam Christi superaddebant dono sanationis miraculoso a Domino ipsis dato, *oleum*, Marc. VI, 13. Nulla necessitas postulare videtur, ut extraordinariam et miraculosam sanandi facultatem intelligamus. Cf. Vs. 15. Sacrum ritum *unctionis extremae*, quae morituris iam impenditur, minime ex hoc loco posse demonstrari, facile patet; commemoratur enim adiumentum sanitatis, non praesidium et adiumentum pacatius moriendi. Ceterum sanandi vis tribuitur non tantum oleo, sed etiam πίστει et *precibus.* Fuit nempe haec commotio animi sanctior, non semper quidem, saepe tamen, coniuncta cum restitutione valetudinis, praecipue, si languor corporis ex animi moerore et tristitia ortus et auctus esset.

15. Καὶ ἡ εὐχὴ—ὁ κύριος) Ἡ εὐχὴ τῆς πίστεως, preces ad Deum, ex fide in Christum profectae, et cum pia fiducia coniunctae, et quidem preces tam ipsius aegrotantis, quam Presbyterorum. „Nam sperantibus aliis cum fiducia salutem aegroti viris, qui multa apud ipsum valent auctoritate, quidni ipse quoque fidem ac spem salutis concipere ausit! vid. 1, 6. Vis salutifera fidei in corporis malis non semel laudatur, cf. Marc. V, 34. X, 52.“ *Schulthessius*, p. 178. Πίστις hoc etiam loco, ut plerumque, communis esse potest, non extraordinaria vel miraculosa. Non obstat, quod sequitur: *σώσει τὸν κάμνοντα*, preces *iuvabunt aegrotantem*. Notum enim est in N. T. ut in vita communi saepe universe enuntiari, quod cum restrictione intelligendum est. Iuvabunt preces aegrotantem, si ei expedint ad salutem aeternam. Omnes aegrotantes Presbyterorum ope et precibus valetudinem recuperasse, ex his verbis non sequitur. Ἐγερεῖ αὐτὸν ὁ κύριος, Christus, vel Deus, non Presbyter eum ex mortuis eriget; *convalescere iubebit*. Locutio inde, quia qui graviter aegrotant, solent cubare. Hinc et Latini surgere dicunt eos, qui sanitatem recuperant. κἂν—ἀφεθήσεται αὐτῷ) Ἁμαρτίας, sc. graviora peccata, quae saepe sunt morborum caussae. Antiquissimis est hic religionis sensus. Gen. XX. Deut. XXVIII, 15. 21. 22. Ps. XXXVII, 9. Morbo curato, etiam peccatum ipsum condonatum esse dicebatur, 1 Chron. VII, 13. 14. Ies. XXXIII, 24.

16. Ἐξομολογεῖσθε ἀλλήλοις τὰ παραπτώματα) Παραπτώματα hic sunt *peccata graviora*. Sermo est de eiusmodi aegroto, qui ipse sciat, aut cogitet, hunc

morbum huius vel illius peccati caussa, tanquam poenam ipsi accidisse. Hunc ne pudeat, peccatum hoc in conspectu presbyterorum fateri; nam efficacius orat ecclesia pro peccatis sibi cognitis, adhibens simul idonea remedia malo, ne in id recidatur. καὶ εὔχεσθε — ἰαθῆτε) *Et orate alius pro alio, ut sanemini.* Recte, ut mihi quidem videtur, ea, quae hoc commate dicuntur, trahuntur ab interpretibus ad *aegrotum* et ad *Presbyteros*, quorum mentio Vs. 14. facta est. Carpzovius tamen metaphorice vertit: *ut ad mentem saniorem redeatis, et vobis condonet Deus peccata,* et hoc versu novam putat incipi adhortationem, non connexam cum superiori. *Sanari* saepe hoc significatu occurrere, (ut Hebr. XII, 13. Ies. VI, 10. aliisque locis,) non potest negari. Sed huius loci contextus suadet, ut usitatiorem et propriam significationem retineamus. Ceterum *preces* intelligendae sunt *publicae*, pro iis, qui malefaciendo morbos sibi contraxerunt. πολὺ — ἐνεργουμένη) *Precatio pii multum valet efficere.* Δέησις πολὺ ἰσχύει ἐνεργουμένη ex Graecitate accipiendum videtur, pro: πολὺ ἰσχύει ἐνεργεῖν. *Inspiratas* intelligere preces cum multis interpretibus (ob exemplum Vs. 17. adductum), non opus est.

17. Ἦλίας — ὁμοιοπαθὴς ἡμῖν) *Nobis omnino similis*, et *morti et vitae malis obnoxius, non minus quam nos.* Act. XIV, 15. καὶ προσευχῇ — μῆνας ἕξ) Προσευχῇ προσηύξατο, *intente oravit.* Notissimus Hebraismus, qui rem auget. Τοῦ μὴ, i. e. ἕνεκα τοῦ μὴ βρέξαι. Ἐπι τῆς γῆς, *in terra decem tribuum. Per tres annos, et sex menses*, ut Luc. IV, 25. ubi dicta vide. Exemplum Eliae affert Iacobus, ut

doceat, saepissime Deum precibus proborum hominum annuere, non definit an naturali an miraculoso modo votis eorum satisfaciat. Igitur nec hoc ad miraculosam sanationem trahendum esse videtur.

19. Ἐάν τις — τις αὐτὸν) *Si quis inter vos aberraverit a vera doctrina*, (et pietate,) *eum vero aliquis in rectam viam revocaverit.* Ἀλήθεια, vera doctrina Christi, et vitae ratio, quam praescribit Evangelium.

20. Γινωσκέτω — πλῆθος ἁμαρτιῶν) *Tenete, eum, qui revocaturus sit peccatorem a perversa ratione, animum a pernicie vindicaturum, et multa peccata obliteraturum esse.* Γινωσκέτω, sc. ὁ γινώσκων, *sciatur.* Πλάνη ὁδοῦ, complectitur non tantum opiniones, sed et mores peccatoris ab evangelio abhorrentes. Ψυχὴν, non modo *corpus*, sed et *animum.* Θάνατος, *status infelicitatis.* Καλύψει πλῆθος ἁμαρτιῶν, efficiet, ut illa iam conversi peccata priora Deus dissimulet, et quasi extra conspectum suum ponat. Καλίπτειν, כָּסָה est *condonare*, Ps. XXXII, 1.

SCHOLIA

IN

EPISTOLAM PETRI PRIOREM.

Petrum Apostolum esse huius Epistolae Auctorem, ex multis Veterum testimoniis luculenter patet, unde *Eusebius* eam inter Scripta N. T. ὁμολογούμενα refert, Hist. Eccles. L. III, c. 25. Cf. c. 39. *Irenaeus* c. haeres. L. IV, cap. 9. Quinam isti fuerint, ad quos Petrus scripsit, discimus ex c. I, 1. ad quem locum plura annotabimus. De *loco*, ubi scripta sit Epistola, legenda sunt curiosis, quae disputavit de hac re *Michaelis*, Introduct. in Libr. N. T. §. 209. Adde *Dav. Iul. Pott* Prolegomena huic Epistolae praemissa. p. 12. sq. et recentiorum Scripta Isagogica. De consilio non tantum huius, sed reliquarum etiam epistolarum catholicarum relege quae a nobis praemissa sunt Scholiis in Epistolam Iacobi. Scita est observatio *Semleri* (in Prolegom. in Epist. Iacobi §. 12.), quam hic repetere iuvat. „Facillime (inquit) lectores, qui hos libros sacros quotidie versant, magnam convenientiam Epistolarum *Petri* cum ista *Iacobi* observabunt; nec deest in altera Petri c. 3. istud clarum indicium, lectas fuisse plures Pauli Epistolas ab auctore; easque

iam apud alios Christianos ex Iudaeis, in honore fuisse; itaque auctoritatis quasi caussa, etiam ablegat istos lectores suos ad has Epistolas. Iudae antem Epistola satis luculenter occupat istam Petri secundam; similiter convenientiam νοήματων quae occurrunt in Pauli Epistolis, etiam in istis Petri non obscuram esse, facile intelligitur. *Epistolarum* igitur scribendarum exemplum quasi praeivit Paulus, quod imitati sunt postea alii Apostoli, ut istas societates Christianorum ex Iudaeis adversus errores hominum partim fanaticorum, partim improborum munirent, qui non minus has societates turbabant, quam istas Pauli variis opinionibus quasi infecerant." Cf. tamen *Ern. Car. Rauchii* Commentatio: *Rettung der Originalität des erst. Br. des Ap. Petrus*, in *Wineri* et *Engelhardti neu. krit. Iourn. der theol. Lit.* T. VIII. p. 385. sqq.

CAP. I.

1. Ἐκλεκτοῖς — Βιθυνίας) *Chrtstianis extra patriam* (Palaestinam) *dispersis per Pontum, Galatiam* etc. Hoc et sequenti commate continetur salutatio; exordium vero totius epistolae progreditur usque ad finem commatis 12. Ἐκλεκτοῖς, *Christianis*, ut Rom. VIII, 33. Col. III, 12. et aliis locis. Est titulus sumtus ex veteri Testamento, in quo Israelitae vocantur בְּחוּרִים, ἐκλεκτοί, Ies. LXV, 9. et alibi. Παρεπιδήμοις, תּוֹשָׁבִים, *peregre habitantes*, Iudaei extra patriam (Palaestinam nempe) viventes. Nostro loco multi intelligunt *Proselytos*, גֵּרִים, et quidem *Proselytos*

Portae, i. e. non circumcisos, sed unum verum Deum colentes, propter locum huius ipist. cap. IV, 3., qui innuere videtur, eos, ad quos scripsit Petrus, non omnes fuisse Iudaeos natione. Sed vide annotanda ad illum locum. *Christiani peregre habitantes* διασπορᾶς Πόντου sunt dispersi per Pontum. Διασπορὰ, *dispersio*, Iudaei per orbem terrarum dispersi, Cf. Ioan. VII, 35. Dispersi erant Iudaei in diversas regiones, diversis temporibus et occasionibus, sive in bellis, ut per *Tiglathphalasarum*, *Salmanasarem*, et *Nabuchodonosorum*, sive ad vitanda mala interna, quibus de caussis multi et in Syriam et in Aegyptum, et in alia loca Romani imperii concessere. Insignis est locus apud *Philonem* de Legat. ad Caium p. 1031. D., ubi *Agrippa* ad *Caligulam* scribit, *Hierosolyma metropolin esse non unius regionis Iudaeae, sed et multarum aliarum, propter colonias inde olim deductas, vel propius in finitimam Aegyptum, Phoenicem, Syriam, tum ceteram, tum eam, quae Coele nominatur: vel longius in Pamphiliam, Ciliciam, plerasque Asiae partes, usque Bithyniam et Ponti sinus intimos*, etc. Hoc loco nominantur Pontus, Galatia, Cappadocia, Asia, et Bithynia, quae omnes sunt regiones minoris Asiae. Quum igitur separatim nominatur Asia, ea intelligenda est pars Asiae, quae κατ' ἐξοχὴν sic dicitur, Romana provincia, sive Asia proconsularis, Phrygiam, Mysiam, Cariam, Lydiam, oramque omnino maritimam Asiae minoris complexa. Sunt itaque ἐκλεκτοὶ παρεπίδημοι διασπορᾶς Πόντου etc. Christiani ex Iudaeis hic inde dispersis in Ponto etc. Diversas interpretum sententias de iis, *ad quos data sit* haec epistola recensuit et diiudicavit

Pott in Prolegomenis p. 8. sq., cui scripta esse videtur *ad Christianos e Iudaeis pariter et gentibus extra Palaestinam* (ἐν τῇ διασπορᾷ) *collectos, inprimis vero ad Iudaeo Christianos*, in qua sententia *Wolfius* etiam fuit. Recte, ut mihi videtur. Multa enim in hac epistola occurrunt, quae non nisi ad Iudaeos, alia vero quae nonnisi ad Ethnicos pertinent. Quod tamen restringendum est ad Christianos in regionibus a Petro nominatis tum viventes. Ex primum hic nominata regione, *Ponto*, Epistola haec dicitur ad Ponticos, quomodo eam appellant *Tertullianus*, et eum in multis sequens *Cyprianus*.

2. Κατὰ πρόγνωσιν — Ἰησοῦ Χριστοῦ) *Consilio Dei Patris per institutionem Spiritus eo adductis, ut religionem christianam susciperent, et participes fierent beneficiorum mortis Christi.* Verba κατὰ πρόγνωσιν θεοῦ πατρὸς per traiectionem referenda sunt ad illud ἐκλεκτοῖς, quod praecessit. Πρόγνωσις, *decretum, consilium*, ut Actor. II, 23. Ad christianam igitur religionem perductos esse ait, ex decreto et consilio Dei Patris. *Carpzovio* πρόγνωσις iuxta Hebraismum nihil aliud esse videtur quam πρόθεσις, *beneficium divinum, amor divinus.* Cf. Eph. I, 5. 11. Ἁγιάζειν est *consecrare, initiare.* Ad religionem (εἰς ὑπακοήν) autem initiantur, qui in ea instituuntur. Haec institutio facta est per *Scriptum*, πνεῦμα, non immediate, sed per Apostolos aliosque doctores, Spiritu S. repletos. Ὑπακοὴ non construitur cum αἵματος, sed solum ponitur; ῥαντισμός vero coniungitur cum αἵματος, et passivo sensu sumitur. Est nempe ὑπακοὴ susceptio religionis, ὑπακοὴ

πίστεως, sic dicta, quia Deo docenti credit, iubenti obsequitur is, qui religionem suscipit. Vox ῥαντισμοῦ sumta est ex lege Mosis, ubi et populus et sacerdotes, ante quam in sanctuarium terrestre intrarent, humore quodam adspersi sunt, Exod. XXIV, 8. Num. XXXI, 23. Sic et nos, ut in sanctuarium coeleste intremus, adspergi debemus Christi sanguine, i. e. purgari a peccatis. Purgamur vero sanguine Christi, quando nobis ob mortem Christi peccata remittuntur, nosque abstrahimur a vitiis. Mors Christi est caussa remissionis peccatorum, est etiam argumentum, cur scelera fugiamus, et sancte vivamus. χάρις—πληθυνθείη) *Et favor Dei, et inde procedens prosperitas vobis crescat in dies.* Eadem precatio apud Paulum quoque 1 Cor. I, 3. et aliis locis plurimis.

3. Incipit Petrus ab insigni religionis christianae commendatione, et commemoratione beneficiorum Dei, in illos Iudaeos collatorum Vs. 3—12. εὐλογητὸς—ἐκ νεκρῶν) *Laudemus Deum et patrem Domini nostri Iesu Christi, qui pro maxima sua benignitate recreat animos nostros spe laetissima, facta nobis per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis.* Εὐλογητὸς, sc. ἔστω, laudatus sit, בָּרוּךְ. Ἀναγεννᾷν, *nova quasi vita donare, recreare, felicem reddere.* Novus quasi homo redditur, qui ex statu infelici transfertur in felicem. Hanc significationem contextus suadet. Potest tamen etiam hoc verbum ἀναγεννᾷν explicari *mutare in melius*, facere aliquem Christianum. Ἐλπὶς ζῶσα, *spes laetissima.* Nam ζωὴ interdum etiam est felicitas, laetitia, id quod affert laetitiam. Hanc spem nobis factam esse dicit, per resurrectionem

Christi, quae et rem ostendit possibilem esse, et simul ostendit, ipsum esse veracem, qui nobis resurrectionem promisit.

4. Εἰς κληρονομίαν — ἀμάραντον) *Fore ut olim potiamur bonis, quae neque perire possunt, neque ullo vitio laborant, neque splendorem et pulchritudinem unquam amittunt.* Obiectum illius spei describitur. Κληρονομία, נַחֲלָה, *haereditas, possesio firma, bona quae possidentur.* Bona illa coelestia comparantur cum deliciis Paradisi, semper florentis. Ἄφθαρτον, *quod nunquam perit.* Coelestia illa bona nobis nunquam eripi possunt. Ἀμίαντον, proprie significat id, quod est purgatum, purum, intaminatum (ut 2 Maccab. XIV, 36.), deinde tropice ita nominatur, quicquid in suo genere est *integrum* et *perfectum*, unde Sapient. III, 13. dicitur matrona *casta.* Ἀμίαντος κληρονομία est felicitas *integra*, quae non minuitur, sed semper durat. Non erunt mixta mala bonis. Ἀμάραντον, *quod non marcescit*, vel amittit suum splendorem: *perpetuo durans.* τετηρημένην — ὑμᾶς) *Quae reposita sunt in coelo vobis.* Τηρεῖσθαι hic, quod ἀποκεῖσθαι 2 Tim. IV, 8. et Coloss. I, 4. Εἰς ὑμᾶς, i. e. ὑμῖν, לָכֶם.

5. Τοὺς ἐν δυνάμει — ἐσχάτῳ) *Qui Dei praesidio asservamini felicitati, quae vobis in extremo tempore manifestabitur, si credideritis.* Φρουρεῖσθαι, *custodiri*, i. e. asservari et reservari εἰς σωτηρίαν, *felicitati.* Perinde est, sive dicas, reservamur felicitati, sive felicitas reservatur nobis. Ἐν δυνάμει θεοῦ, *potentia Dei*, qui efficere potest, ut felicitas, quam

speramus, nobis olim contingat. Ἑτοίμη (μέλλουσα) ἀποκαλυφθῆναι, quae vobis manifestabitur. Διὰ πίστεως, dum certissime creditis et expectatis illam felicitatem. Haec felicitas (inquit Petrus,) continget vobis ἐν καιρῷ ἐσχάτῳ, *ultimo tempore*. Καιρὸς ἔσχατος interdum est *tempus N. Testamenti*, interdum *finis omnium rerum*. Nexus orationis suadet, ut sumamus sensu posteriori. Sensus Vs. 3. 4. 5. est: Laudemus Deum, qui nos ad religionem perduxit, ut aeternam felicitatem consequi possimus.

6. Ἐν ᾧ—πειρασμοῖς) *Quo* (tempore ultimo) *gaudebitis, vos, qui nunc per breve tempus (si ita necesse fuerit,) varii generis calamitates* religionis caussa *sustinetis*. Ἐν ᾧ referri potest ad illud ἐν καιρῷ ἐσχάτῳ, Vs. 5. Tum ἀγαλλιᾶσθε positum erit pro futuro ἀγαλλιάσεσθε, *gaudebitis, felicissimi eritis*. Alii supplent χρήματι, *quapropter*, et referunt hoc ἐν ᾧ ad totam rem, de qua in praecedentibus erat sermo. Illa magna bona expectata perfundunt vos maximo gaudio. Matth. V, 12. Εἰ δεῖ ἐστι, *si ita oportet fieri*, Act. XIV, 22., *si aliter fieri nequeat*, nimirum ex rerum in quibus estis, hominumque inter quos versamini, natura, per ingenia et indolem hominum, Iudaeorum et Paganorum, qui vos odio prosequuntur. Expectatis hanc felicitatem, quanquam nunc ad tempus aliquod, (nempe dum brevis haec vita durat,) tristitiam sentiatis ex variis calamitatibus, quas vobis inferunt et gentes incredulae, et Iudaei. Ὀλίγον, sc. μέρος χρόνου, *per breve tempus*. Nihil enim est vitae huius duratio ad illam aeternitatem.

7. Ἵνα τὸ δοκίμιον—ἀποκαλύψει Ἰησοῦ Χριστοῦ) *Ut probata constantia vestra, multo pretiosior auro perituro, quamvis igne probato, sit vobis laudi, honori et gloriae, eo tempore quo Christus gloriose apparebit.* τὸ δοκίμιον ὑμῶν τῆς πίστεως, id, per quod exploratur fides vestra. Exploratur autem fides, sive certa expectatio futurae felicitatis per miserias et calamitates. Videtur tamen h. l. intelligi fides, fiducia et constantia ipsa per calamitates explorata. Δοκίμιον nempe positum esse videtur pro δοκιμή, ut Iac. I, 3. *Exploratio vestra*, i. e. *fidei vestrae* ex Hebraismo est πίστις δοκιμαζομένη, *fides explorata.* Haec fides est multo pretiosior *auro perituro*, χρυσίου τοῦ ἀπολλυμένου. Auro, omnium longe praestantissimo metallo, pretiosius dicitur id, cuius summus est valor, summum pretium. Summum autem pretium habet fides et in religione constantia, calamitatibus explorata, quia genuinum est criterium amoris in Deum et Christum, et quia fructus eius aeterne duraturi sunt. Χρυσίον ἀπολλυμένον, *periturum* dicitur, quod usu deteritur atque consumitur, vel etiam a furibus aufertur, certe Domino cum eius morte perit, eique nullo amplius usui est. Ἀποκάλυψιν Ἰησοῦ Χριστοῦ esse adventum Christi ad iudicium extremum, ad distribuenda praemia et infligendas poenas, vix est ut admoneamus. Διὰ πυρὸς δοκιμαζόμενον alius uno dicitur verbo πεπυρωμένον. Similis locus est apud Philon. de Sacrif. Ab. et Cain. p. 144. B. ὁ τιμιώτερος χρυσίου λόγος, *sermo quovis auro pretiosior.*

8. Ὃν οὐκ εἰδότες—δεδοξασμένῃ) *Quem oculis non conspectum, amatis, cui, quamvis nec nunc eum*

cernentes, confiditis, de eo gaudebitis gaudio ineffabili et praestantissimo, beatissimo. Εἰδότες pro ἰδόντες quam lectionem habent cod. Reg. nunc num. 9. insignitus, item 7. 27. 29. 61. apud Wetstenium, Lect. 1. Syr. Arr. Aeth. Vulg. Polyc. Irenaeus. Ὃν οὐκ εἰδότες, *quem non vidistis* in terris agentem. Christianis enim, ad quos Petrus scribit, nunquam opportunitas Iesum de facie cognoscendi, obtigerat. Ἄρτι μὴ ὁρῶντες, *nunc eius gloriam et maiestatem non cernentes.* Hi igitur Christum *amabant* et colebant, et *in eum credebant,* habebant eum pro Messia, doctrinae eius obsequium praestabant, omnemque suam felicitatem ab eo expectabant. Ἀγαλλιᾶσθε. Deest obiectum gaudii. Quare supplendum ἐν αὐτῷ ante ἀγαλλιᾶσθε, vel ἐφ' ᾧ, initio commatis. Χαρᾷ ἀνεκλαλήτῳ, *gaudio, quod verbis exprimi nequit, ineffabili.* Χαρὰ δεδοξασμένῃ, *gaudium summum, praestantissimum.* Omnis enim illa futura felicitas saepissime dicitur δόξα, unde gaudium illius dicitur δεδοξασμένον, *summum*, praestantissimum. Ἀγαλλιᾶσθε, Praes. pro futuro.

9. Κομιζόμενοι — σωτηρίαν ψυχῶν) *Reportaturi praemium constantiae vestrae, salutem animorum,* felicitatem quae animos vestros perpetuo et sine fine recreabit. Κομιζόμενοι pro κομισάμενοι. Sed praesenti tempore uti maluit ob rei certitudinem. Κομίζεσθαι, *reportare*, in sensu praemii habemus et 2 Cor. V, 10. Eph. VI, 8. Τὸ τέλος τῆς πίστεως ὑμῶν, *praemium constantiae vestrae.* Τέλος. *merces, praemium*, quia in fine operis datur. Hebraei vocant אַחֲרִית, ut Ierem. XXIX, 11. Vide Rom. VI,

21. 22. Σωτηρίαν ψυχῶν, *salutem vestram*, quae est περιποίησις ψυχῆς, Hebr. X, 39. Σῶσαι ψυχὴν habes apud Iac. I, 21. Intelligitur autem hic *salus* et felicitas omnis Christianorum, non tantum futurae sed et huius vitae. *Wolfahrt der Seelen, geistliches Glück.* De hac enim felicitate est sermo com. 10., ut bene ostendit *Moldenhawer* ad h. l.

10. Περὶ ἧς σωτηρίας — προφητεύσαντες) *Cuius felicitatis rationem accuratius cognoscere studuerunt Prophetae, qui praedixerunt bona vobis eventura.* Ἐξεζήτησαν καὶ ἐξηρεύνησαν, *inquisiverunt et scrutati sunt*, i. e. *diligenter et accurate inquisiverunt.* Viderunt aliquid magni in nostra sera tempora reservari; sed quale id esset, non potuerunt perspicere. Idem sensus Luc. X, 24. Εἰς ὑμᾶς, *vobis*, ut Vs. 4. Praedixerunt bona, quae nobis nunc evenere; sed plerumque sub umbris. Χάριτος, sc. γενησομένης. Χάρις autem hic, ut plerumque in epistolis, est *beneficium divinum*, aut accuratius in plurali numero *beneficia divina.* Non itaque fortuito haec geruntur; sed quod nos factum vidimus, id prophetae veteres, qui fuerunt ante nos, praedixerunt.

11. Ἐρευνῶντες — δόξας) *Sciscitati sunt, quo vel quali tempore futurum esset id, quod illis indicabat Spiritus a Christo datus, qui afflatu suo significabat, quid esset passurus Christus, ac mox ad quantam gloriam evehendus.* Εἰς τίνα ἢ ποῖον καιρὸν ἐδήλου τὸ πνεῦμα, *in quod vel quale tempus monsraret Spiritus*, i. e. quo vel quali tempore esset eventurum etc. Potest etiam suppleri: *respiciens. Ad quod*

aut quale tempus respiciens revelabat etc. Petrus maxime indicare videtur *Danielem*, qui tempus ab angelo inquisivit, ut videre est Dan. IX, 22. 23. τίνα καιρὸν, qua annorum hebdomade; ποῖον καιρὸν, *quale tempus*, libero populo, an serviente, an semilibero. Possunt tamen etiam τίς καὶ ποῖος haberi pro synonymis. Τὸ ἐν αὐτοῖς πνεῦμα, sc. ὤν, sive λαλοῦν. *Spiritus Christi* autem vocatur vel ex obiecto, quia res Christi praesignificabat, vel quia iam tum a Christo datus est Prophetis. Esset igitur Spiritus Messiae operatio Messiae, quae prophetas inspiravit, ut talia praedicerent. Τὰ εἰς Χριστὸν παθήματα, i. d. τὰ Χριστῷ ἀποβησόμενα παθήματα. Luc. XXIV, 25. 26. Actor. XXVI, 23. Καὶ τὰς μετὰ ταῦτα δόξας sc. ἐσομένας, resurrectionem Christi, ascensum in coelos, missionem Spiritus sancti, gentium vocationem, et ipsum eius summum imperium. Philipp. II, 9.

12. Οἷς ἀπεκαλύφθη — διηκόνουν αὐτά) *Quibus haec revelata sunt, ut nostro bono, non suae ipsorum utilitatis gratia annunciarent ea.* ὅτι οὐχ ἑαυτοῖς, i. e. οὐχ ἑαυτοῖς δὲ, ἀλλ' ἡμῖν, vel ut alii habent ὑμῖν, non sibi, sed vobis, *vestro commodo*, ad vestram in Iesum Messiam fidem confirmandam et augendam. Διακονεῖν h. l. est *annunciare*, ut apud Iosephum Ant. VI, 13. ταῦτα δὲ τῶν πεμφθέντων διακονησάντων πρὸς τὸν Νάβαλον. ἃ νῦν — ἀπ' οὐρανοῦ) *Quae nunc vobis plene explicata sunt per Apostolos, et eorum adiutores, donatos coelitus spiritu sancto*, i. e. donis maioribus, quam ipsi prophetae habuere. Εὐαγγελίζειν, aut εὐαγγελίζεσθαι sensu

activo non raro apud Scriptores N. T. Accusativum personae regit vice Dativi, Luc. III, 18. Act. VIII, 25. 40. et alibi saepe. Ideo praecesserunt prophetarum vaticinia, quo certior esset fides nobis Apostolis, qui nunc eadem vobis annunciamus facta, quae praedixerant illi futura. εἰς ἃ — παρακύψαι) i. e. *Quae angeli cum summo gaudio et voluptate contemplantur.* Ἃ hic significat omnes res istas, de quibus egerat, quas Angeli ipsi, antea non percognitas, cum summo gaudio nunc perspiciunt. Παρακύπτειν hic sumitur, ut Iac. I, 25. Ἐπιθυμοῦσιν, amant. Non igitur mirum, si prophetae concupiscebant cernere ea, quae nobis nunc eveniunt bona, quum ipsis etiam angelis sit admodum iucundum gratumque spectaculum.

13. Sequitur hortatio ad studium sancte vivendi ex superiore illa beneficiorum commemoratione deducta, quae extenditur inde usque ad cap. III, 16. διὸ ἀναζωσάμενοι — Ἰησοῦ Χριστοῦ) *Quapropter parato estote animo* (ad peragenda christianae pietatis officia) *ut solent qui lateribus succincti sunt, sobrii estote, assidue expectate beneficia vobis exhibenda in adventu Iesu Christi.* Διὸ, quum tantus vobis honor sit destinatus, tanta felicitas parata. Verba: ἀναζωσάμενοι τὰς ὀσφύας τῆς διανοίας ὑμῶν, sine paraphrasi vix possunt latine reddi. Quid enim essent lumbi animi? Et quid esset succingere animi lumbos? Ergo mixta est *imago* rei et *res* imagine expressa. Christiani comparantur cum hominibus iter parantibus, vel aliud quodvis negotium aggredientibus. Orientalium vestes erant laxiores atque demissiores. Ne igitur iis huc illuc diffluentibus impedirentur, succingebant eas circa lumbos.

Exod. XII, 11. Luc. XII, 35. Io. XIII, 4. Sic Christiani remotis impedimentis parati esse debent ad peragenda omnia pietatis officia, promto animo facere quod faciendum est. Νήφειν, *sobrium esse*, *vigilare*. Vigilant autem Christiani, dum cavent ne peccatorum illecebris irretiantur, et occasiones recte agendi quaevis promto animo arripiunt, iisque utuntur. Τελείως, *ad finem usque*, constanter. Construe cum ἐλπίσαντες. In verbis sequentibus est traiectio, pro ἐπὶ τὴν χάριν τὴν φερομένην ὑμῖν ἐν ἀπ. Ἰ. Χ. Χάρις autem, *beneficium* ponitur, pro summo effectu divinae benevolentiae, i. e. felicitate aeterna. Φέρειν h. l. est *offerre*. Haec felicitas aeterna nunc offertur omnibus, qui obtemperant Evangelio, sed possidebitur ἐν ἀποκαλύψει Ἰησοῦ Χριστοῦ, quum palam ostendet maiestatem suam cunctis hominibus et angelis et daemonibus Dominus noster Iesus Christus.

14. Ὡς τέκνα — ἐπιθυμίαις) *Tanquam filii* (Dei) *obedientes*, *non amplius indulgete pristinis cupiditatibus*, *quibus tempore ignorantiae vestrae* (in Iudaismo vel Paganismo) *dediti fuistis*. Τέκνα ὑπακοῆς, i. e. ὑπήκοα. Συσχηματίζεσθαι, *transformari*, certam formam habitumque induere; atque ita συσχηματίζεσθαι cupiditatibus pristinis, est inire pristinam peccandi societatem ac consuetudinem. Ἄγνοια est *tempus ignorantiae*, ante professionem religionis Christianae susceptam.

15. Ἀλλὰ κατὰ — γενήθητε) *Sed ad exemplum eius*, *qui vos Christianos esse voluit*, *et ex omni parte bonus est*, *vestra etiam vita et conversatio*

tota sit inculpata et integra. Κατὰ est nota similitudinis: *ad exemplum.* Ἅγιος, קָדוֹשׁ, vocatur Deus, ob summam perfectionem, ob quam veneratione nostra est dignissimus. Nos eum amore boni et iusti imitari debemus; non enim agnoscet pater filios, nisi sui similes.

16. Διότι — ἅγιός εἰμι) Levit. XI, 44. et XIX, 2. Si hoc dictum Israelitis illo tempore, quanto magis hoc tempore, plus sanctitatis requirente! Non vobis suffecerit Mosaica puritas, ut abstineatis a contactu cadaverum, ut lotos habeatis pedes etc., sed totum pectus vestrum Deus vult procul abesse ab omnibus vitiorum inquinamentis.

17. Καὶ εἰ πατέρα — ἔργον) *Imo, quum eum religiose colatis patrem, qui sine personarum respectu* (partium studio) *diiudicat quemque secundum facta sua.* Καὶ, ut interdum hebr. ו, *immo.* Εἰ, כִּי, *quoniam, quum.* Ἐπικαλεῖσθαι, *religiose invocare, colere.* Ἀπροσωπολήπτως, *sine partium praeposterο studio.* Non aestimat quenquam ex genere aut fortuna, sed tantum ex vitae ratione et moribus. Vos igitur Iudaeos non magis excusatos habebit, quam e gentibus natos, Actor. X, 34. Ἔργον, Singulare pro Plurali, ut Iac. I, 15. ἐν φόβῳ — ἀναστράφητε) *Cum verecundia summa moderamini vitam vestram, donec agitis in terra quasi peregrina.* φόβος, *verecundia, cautio*, quae in eo est, ut semper de nobis cogitemus, et solliciti simus, ne peccemus. Potest etiam ἐν φόβῳ verti: *religiose*, pia veneratione Dei, vel cum reverentia erga Deum, quae obsequio demon-

stratur, *mit ehrfurchtsvollem Gehorsam*. Hoc obsequium cum reverentia coniunctum vocatur *Φόβος*, quia unicuique venerationis generi aliquid timoris admixtum esse solet, ne ei, quem veneramur, ulla in re displiceamus. Τον χρόνον, Accusativus durationis. Ἡ παροικία, latine *incolatus*. Intelligi potest peregrinatio Iudaeorum inter Paganos, vel etiam, quod praeferendum, nostra in his terris peregrinatio. Cf. Hebr. XI, 13. sqq.

18. Εἰδότες — πατροπαραδότου) *Considerantes, vos non caducis rebus, argento vel auro liberatos fuisse ab inepta vestra vivendi ratione, a maioribus accepta.* Μάταια ἀναστροφή, *inepta vivendi ratio*, nam μάταιον, *vanum, ineptum*, ut Tit. III, 9. *Idololatriam* saepe voce μάταιον exprimi, verum quidem est; sed haec significatio non semper locum habet. Mores Iudaeorum aeque ac Paganorum erant *inepti, vani*, nullius pretii. Ἐλυτρώθητε, *redemti, liberati estis*, a scelesta agendi ratione, a dominio scelerum. Id factum esse, dicit Petrus, pretioso sanguine, i. e. *morte* Christi. Nempe mors Christi est argumentum et caussa, cur sancte vivendum sit. Tit. II, 14. Aequum est, ut eum amemus, eumque imitemur, qui salutis nostrae ita cupidus fuit, ut etiam mortem oppeteret, quo nos reconciliaret Deo. Agnoscendum est etiam hac in re maximum Dei beneficium, qui filium unigenitum morti tradidit pro nostra salute. Pro maximo beneficio amorem et obsequium debemus Deo.

19. Ἀλλὰ τιμίῳ — Χριστοῦ) *Sed pretioso sanguine agni plane intemerati, Christi.* Τιμίῳ αἵματι,

cruenta, quae maximi pretii est, morte. Αἷμα, pro cruenta morte. Ἀμνοῦ ἀμώμου καὶ ἀσπίλου. *Eius qui similis erat agno vitii experti, et maculae nescio.* Ἄμωμον, cui nulla pars necessaria deest; ἄσπιλον, in quo nulla est deformitas. Utrumque dicitur de sacrificiis, et victimis. ὡς h. l. ut saepe in N. T. ponitur pro ἀληθῶς, *omnino, vere.* Agni expertes vitii corporis olim mactari solebant, talesque victimae Deo erant gratae. Christus autem, Filius Dei, erat innocentissimus, vere omnis vitii expers. Hunc igitur Deus probat, eiusque morte acquiescit, resipiscentibus, qui respectu ad eius mortem habito, veniam petunt, condonat. Sensus idem, qui 1 Cor. VI, 20. Rom. XIV, 7. 8. 9.

20. Προεγνωσμένου — δι' ὑμᾶς) *Qui destinatus erat* (huic negotio, ut nos liberaret a vitiis) *ante mundum conditum, ostendit autem se mundo his demum temporibus, vestro bono.* Προγινώσκειν, antea destinare. Καταβολή, *initium. Ante mundum conditum*, i. e. ab aeterno. Ἐφανερώθη, apparuit, homo factus inter homines docuit, passus et mortuus est, omninoque opus, cui peragendo a Patre destinatus fuerat, peregit. Ἐπ' ἐσχάτων τῶν χρόνων, *his demum temporibus.* Cf. Hebr. I, 1. Δι' ὑμᾶς, *propter vos*, i. e. vestro bono. Alios homines non excludi, per se patet.

21. Τοὺς δι' αὐτοῦ — εἶναι εἰς Θεὸν) *Qui nunc per eius doctrinam commoti confiditis Deo* etc. Δι' αὐτοῦ, *per eum*, i. e. per eius doctrinam, et propter maxima beneficia vobis praestita, Ioan. XIV, 6. Hebr.

VII, 25. Firmiter persuasum est vobis, eum, qui Christum a morte liberavit, summaque gloria auxit, vobis etiam eadem bona esse largiturum. Ὥστε τὴν πίστιν καὶ ἐλπίδα εἶναι εἰς Θεόν, *ita ut fiduciam vestram et spem collocare possitis in Deum.* Christo eiusque religioni debetis, quod a Deo omnipotente, optimo, quaevis bona tuto expectare possitis. Frustra populares vestri vobis obiiciunt, vos a Deo defecisse; nam illa ipsa fides vestra et spes per Christum in eum Deum tendit, cuius illi se cultores profitentur.

22. Τὰς ψυχὰς—ἀνυπόκριτον) *Iam, quum animos vestros per obsequium erga veram doctrinam, Spiritu iuvante, purgaveritis ad amorem fraternum non simulatum.* Ἁγνίζειν, *purgare.* Desumta est similitudo a lustrationibus lege Mosaica praescriptis, quibus praeparabantur ad sacra facienda. Exod. XIX, 10. Illae lustrationes fiebant ablutione corporis et vestium. De Christianis autem Petrus: *Puri redditi* sunt ac praeparati *animi vestri*, non observatione lustrationum Mosaicarum, sed ἐν τῇ ὑπακοῇ τῆς ἀληθείας, *per obedientiam veritati Evangelicae praestitam.* Purgamus mentem, quum sensus pravos eiicimus, et bonos sensus, amorem virtutis sumimus. Ἀλήθεια hic ut saepe est *religio vera, christiana.* Ἡ ὑπακοὴ τῆς ἀληθείας est susceptio religionis, obsequium praestitum invitationi ad suscipiendam religionem. Ad hanc perducti erant διὰ πνεύματος, per Spiritus sancti operationes et dona eximia; sive potius, per institutionem factam per Apostolos Spiritu sancto a Deo edoctos. Supra Vs. 2. ἐν ἁγιασμῷ πνεύματος. Deest hoc in nonnullis Codicibus, Versionibus

et Patribus. ἐκ καθαρᾶς—ἐκτενῶς) *Animo non simulato amate vos invicem impense.* Ἐκ καθαρᾶς καρδίας, eodem sensu, quo 1 Tim. I, 3. Ἐκτενῶς, *vehementer*, haud perfunctorie. Quemadmodum Christus vos dilexit amore haud vulgari, ita et vos, quemadmodum edocti estis per christianam religionem, sincero et eximio charitatis studio vos invicem prosequamini. Benevolentia et commodis aliorum quovis modo inserviendi studium impensum hic ut alibi saepe instar omnium virtutum Christianis commendatur.

23. Ἀναγεννημένοι—ἀφθάρτου) *Novam adepti estis vitam, non ex semine mortalium hominum, sed ex immortali semine.* Ἀναγεννημένοι sc. ἐστε, *de novo quasi geniti*, i. e. emendati animis, et per hanc studiorum emendationem in statum felicissimum translati estis, adepti spem certissimam aeternae felicitatis. Addit Petrus: οὐκ ἐκ σπορᾶς φθαρτῆς, *non ex semine caduco*, i. e. hanc dignitatem et felicitatem non debetis origini a mortalibus hominibus. Hoc dictum est adversus Iudaeos, qui gloriabantur, quod ex Abrahamo ducerent genus. Illustrari potest hic locus ex Io. I, 13. III, 6. Ἐκ ἀφθάρτου sc. σπορᾶς, *e semine perenni*, e semine, quod nunquam perit, sed semper vim suam exserit, et ad vitam felicitatemque aeternam ducit. Quale hoc semen sit, id statim propriis verbis enunciatur: διὰ λόγου — αἰῶνα) *Nempe per eam doctrinam, quae auctorem habet Deum aeternum, et semper manebit.* Verba μένοντος εἰς τὸν αἰῶνα referri debent ad doctrinam. Haec manet in aeternum; quicquid enim Deus dixit, id in aeternum verum est, prodest et valet. Oppositio facile perspicitur. Ab hominibus mortalibus nascuntur mor-

tales. Deus autem aeternus per doctrinam vi perenni praeditam renovat vos ad vitam felicitatemque aeternam.

24. Διότι — ἄνθος χόρτου) *Nam omnes homines similes sunt gramini, et tota eorum praestantia dignitasque similis est floribus agri.* Ies. XL, 6. 7. Qui locus citatur, ut opponatur firmitas τοῦ λόγου et ῥήματος divini, Vs. 25. Σάρξ, *homo*, ex mortali semine natus, Vs. 23. Io. III, 6. Δόξα ἀνθρώπου, quicquid in rebus humanis magnificum ducitur, forma, vires corporis, eruditio humana, divitiae, honores, ita sunt, ut herbae viror. Pro ἀνθρώπου legendum videtur αὐτῆς. ἐξηράνθη—ἐξέπεσε) *Exarescit gramen, et illius flos decidit.* Hebraico more praeteritum positum est pro praesenti, et explicatur similitudo hominis cum gramine. Sicuti flores agri subito pereunt, sic etiam hominum vita brevis est. Bene cohaeret hoc comma cum praecedente. Nexa enim sunt haec verba cum illis: οὐκ ἐκ σπορᾶς φθαρτῆς. Vana erat Iudaeorum gloriatio de natalium ex Abrahamo dignitate. Nam gloria haec erat brevis; peribat cum vita hac mortali.

25. Τὸ δὲ ῥῆμα — αἰῶνα) Ex Ies. XL, 8. Immutabiliter vera est doctrina divina; semper exserit vim suam et efficaciam, et ducit ad vitam aeternam. τοῦτο δὲ—εἰς ὑμᾶς) Εἰς ὑμᾶς, לכן, *vobis*, ut supra com. 4. Vult dicere, illa verba Iesaiae sensu excellentissimo valere de Evangelio. Hoc enim aeterna bona offert, et nobis ad salutem aeternam consequendam prodest. Quum igitur non caduca, sed aeterna bona nobis promittat, eius caussa debemus etiam sanctitati studere.

CAP. II.

1. Ἀποθέμενοι — καταλαλιάς) Verbum ἀποτίθεσθαι eodem sensu habemus Iac. I, 21. Eph. IV, 22. 25. Κακία, alibi nomen generis, hic speciei, ut latinum *malitia*. Illa maxime vitia notat Petrus, quae inter Iudaeos latissime regnaverant.

2. Ὡς ἀρτιγέννητα — ἐπιποθήσατε) *Quasi recens nati infantes doctrinae purum animi lac inhiate, ut per illud crescatis.* Pergit Apostolus in metaphora supra I, 23. coepta. *Recens nati* vocantur ii, ad quos Petrus scribit, Christiani, quia admodum nuper doctrinam Evangelii receperant. Proselytos ita fuisse appellatos, docuit *Wetstenius* ad h. l. Γάλα λογικὸν, *lac nutriens animam*, vel potius lac *doctrinae christianae*; nam λόγος, unde λογικὸν, saepe est, *doctrina*. Videtur Petrus eandem doctrinam, quam supra c. I, 23. cum semine comparaverat, nunc comparare cum lacte. Apta est haec comparatio. Nam vita nova, quam acceperant per doctrinam, nutrienda etiam et alenda erat per eandem doctrinam. *Lac* autem vocantur prima doctrinae rudimenta, quia haec lactis instar sunt, quo infantes nutriuntur, 1 Cor. III, 2. Ἄδολον, *sincerum*, non aliis rebus mixtum, ac proinde sanitati animae conducens. Ἐπιποθεῖν, *avide concupiscere*, ut infantes recens nati lac appetere solent. Sensus est: Homines quum sitis, qui novam vivendi sentiendique rationem inire debent, avide discite doctrinam Christi, qua haec nova vita nutritur, similes infantibus

etc. Ἵνα ἐν — σωτηρίαν) *Ut crescatis*, i. e. ad maiorem cognitionem virtutemque progressus faciatis. Εἰς σωτηρίαν, ad perpetuam vestram salutem et emolumentum. Εἰς σωτηρίαν deest quidem in Editionibus vulgaribus; extat vero in cod. Al. Regio 9. et aliis iunioribus. Habet Syra Versio utraque, Arabica Erpenii, Copta, Aethiopica, Vulgata, et ex Patribus Clemens Al. Origenis interp. s. Rufinus, Cyrill. Damasc. Euthalius, Hieron. Gildas, Cassiod. Auctor de promiss. Et recte hoc additur. Nam *incrementum* illud, nempe in cognitione Dei et vera pietate, non alio spectat, quam ad salutem aeternam.

3. Εἴπερ — ὁ κύριος) *Quia experientia cognovistis, quam benignus sit Dominus.* Pergit in coepta translatione. Infantes, qui degustaverunt lac maternum, magis illud appetunt, et desiderant matrem. Ita etiam Christiani, experientia edocti, quam suave sit et salubre lac doctrinae, magno amore feruntur in Christum. Γεύσασθαι hic est, *ipsa experientia teste aliquid cognoscere.* Sic etiam apud Iosephum Ant. II, 10. 3. Respicitur simul ad Ps. XXXIV, 9. Ὁ κύριος autem hic est *Christus.* Ὅτι, *quam.* Χρηστὸς, *suavis*, ut a gustu sumta translatio melius procedat, i. e. benignus.

4. 5. Πρὸς ὃν προσερχόμενοι — διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ) *Ad quem postquam accessistis, tanquam ad lapidem vivum ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem selectum, pretiosum, ipsi etiam aedificamini templum sacrum, sacerdotium sanctum, ut offeratis hostias spirituales, Deo propter Christum*

acceptas. Sensus propriis verbis expressus: A quo tempore Iesum a primoribus Iudaeorum reprobatum, Deo autem carissimum, pro Messia agnovistis, eumque coluistis, ab eo tempore ipsi quoque Deo estis cari; estis pars societatis selectissimorum hominum, Deum secundum praecepta Christi colentium. Inest igitur descriptio dignitatis et excellentiae Christianorum. Cf. infra Vs. 9. Ps. CXVIII, 22. Ies. VIII, 14. et XXVIII, 16. Vide etiam Matth. XXI, 42. et Eph. II, 20. 21. *Homines* hic intellige Iudaeos, sed praecipue eos, qui erant in Synedrio. Hi reprobarunt Iesum, a Deo ipso pro Messia declaratum. Quod in Psalmo est, factum in lapidem angularem, i. e. quo totum aedificium sustineretur, id hic aliis verbis dixit sensu eodem ex Ies. XXVIII, 16. Παρὰ δὲ θεῷ ἐκλεκτὸν, in oculis autem Dei excellentissimum, בָּחוּר, *Ad Christum accedere*, προσέρχεσθαι πρὸς τὸν Χριστὸν, qui hic improprie dicitur lapis vivus, nihil aliud est nisi in eum credere, religionem eius profiteri. Sicuti Christus cum lapide comparatur, ita Petrus nunc Christianos etiam cum lapidibus vivis comparat, ex quibus exstruatur templum, i. e. societas Iesum pro Messia agnoscens, eumque colens. καὶ αὐτοὶ — πνευματικὸς) Vos etiam estis pars templi, allegorice sic dicti; estis membra eius ecclesiae et societatis, cuius Christus est auctor, caput et dominus. Οἶκος πνευματικὸς, vocatur ecclesia, vel universus Christianorum coetus, in universo mundo dispersus. Comparatio instituitur cum templo Hierosolymitano, quod sanctissimum habitum Iudaeis. ἱεράτευμα ἅγιον) *Ordo sacerdotum sanctus; sacerdotes venerabiles*, abstr. pro concreto. Non tantum pars huius

templi sunt Christiani, sed et ipsi Sacerdotes, i. e. tam Deo grati, quam Sacerdotes V. T., qui tantum ex una tribus parte erant. ἀνενέγκαι — Χριστοῦ) i. e. εἰς τὸ ἀνενέγκαι. Θυσίας πνευματικὰς, *sacrificia quae animo offeruntur*, quorum vetera umbrae fuere. Haec autem sacrificia sunt preces, castitas corporis, opera misericordiae. Διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, *secundum Christi praeceptum.*

6. Διότι περιέχει ἐν τῇ γραφῇ) Περιέχει, intransitive, sensu passivo, pro περιέχεται. *Continetur in Scriptura.* In quibusdam Codd. est περιέχει ἡ γραφή. Sed haec emendatio, seu potius corruptio, tribuenda est ignorantiae librariorum, qui receptam lectionem concoquere non poterant. Locus, huic nostro simillimus, est apud Iosephum, Ant. XI, 4. 7. ubi Darius dicitur literas ad praefectos suos misisse, his additis: βούλομαι γίνεσθαι πάντα, καθὼς ἐν αὐτῇ περιέχει, *quae in ea epistola continentur.* ἰδοῦ, τίθημι — καταισχυνθῇ) *Ecce pono in Zione lapidem etc.* Contractus est locus ex Graeco Ies. XXVIII, 16. Sensu primo, sive eo, quo homines Iesaiae tempore viventes haec intelligere debebant, promittitur defensio et securitas, quam Hierosolyma praestare deberet incolis suis, omnibusque qui se eo a Sancheribo recepissent. Σιὼν est urbs Hierosolyma; in hac ponit Deus *lapidem angularem*, promittit eo confugientibus defensionem et securitatem. Sublimiore autem sensu haec valent de Christo, ad quem confugere debent omnes, qui in aeternum servari cupiunt. Tum Σιὼν est universa gens Iudaica, ex qua Christus ortus est; *lapis autem*

angularis est Christus. Messiam, inquit Deus per Prophetam, in Iudaica gente prodire volo etc.

7. 8. Ὑμῖν οὖν — πιστεύουσιν) *Ille lapis vestri ratione habet pretium;* vos eius pretium cognoscitis, dum scilicet cognoscitis, Iesum esse dominum et Messiam. Ἡ τιμή, abstractum pro concr. ἔντιμος, quod praecessit, ad quod alludit. ἀπειθοῦσι — σκανδάλου) *Illis autem qui non confidunt, lapis quem aedificantes reiecerunt, ille ipse factus est lapis vere angularis, ad quem impingunt et cadunt.* Accusat. λίθον est pro nominat. λίθος, quam constructionem habemus etiam Matth. XXI, 52. 1 Cor. X, 16. Vel supple: *quod attinet.* Vide, quae ad illustrandum hunc locum, dicta sunt ad Matth. XXI, 42. Factus est κεφαλὴ γωνίας, *lapis angularis,* quo quis facile offendi potest. Quanquam enim lapis angularis sustinendo aedificio positus est, saepe tamen fit, ut praetereuntes culpa sua ad eum offendant. Sic etiam plurimi Iudaeorum humilitate Iesu offensi ipsum spreverunt et miseri facti sunt. Eadem res nunc magis proprie sic enunciatur: ὅτι προσκόπτουσι — ἀπειθοῦντες) *Qui impingunt sunt ii, qui doctrinae non credunt.* Repudiant Messiam cum omni sua doctrina. εἰς ὃ καὶ ἐτέθησαν) *In quam rem* (incredulitatem) *etiam positi, cui rei destinati sunt.* Phrasis haec accipienda est ex usu vitae communis, quo ea, quae permittente Deo fiunt, referuntur ad actionem effectionemque Dei. Quum igitur h. l. Iudaei, doctrinam de Christo repudiantes, dicantur εἰς τοῦτο τεθέντες, intelligitur, hanc esse sortem eorum; eos esse semel tales; non posse ab iis aliud expectari.

9. Ὑμεῖς δὲ—περιποίησιν) Γένος ἐκλεκτὸν, *populus dilectus*, ex Ies. XLIII, 20., ubi Israëlitae sic vocantur. Christianis nunc hoc nomen potiori iure competit. Βασίλειον ἱεράτευμα, *Regale Sacerdotium.* Sacerdotes summi Regis, Dei. Desumta est haec Christianis a Petro tributa denominatio ex Exod. XIX, 6., ubi in *Hebraeo* מַמְלֶכֶת כֹּהֲנִים, *regnum sacerdotale*, i. e. regnum, cuius cives iuribus et privilegiis sacerdotum fruuntur; cives, quos violare nefas est; in *Graeco* autem l. c. ut hic: *βασίλειον ἱεράτευμα, sacerdotes regii*, i. e. sacerdotes summi Regis, nempe Dei; cultores Summi Dei. Exprimitur maxima Christianorum dignitas. Colunt enim unum, verum et summum Deum excellentiori modo quam olim Israelitarum Sacerdotes, ideoque etiam Deo sunt cariores, unde magna dignitas, quae prae illis Sacerdotibus aliisque hominibus iudicio Dei fruuntur. Ἔθνος ἅγιον, cf. supra cap. I, 15. Sumta verba ex Deut. VII, 6. et XIV, 2., ubi in Hebraeo עַם קָדוֹשׁ. Λαὸς εἰς περιποίησιν, *populus Deo proprius, acquisitus*, סְגֻלָּה. Exod. XIX, 5., ubi in Graeco: λαὸς περιούσιος. Sed Mal. III, 17. idem nomen סגלה vertitur εἰς περιποίησιν. ὅπως τὰς ἀρετὰς—φῶς) *Ut praedicetis* (verbis factisque) *laudes eius, qui vos e tenebris* (ignorantiae, vitiorum et miseriae) *perduxit ad excellentissimam suam lucem*, cognitionem veritatis et felicitatem maximam. Τὰς ἀρετὰς, i. e. *laudes, gloriam*, excelsa Dei attributa. Graeci enim interpretes usurpant pro hebraico תְּהִלָּה, Ies. XLII, 8. *non dabo gloriam meam aliis, nec τὰς ἀρετάς μου τοῖς γλυπτοῖς*, et statim eodem cap. Vs. 12. occur-

rit phrasis ἀρετὰς ἀναγγελεῖν. *Krebsius* interpretatur *benignitatem, beneficentiam, beneficia*, cuius significatus exempla adducit. Sed prior significatio praeferenda est, propter pluralem. Sacerdotum est laudes summi Dei celebrare. Hoc multo magis facere debent Christiani, quorum dignitas maior est illa Sacerdotum dignitate. τοῦ ἐκ σκότους ὑμᾶς καλέσαντος εἰς τὸ θαυμαστὸν αὐτοῦ φῶς, *qui ex ignorantiae vitiorumque tenebris perduxit vos in admirabilem lucem suam evangelicae veritatis.* Hoc sensu σκότος et φῶς saepe iam habuimus. Additur autem hic illud θαυμαστὸν, ad denotandam huius lucis excellentiam.

10. Οἱ ποτὲ—θεοῦ) *Qui olim non populus Dei eratis, nunc populus Dei estis, olim miseri, nunc felices.* Contextus et adiuncta requirunt supplenda haec: οἱ ποτὲ οὐ λαὸς Θεοῦ γεγόνατε, νῦν δὲ λαὸς Θεοῦ ἐστέ. Ex Hos. II, 25., quem locum Petrus aptat iis, qui ex gentibus orti, Rom. IX, 25. ubi dicta vide. Quondam Deus Iudaeos non amavit, quia dediti erant idololatriae; quum autem mutarent mentem, iterum amavit (beneficiis affecit) eos. Hoc Petrus in suam rem transfert. Olim non amavit vos, quia Messiam reiecistis; nunc amat, quia religionem eius fide accepistis. Igitur applicari possunt haec non tantum Paganis, sed etiam Iudaeis, qui nuper facti erant Christiani.

11. Παρακαλῶ—παρεπιδήμους) *Adhortor vos tanquam hospites et peregrinos.* Πάροικοι sunt, qui sedem habent extra patriam; παρεπίδημοι, qui extra

patriam peregrinantur; vel potius πάροικοι sunt *hospites in domu privata*, domesticis oppositi, ξένοι, *peregrini in republica*, oppositi civibus. Possunt etiam pro Synonymis haberi. Hoc loco sic vocantur iidem illi Christiani, extra Palaestinam inter gentiles viventes, quorum c. I, 1. facta est mentio. Ex praesente ipsorum statu eos admonet sortis communis omnium hominum, qui in terris agunt ad tempus breve, nec tanquam in suo. Cf. supra I, 1. Huc Petrum respexisse, id sequens admonitio docere videtur. Non enim cohaeret: Vivitis peregrini extra patriam vestram Palaestinam, ergo abstinendum est a cupiditatibus pravis etc. Sed optime cohaeret: Brevis est haec vita, potior est animus post mortem etiam superstes corpore caduco; ergo posthabitis voluptatibus pravis corporeis, animi saluti consulendum est. ἀπέχεσθαι — τῆς ψυχῆς) *ut abstineatis ab implendis cupiditatibus pravis, contra spiritum quasi militantibus*, et animae saluti noxiis. Ἐπιθυμίαι σαρκικαὶ, quae ἐπιθυμίαι σαρκὸς, Gal. V, 26. *Militant adversus Spiritum*, repugnant menti. ψυχὴ h. l. id quod alias πνεῦμα. Mens autem, corpori opposita significat rectam rationem et cognitionem meliorem. Cupiditates pravae impediunt hanc meliorem cognitionem, et salutem animae.

12. Τὴν ἀναστροφὴν—καλὴν) *Vitam honestam inter paganos ducite.* Ἔχοντες, sc. ἐστε, i. e. ἔχετε. Vide Iac. III, 13. Ἐν τοῖς ἔθνεσιν, in conspectu gentium, inter quas vivitis, a quibus ob religionis diversitatem observamini. ἵνα ἐν ᾧ — ἐπισκοπῆς) *Ut in eadem re, qua contra vos tanquam maleficos obloquuntur, ex operibus bonis vos penitius cognoscen-*

tes, Deum celebrent tempore ipsis etiam *oblatae salutis.* ἐν ᾧ vel: *dum;* vel potius: *in eadem re, qua* καταλαλοῦσιν, scil. adversarii, ἄφρονες ἀνθρωποι, de quorum temeritate statim Vs. 15. Ethnici religionem christianam existimabant esse *maleficam* superstitionem, reipublicae noxiam. Hanc obtrectationem refellere debebant Christiani integritate morum, et in omnes beneficentia. Ἐκ τῶν καλῶν ἔργων ἐποπτεύσαντες, sc. ὑμᾶς, quando ex bonis operibus vestris vos penitius cognoscent. *Vitam gerite probam inter gentes*, ut non solum honestius de vobis sentiant quum vos penitius cognoverint, sed etiam δοξάσωσι τὸν Θεὸν, *celebrent Deum*, et aequiore animo erga religionem christianam esse incipiant. Nam δοξάζειν, *laudes divinas celebrare* de omnis generis cultu divino dicitur. Ἐν ἡμέρᾳ ἐπισκοπῆς, *die visitationis*, i. e. *salutis oblatae*, בְּיוֹם פְּקֻדָּה, quando Deus ipsos etiam hoc beneficio afficiet, ut salubritatem doctrinae christianae agnoscant. Eodem sensu haec phrasis occurrit Luc. XIX, 44. Ceterum differunt interpretes. Explicant enim verba ἐν ἡμέρᾳ ἐπισκοπῆς 1) *de tempore calamitatis et poenae*, ut Ies. X, 3.; 2) *de tempore inquisitionis*, quum magistratus ethnici tempore persecutionis inquirent in Christianos; 3) *de tempore visitationis gratiosae*, quum iisdem obtrectatoribus vestris annunciabitur doctrina Evangelii; 4) *in die censorio*, ut *Boysen* explicat. Sensus secundum Grotium est: quum conspicient gentes illae solos Christianos immunes ab illis malis, quae Iudaeis ob turbulenta ac seditiosa illorum ingenia ubique locorum impendent. Sed nostra interpretatio non tantum usui loquendi, sed etiam nexui sermonis aptissima esse vide-

tur. Ethnici (inquit Petrus,) nunc habent vos tanquam maleficos, facinorosos, reipublicae noxios, obtrectant vobis tanquam talibus, qui Deos immortales et magistratus malitiose spernatis. Sed quando vos ex bene factis vestris penitius cognoscent, tum ipsi erga religionem christianam aequiores esse incipient, imo ipsi eam amplectentur ἐν ἡμέρᾳ ἐπισκοπῆς, quando Deus pro sua benevolentia iis salutem per Evangelium offeret.

13. Ὑποτάγητε — ὑπερέχοντι) Ὑποτάγητε, *subiectos vos gerite*, Passivum pro Hithpaël. Πάσῃ ἀνθρωπίνῃ κτίσει, *omni magistratui rite constituto*. Κτίσις, *ordinatio*, ut κτίζειν, בָּרָא, *creare, ordinare*, Sirac. XXXVIII, 12., sicut etiam Latini dicunt: *creare magistratum*. *Ordinatio humana* igitur est constituta ab hominibus, nempe magistratus. Est autem κτίσις vocabulum commune, quo omnis generis magistratus comprehenduntur, ut patet ex addito πάσῃ, i. e. *omnis generis* (Eph. IV, 19. V, 3.), quod ex eo etiam intelligitur, quod ἀνθρωπίνῃ illa κτίσις mox in varias imperantium personas, quales sunt βασιλεὺς et ἡγεμόνες, distinguitur. Διὰ τὸν κύριον, *propter Christi praeceptum*. Βασιλεὺς h. l. est *Caesar Romanus*. Romani eos vocabant Imperatores, non Reges, religione iurisiurandi veteri, ut ait Cyprianus. At Graeci non dubitabant eos appellare βασιλέας, et Iudaei similiter מלכים, nimirum quia plane regia, id est, liberrima utebantur potestate, ut *Dion* nos docet. Ὑπερέχων, *supereminens* i. e. supremus.

14. Εἴτε ἡγεμόσιν — ἀγαθοποιῶν) *Sive Praefectis, qui illius loco sunt, et puniunt male facta, ac prae-*

mium dant recte agentibus. Hoc addit Petrus, quia Iudaei animo erant infenso in magistratus Romanos et saepe iugum excutere volebant. Ἡγεμών, ἡγεμονία, ἡγεμονεύειν de omni, inprimis autem paullo maiori potestate adhibentur. Interdum Legati Caesaris, qui nomine et auctoritate Caesarum in provincias illorum mittebantur, dicuntur ἡγεμόνες, eorumque praesidatus et imperium ἡγεμονία. Hic in specie intelliguntur Proconsules, tum Asiae, tum Bithyniae. Ὡς δι' αὐτοῦ πεμπομένοις, *tanquam a Caesare missis*, i. e. potestatem suam ducentibus. Itaque si Proconsul aliquid iubeat, et aliud Imperator, obsequium praestandum maiori. Εἰς ἐκδίκησιν κακοποιῶν, ἔπαινον δὲ ἀγαθοποιῶν, *ad puniendos malos, remunerandos autem probos;* nam ἐκδίκησις, *punitio*, ἔπαινος, *praemium.* Per magistratus scelera puniuntur, et quietem amantibus quies praestatur pro praemio. Si quando ignorantia aut affectibus peccant, illatas sic iniurias Deus repensabit. Immo et principes iniquos puniet, haud dubie in altero seculo, non raro et in hoc ipso.

15. Ὅτι οὕτως — ἀγνωσίαν) *Hoc enim vult Deus, ut bene agendo ad silentium redigatis eos, qui ex ignorantia vobis obtrectant.* Ἀγαθοποιεῖν interdum est *beneficia conferre;* sed hic simpliciter significat *recte agere*, quo sensu et ἀγαθοποιὸς modo habuimus. Φιμοῦν, *os obstruere*, ad silentium redigere, ut sileat aliquis cogere. Ἀγνωσία, *ignorantia*, i. e. dicta quae ex ignorantia oriuntur. Intelligitur ignorantia Paganorum, quibus ignota erat praestantia religionis Christianae: et ἄφρονες *insipien-*

tes, hic vocantur infideles, nihil sapientes, nempe circa divina.

16. Ὡς ἐλεύθεροι — δοῦλοι θεοῦ) Ἐλεύθεροι, *liberi*, nempe a vitiis, Io. VIII, 33. 36. Rom. VI, 18. 22. Liberi etiam erant Christiani a iugo legis Mosaicae, et a necessitate colendi Deos Gentilium. Iudaei autem affectabant etiam libertatem politicam, solum Deum esse Regem Israëlitarum dicentes. Quare addit Petrus: καὶ μὴ ὡς ἐπικάλυμμα ἔχοντες τῆς κακίας τὴν ἐλευθερίαν, *non libertatem christianam sumentes obtentui ad res malas*, ut faciebant Iudaeo-Christiani, qui regem politicum et regnum Christi visibile in his terris expectantes, Christianos ab omnibus publicis legibus dicebant esse liberos, κυριότητα ἀθετοῦντες, ut ait Iudas. Ἐπικάλυμμα, proprie *velamen*, *tegumentum*, metaphorice: *id, quo aliquid excusatur*, *praetextus*, *Deckmantel*, *Beschönigung*, bene vertitur *obtentus*. Sic Gellius: *Qui obtentu philosophici nominis inutile otium, et linguae vitaeque tenebras sequuntur.* Ἀλλ' ὡς δοῦλοι τοῦ θεοῦ, legibus divinis adstricti, ac proinde etiam servi eorum, quibus Deus servire nos iubet. Vult enim Deus esse magistratus, quibus obediamus.

17. Πάντας τιμήσατε) *Omnes honorate*. Nempe quibus honos aliquis debetur, ut Rom. XIII, 7. Hoc dictum generale iam per species suas explicabit. *Pott* et ante eum *Beza*, eam verbi τιμᾶν significationem praefert, quae latius patet, et non *honorem* tantum, sed etiam *mutua charitatis officia* complectitur. Sic non opus esset, hoc praeceptum Petrinum ad eos re-

stringere, quibus honos quis debetur. Exempla huius significationis produxit ex Profanis *Georgius* in Vindiciis Novi Testamenti. Vid. *Wolfii* Curas ad h. l. τὴν ἀδελφότητα ἀγαπᾶτε) *Fraternitatem*, i. e. coetum Christianorum, omnes Christianos. Abstractum pro concreto positum. τὸν θεὸν — τιμᾶτε) Φοβεῖν, *revereri*. Deo sine exceptione parete. Τὸν βασιλέα τιμᾶτε, Imperatori suum exhibete honorem.

18. Οἱ οἰκέται—σκολιοῖς) *Servi, parete cum omni submissione Dominis, non tantum bonis et mitibus, sed etiam austeris.* Οἱ οἰκέται, qui δοῦλοι Paulo, *mancipia*. Ὑποτασσόμενοι, sc. ἐστὲ, ut Vs. 13. Ἐν παντὶ φόβῳ, *cum omni debita reverentia*. Eph. VI, 5. Ἀγαθὸς, *benignus ac lenis*, Matth. XX, 15. Σκολιὸς, *difficilis, morosus, pravus*. Non sublatam vult Apostolus conditionem servilem inter Christianos, sed potius servos christianos ad singula officia heris praestanda hortatur.

19. Τοῦτο γὰρ — ἀδίκως) *Hoc enim gratum est Deo, si quis ex conscientia eius quod Deo debet, mala suffert, et iniuste patitur.* Post χάρις, codices nonnulli, ut et Versiones aliquot addunt θεοῦ, θεῷ, παρὰ τῷ θεῷ, *gratum est Deo*, vel summum nobis Dei favorem conciliat. Διὰ συνείδησιν θεοῦ, *ex conscientia eius, quod Deo debet;* per meton. obiecti. Alii: *ob veram religionem*, ut sibi conscius sit, se non ob maleficium, sed ob honorem Dei pati; sensu fere eodem. Λύπας, i. e. τὰ λυπηρὰ, *tristia*, ut Gen. III, 16. Πάσχων (sc. αὐτὰς) ἀδίκως, *praeter ius, praeter culpam.*

20. Ποῖον—ὑπομενεῖτε;) *Quid enim laudis fuerit, si propter malefacta ignominiose tractati, patienter id perfertis?* Κολαφίζειν, per meton. spec. pro gen. *ignominiose tractare.* Ἁμαρτάνοντες καὶ κολαφιζόμενοι per Hendyadin pro διὰ τὸ ἁμαρτάνειν κολαφιζόμενοι. ἀλλ' εἰ—θεῷ) *Si vero recte agentes mala perfertis, hoc Dei benevolentiam vobis conciliat.* Ὑπομενεῖτε, sc. παθήματα, cruciatus fertis. Ἀγαθοποιεῖν iterum est *recte honesteque agere.*

21. Εἰς τοῦτο γὰρ ἐκλήθητε) *Hac enim conditione Christiani facti estis*, ut nempe Christi sequeremini vestigia, virtutem coleretis, et dura omnia conscientiae caussa sustineretis. ὅτι καὶ Χριστὸς — ἴχνεσιν αὐτοῦ) Ὑπὲρ ὑμῶν, non sui caussa, sed pro vobis, et salutis vestrae caussa. Ὑπογραμμός, *praescriptum, exemplar;* deinde sumitur etiam pro omni eo, quod imitandum est. *Vestigiis alicuius insistere* Latini etiam dicunt, pro *aliquem imitari.*

22. Ὃς ἁμαρτίαν—στόματι αὐτοῦ) Sensus est: *Qui nec factis nec dictis unquam peccavit.* Est descriptio hominis ex omni parte innocentis et perfecti. Verba desumta sunt ex Ies. LIII, 9. Qui nullo suo crimine, nec factis nec dictis commisso, in mortem actus est. *Fraudulenter loqui* omnino est sceleste loqui, *durch Reden sündigen.* Εὑρέθη, נִמְצָא, quod per ἦν vertitur Ies. XXXIX, 2.

23. Ὃς λοιδορούμενος — δικαίως) *Quum conviciis impeteretur, convicia non reddidit, quum patere-*

tur, non minatus est, sed caussam suam commisit ei, qui iuste iudicat. Vide Matth. XXVI, 63. 68. XXVII, 12. 29. 39. et sequentibus. Πάσχων οὐκ ἠπείλει, quum captus duceretur, vinciretur, flagris caederetur, affigeretur cruci, ne verbum quidem minax edidit, quo perfectius nobis daret exemplar patientiae. Παρεδίδου, sc. κρίσιν, quod nomen Syrus non male supplet, vel τὴν αἰτίαν αὐτοῦ, *caussam suam* commisit ei, qui iuste iudicat, semper scilicet. Nam homines saepe iniuste iudicant, ut Synedrium et Pilatus.

24. Ὃς τὰς ἁμαρτίας — ξύλον) *Qui poenas peccatorum nostrorum ipse pertulit in sua persona, et quidem in ligno crucis.* Ἁμαρτία, saepe est *culpa peccati*, ut Io. IX, 41. XV, 22. 24. Act. XXII, 16. Ἀναφέρειν, pro φέρειν, נָשָׂא. Vs. 5. hoc verbum de *hostiis* adhibetur; hic de *peccatis*, quibus quasi susceptis purissima illa hostia, supplicium (cuius genus voc. ξύλον indicatur) tulit, ut prorsus extinguerentur. Ἐπὶ τὸ ξύλον pro ἐν τῷ ξύλῳ. Ἐν τῷ σώματι αὐτοῦ, synecdochice, *in sua ipsius persona.* Alii vertunt: *qui peccata nostra ipse suo corpore in crucem deportavit.* ἵνα ταῖς — ζήσωμεν) *Ut a peccatorum tyrannide liberati, virtuti vivamus*, i. e. perpetuo demus operam. Sicut γίνεσθαί τινος est, *in potestatem alicuius venire*, sic ἀπογίνεσθαί τινι, *a potestate alicuius liberari.* Peccatum haud raro cum tyranno comparatur. Aliis ἀπογενέσθαι est *mori*, sicut Paulus Rom. VI, 2. dicit: ἀπεθάνομεν τῇ ἁμαρτίᾳ, sensu eodem. οὗ τῷ — ἰάθητε) *Cuius doloribus sanati estis*, i. e. salutem veram estis con-

secuti. Hebraismus. Solent enim Hebraei dicere: אֲשֶׁר בּוֹ et אֲשֶׁר לוֹ et similia. Sumta verba ex Ies. LIII, 5. Μώλωψ, חֲבוּרָה, livorem ex contusione significat, at figurate pro quovis dolore sumitur, ut Gen. IV, 23. Exod. XXI, 25. Multis quidem modis Christi dolores mentes nostras sanarunt. Sed hic maxime respicitur exemplum, quod nobis dedit obedientiae, patientiae, mansuetudinis, dilectionis in mediis doloribus, ut antecedentia et sequentia ostendunt.

25. Ἦτε γὰρ—ψυχῶν ὑμῶν) *Similes ovibus errantibus*, quae pascua non habent, et expositae sunt variis periculis, i. e. valde miseri. Ex Ies. LIII, 6. Ἐπεστράφητε, *reversi estis*. Ἐπίσκοπος est פָּקִיד, *is qui alicuius rei curam gerit*. Est igitur ἐπίσκοπος ψυχῶν, qui animas curat, earumque saluti prospicit, sicut pastor curat oves. Quum Christum dixisset pastorem, ad persequendam similitudinem nunc explicat, quomodo sit pastor. Sensus est: Olim eratis miseri, nunc autem, Christiani facti, participes verae felicitatis estis.

CAP. III.

1. Ὁμοίως — ἀνδράσιν) Sc. ἔστε, ut supra. Verbum ὑποτάσσεσθαι indicat, uxores debere illas quidem mariti imperio liberali subiectas esse, illique in honestis rebus obsequium praestare, sed non servili conditione tractandas esse, duriterque habendas. Sic Iosephus Antiqu. I, 19. 8. de ancillis Leae et Rachelae:

δοῦλαι μὲν οὐδαμῶς, ὑποτεταγμέναι δὲ, ἵνα καὶ—κερδηθήσωνται) *Ut ii etiam, qui adhuc Evangelio non credunt, bonis moribus mulierum commoti, sine institutione ad religionem christianam accedant.* Pro κερδηθήσωνται alii legunt κερδηθήσονται, quia Coniunctivus apud Graecos caret futuris. Sed recte monet *Carpzovius*, linguam non tam ex Grammaticorum regulis esse iudicandam, quam potius vice versa regulas Grammaticorum ex usu linguae esse corrigendas atque supplendas. Κερδαίνειν, *lucrifacere*, h. l. *ad religionem christianam adducere.* Ἄνευ λόγου, sine cohortatione, sponte sua. Nam ipsis uxoribus christianis tacentibus, modestia earum, castitas, obedientia, cura rei familiaris, aliaeque virtutes commendabant religionem christianam.

2. Ἐποπτεύσαντες — ἀναστροφὴν ὑμῶν) Ἐν φόβῳ nempe Θεοῦ. *Considerantes vitam vestram castissimam, cum reverentia erga Deum concunctam.* Aliis φόβος h. l. est reverentia erga maritos.

3. Ὧν ἔστω—κόσμος) *Quarum ornatus non sit ille externus, qui constat crinium crispaturis, ornamentis capitis aureis, et pretiosis vestibus.* Similis locus est 1 Tim. II, 9. quem vide. De ἐμπλοκῇ τριχῶν, crinium *texturis* et *crispaturis* mulierum fusius loquitur Lucianus in amorib. τὸ δὲ πλεῖστον ἀναλίσκει μέρος ἡ πλοκὴ τῶν τριχῶν. Τὰ χρυσία, *ornamenta aurea*, generatim de omnibus, quae in mundo muliebri ex auro facta erant, intelligi possent. Demosthenes in *Olympiad.* in fine, aurum cum vestibus coniungit, et meretricem nominat, χρύσια καλὰ

ἔχουσαν καὶ ἱμάτια καλά. Vox tamen περίθεσις, quum ad τριχῶν referenda videatur, suadet, τὰ χρυσία *capitis praesertim ornamenta aurea* notare. Totus quippe apparatus, qui ad ornandum caput muliebre spectabat, aureus esse solebat, de quo vide Iul. Pollucem L. V. c. 16. Solebant quoque veteres ramenta aurea capillis inspergere. Cf. *Kypkium* ad h. l.

4. Ἀλλ' ὁ κρυπτὸς—πολυτελὲς) *Sed* (quarum ornatus sit Vs. 3.) *homo ille qui non patet oculis, animus nempe, vestitus quasi incorruptibili ornamento affectus lenis et modesti, cui ab ipso Deo magnum statuitur pretium.* Ὁ κρυπτὸς τῆς καρδίας ἄνθρωπος, i. e. virtutes πνεύματος, quae quidem externa specie non cernuntur; a Paulo Rom. VII, 22. ὁ ἔσω ἄνθρωπος vocatur, ubi dicta vide. Ἐν ἀφθάρτῳ, sc. κόσμῳ. Opponitur internum animi ornamentum ornatui muliebri externo. Vestes facile corrumpuntur, et pulcritudinem suam amittunt. Ille ornatus internus autem semper manet. Πνεῦμα hic est *affectus*, ut 1 Cor. IV, 21. Gal. VI, 1. Illud ὅ in verbis ὅ ἐστιν ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ πολυτελὲς, ad totum praecedens membrum refertur. Alia apud homines sunt in pretio, coma, aurum, splendidae vestes: at apud Deum mansuetudo, modestia, aliaeque virtutes.

5. Οὕτω γὰρ — ἀνδράσιν) *Ita enim etiam olim piae uxores, in Deum sperantes, ornabant se et parebant maritis suis.* Αἱ ἅγιαι γυναῖκες, *piae*, vel etiam *venerandae* mulieres. Αἱ ἐλπίζουσαι ἐπὶ τὸν θεὸν, *Deum colentes*, eique confidentes. Nam *confidere Deo*, non minus ac *Deum amare*, ut virtus

praestantissima, pro quolibet virtutis sensu poni videtur. Ἐκόσμουν ἑαυτὰς, nempe huiusmodi animi virtutibus.

6. Κύριον αὐτὸν καλοῦσα) אֲדֹנִי ut est Gen. XVIII, 12. Eadem habentur in libro Musar, c. VI. fol. 7. col. 2. *Stat coram eo*, (uxor bona) *et ministrat ei, et vocat eum dominum suum. Quod ex Sara discimus, quae Abrahamum maritum vocabat dominum suum, quum diceret, Dominus meus senuit.* Ceterum non tam hoc uxoribus ad imitandum proponitur, ut maritos suos nominent Dominos, quam potius hoc, ut Sarae exemplo eos honore et debito venerationis cultu prosequantur. ἧς ἐγενήθητε τέκνα) Cuius filiae estis dignae ut vocemini, sicut antea iam eratis carne. Alii: cuius filiae et imitatrices esse deberetis. Sed contextui melius convenit prior expositio: dignae estis nomine filiarum Sarae. ἀγαθοποιοῦσαι — πτόησιν) *Si recte agatis, nullis perterritae minis*, nempe maritorum infidelium, si forte ad abnegandam fidem religioni datam vos cogere vellent. Πτόησις, *consternatio*, et obiective caussa consternationis, *minae, infortunium* quod metuitur. Sic Prov. III, 25. οὐ φοβηθήσῃ πτόησιν ἐπελθοῦσαν. Alii: *Uxores praestent officium suum ita, ut nullo metu coactae id faciant, atque adeo sponte et liberaliter.* Philo: Quis rer. divin. haer. p. 516. C., ubi sermo de populo, conspecto miraculoso igne, victimas post sacerdotum inaugurationem die octavo incendente, perturbato: ἡ γὰρ τοιαύτη ἔκπληξις πτόησιν καὶ κατάπληξιν ἐμποιεῖ, *pavorem* ac stuporem inducit. Per πτόησιν

libidinem veneream h. l. intelligi non posse, facile patet.

7. Οἱ ἄνδρες—γνῶσιν) *Vicissim, vos Viri, vivite cum uxoribus vestris ita ut Christianos decet*, vel etiam *prudenter*. Ὁμοίως, *vicissim*. Συνοικεῖν proprie de coniugibus dicitur, et comprehendit per Synecdochen quandam omnia inter se coniugum officia. Demosthenes in *Neaeram*, scopum τοῦ συνοικεῖν esse dicit, ut liberi gignantur legitimi et ingenui; et ab hoc distinguit τὸ ἑταίρας καὶ παλλακὰς ἔχειν, quod vel voluptatis caussa, vel ob quotidianam corporis curam fieri soleat. Κατὰ γνῶσιν, secundum eam notitiam divinae voluntatis, quam per Evangelium estis adepti, i. e. ut Christianos decet. Alii vertunt: *modeste, prudenter, secundum amorem.* ὡς ἀσθενεστέρῳ—τιμὴν) *Mulieri, tanquam infirmiori, exhibentes honorem.* Σκεῦος, כְּלִי, *instrumentum*, omne id, quo utimur significat, diciturque etiam de hominibus, ut Act. IX, 15. Rom. IX, 21. 22. *Instrumentum*, pro instrumento Dei, *creatura*. Scriptores Iudaeorum in multis locis uxorem nominant instrumentum mariti, quo is utitur ad procurandas res domesticas, ad educandos liberos etc. Uxor ὄργανον viri, Aristoteles Polit. III. Ἀσθενέστερον viro, ut loquitur idem Aristoteles Oeconomicorum Lib. III. Quintilianus id recte explicat declamatione 308. *Imbecilla res est femina, et adfert infirmitati naturali non leve pondus, quod vidua est.* Infirmiorem autem esse mulierem viro tam quoad *corporis* quam *animi* vires, id satis constat. Τιμὴν ἀπονέμειν, *honorem tribuere, exhibere*, idem est ac τιμὴν περιτιθέναι, s. δοῦναι,

1 Cor. XII, 23. 24. quod ibidem etiam τοῖς ἀσθενεστέροις fieri dicitur Vs. 22. *leniter tractare*, ut est in libro Musar: *sicut honor quidam habetur cristallinis, quia sollicite tractantur.* ὡς καὶ συγκληρονόμοις χάριτος ζωῆς) *Siquidem et illae beneficium felicitatis aeternae consequi possunt.* Χάρις, *beneficium*, ζωή, *vita aeterna.* Pro συγκληρονόμοις alii legunt συγκληρονόμοι, quam lectionem etiam *Griesbachius* praefert. Sed altera contextui convenientior esse videtur. Caussam enim affert Apostolus, cur sollicite sit tractanda mulier, quia nempe et ipsi destinata est aeterna felicitas. Ceterum, ut *Carpzovius* recte monet, sensus huius Versiculi facilior esse videtur, si post vocem γυναικείῳ ponatur comma, et si comma deleatur post τιμήν, ut haec prodeat versio: *Mariti item, agite prudenter cum imbecilliori sexu muliebri, et exhibete etiam illis honorem, tanquam participibus beneficiorum* etc. εἰς τὸ μὴ ἐγκόπτεσθαι τὰς προσευχὰς ὑμῶν) *Ne impedientur preces vestrae.* Pro ἐκκόπτεσθαι lege ἐγκόπτεσθαι, ut habent Alex. aliique codd. Vulgata, aliaeque ut videtur versiones, Oecumen. Hieronymus, Augustinus, Ambrosius. Ex dura tractatione sequuntur iurgia et rixae, quae impediunt preces, earumque vim et efficaciam: non enim placent Deo preces, nisi quae ex tranquillo proficiscuntur animo.

8. Τὸ δὲ τέλος — Φιλόφρονες) *In summa: omnes eodem animo, eodem affectu, amate vos fraterne; misericordes, benigni este.* Τὸ τέλος non verti debet *denique;* nam oratio nondum tendit ad finem, sed *in summa*, eadem significatione, quae ex versione grae-

ca Num. XXXI, 37—41. saepius repetita ponitur pro hebr. מִכֹּם, et quae redditur *in universum*, *in summa*. Post *singulorum ordinum* officia, ut liberorum, servorum, uxorum, maritorum, Petrus ea quae decent *ordines omnes* commendat. Ὁμόφρονες, sc. ἐστε, *concordes estote*, συμπαθεῖς, proprie *compatientes*, *theilnehmend*. Pro φιλόφρονες, benigni, *comes*, alii rectius legunt ταπεινόφρονες, *modesti*, *humiles*.

9. Μὴ ἀποδιδόντες—κληρονομήσητε) Vide Rom. XII, 17. et ibi annotata. Εὐλογεῖν, Matth. V, 44. Εἰς τοῦτο ἐκλήθητε, *hac spe adducti estis ad christianam religionem*, ἵνα εὐλογίαν κληρονομήσητε, *ut veram felicitatem consequamini*. Est ἀνταναπλασις, in voce εὐλογίας, quae modo bona verba, modo benefacta significat. Deus vobis omne genus felicitatis largietur; decet igitur vos multo magis omnibus hominibus bene precari.

10. Ὁ γὰρ θέλων — λαλῆσαι δόλον) Syrus rectius legit: ὁ γὰρ θέλων ζωὴν, καὶ ἀγαπῶν ἰδεῖν ἡμέρας ἀγαθὰς. Sensus est: *Qui enim vult prospere et feliciter vivere, contineat linguam suam a convicio, et labia sua a mendacio.* Locus desumtus est ex Ps. XXXIV, 13. 14. Ζωὴ est *bona et felix vita*, et quidem in mundo hoc. Ζωὴν ἀγαπᾶν explicatur per verba proxima ἰδεῖν ἡμέρας ἀγαθὰς *transigere tempora felicia*, contendere ad felicitatem *huius sesuli*. Παυσάτω τὴν γλῶσσαν αὐτοῦ ἀπὸ κακοῦ, *reprimat linguam suam a maledicentia*. Παύω h. l. est *cessare facio*, *coerceo*. Κακὸν, h. l.

esse *maledicentiam*, vel *malignos sermones*, res ipsa docet. Δόλος, *mendacium*. Liber Musar in principio, c. 12. *Agyria quidam per urbes oberrans clamabat et dicebat: Quis excipit pharmacum vitae? Audivit filia R. Iodi; ingressa est ad patrem et indicavit ei. Dixit ei, ita, voca eum. Quum venisset, dixit ei R. Iannai: Quodnam est illud pharmacum vitae, quod tu vendis? — — Dixit ei: Nonne scriptum est, quis vir cupidus vitae, amans dierum ut videat bonum? Serva linguam tuam a malo, et labia tua ne loquantur dolum. Ecce pharmacum vitae quod in ore hominis.*

11. 12. Ἐκκλινάτω — διωξάτω αὐτήν) Ex eodem Psalmi XXXIV. loco, mutata persona. Ζητεῖν εἰρήνην, *studere paci et concordiae*. Διώκειν, studium intentum significat. Οἱ ὀφθαλμοὶ κυρίου ἐπὶ δικαίους, sc. εἰσι. *Oculi Domini probos homines* (benevole) *intuentur*, i. e. *Deus prospicit probis*, et curam eorum gerit. Καὶ ὦτα αὐτοῦ εἰς δέησιν αὐτῶν, exaudit preces eorum, Io. IX, 31. Iac. V, 16. Πρόσωπον δὲ κυρίου ἐπὶ ποιοῦντας κακά, i. e. *irascitur Dominus male agentibus*. Πρόσωπον κυρίου, *facies* aut *vultus* Domini, i. e. *ira* Domini per Anthropopathiam, quia ira in vultu hominis prodere se solet. Ἐπὶ, *contra*. Codex 32. apud Wetstenium addit: τοῦ ὀλοθρεῦσαι αὐτοὺς ἐκ γῆς. Habet etiam haec verba Syra posterior cum asterisco.

13. Καὶ τίς — γένησθε) *At quis male tractet vos, si sectamini bonum* et rectum? i. e. Pauci erunt, qui vobis nocere velint, si semper ea, quae plane bona

sunt, imitemini, si virtutis sitis studiosi. Κακοῦν, *male tractare*. Τοῦ ἀγαθοῦ pro τῶν ἀγαθῶν, *rerum bonarum*, quomodo hic Syrus et Latinus. Pro μιμηταὶ alii bene legunt ζηλωταὶ.

14. Ἀλλ' εἰ καὶ — μακάριοι) Δικαιοσύνη, *virtus*, vel etiam *religio*, ut Matth. V, 10. Quia videbat obiici posse saevitiam magistratuum religionis caussa, ideo ad id respondet. Μακάριοι, eo ipso felices estis, magna enim est merces. τὸν δὲ Φόβον — ταραχθῆτε) *Minas autem eorum non extimescite, aut perturbamini*, nempe prae metu illorum magistratuum. Φόβος *minae*, caussa metus. Et hoc, et quod sequitur est ex Ies. VIII, 12. 13.

15. Κύριον δὲ — καρδίαις ὑμῶν) *Dominum autem Deum colite animo candido* et sincere. Ἁγιάζειν, קִדֵּשׁ, idem quod δοξάζειν, *laudibus celebrare, honorare*. Ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν, *apud vos ipsos*, mentis affectu. Deus enim colentibus eum omnia vertit in bonum, sive laeta accidant, sive adversa. Ἕτοιμοι δὲ ἀεὶ πρὸς ἀπολογίαν, *parati autem estote semper ad defensionem*, nempe religionis vestrae. Παντὶ τῷ αἰτοῦντι — ἐλπίδος, *si quis rationem exegerit religionis, quam profitemini*. Ἐλπὶς, *religio*, ut Act. XXVI, 7. Vult Apostolus, ut Christiani, delati apud magistratus religionis caussa, semper alacriter respondeant. Μετὰ πραΰτητος καὶ Φόβου, *cum mansuetudine et reverentia*, magistratibus debita. Abstinendum a verbis asperis; attamen nihil reticendum, quod ad rem faciat.

16. Συνειδησιν ἔχοντες ἀγαθήν) *Freti vestra conscientia bona*, vel tanquam homines, qui habent conscientiam bonam. Ἵνα ἐν ᾧ — κακοποιῶν) *Ut, si maledicunt de vobis tanquam maleficis.* Eadem locutio quae supra II, 12., ubi not. cf. καταισχυνθῶσιν — ἀναστροφήν) *Pudefiant ii, qui bonam vestram vivendi rationem doctrinae Christi consentaneam calumniantur.* Ἐπηρεάζειν, *calumniari, obtrectare, insigni contumelia afficere.* Ἀναστροφὴ ἐν Χριστῷ, *conversatio, vivendi ratio, praeceptis Christi consentanea.*

17. Κρεῖττον — κακοποιοῦντας) Per tacitam prolepsin consolatur Petrus Christianos contra iniurias impiorum, argumento petito a voluntate Dei et Christi exemplo, Vs. 17. 18. Κρεῖττόν ἐστι, satius est. Qui ob facinora patitur, spem non habet repensationis; qui ob Deum patitur, habet maximam. Εἰ θέλοι τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ, *si Deo ita visum fuerit.*

18. Ὅτι καὶ — ἔπαθε) Si Christus passus est pro nobis, qui tunc eramus mali, quanto magis nos parati esse debemus mori, aut mala perpeti ad ipsius gloriam et Christianorum aedificationem? Ἵνα ἡμᾶς προσαγάγῃ τῷ θεῷ) *Ut nos reconciliaret cum Deo*, et ad Deum colendum nos idoneos redderet; sicut enim προσέρχεσθαι Θεῷ est *Deum colere*; ita προσάγειν idoneos ad Deum colendum facere. Θανατωθεὶς — πνεύματι) Σάρξ et πνεῦμα sensu vario sibi opponuntur. Interdum σάρξ est *corpus*; tum πνεῦμα sumitur pro *anima*. Saepe autem σάρξ significat *humanam naturam*, et tunc πνεῦμα est *spiritus divinus, divina*

Christi natura. Quo sensu h. l. hae voces sint explicandae, de eo non convenit inter doctos. Nonnulli explicant: *Occisus est quoad corpus, in vita conservatus est quoad animam;* nam verbum ζωοποιεῖν non tantum significat *vivificare*, sed etiam, ut hebr. חַיּוֹת *in vita conservare.* Alii: *mortuus est quoad humanam naturam, in vitam autem revocatus Spiritu divino*, s. *per vim illam divinam, quae in ipso fuit.* Omnino σάρξ saepe est *humilitas, humanitas.* Tum πνεῦμα est *maiestas*, et quum de Christo sermo est, *id quod in Christo est divinum.* Πνεῦμα αἰώνιον tribuitur etiam Christo Hebr. IX, 14. idem quod c. VII, 16. δύναμις ζωῆς ἀκαταλύτου. Sed universa orationis series postulare videtur, ut per τὴν σάρκα intelligamus *corpus*, et per τὸ πνεῦμα *animum*, et sensus sit: *Christus quoad corpus quidem interfectus, sed quoad animum in vita conservatus est.* Nam exemplum Christi proponitur iis, quibus religionis caussa multa mala perferenda erant. Sicut nempe Christus interfectus quidem, sed quoad animum in vita conservatus est, et felix fuit; sic etiam nos Christiani, ad eius exemplum calamitates sustinentes, post mortem corporis in vita conservati statim felices erimus.

19. Ἐν ᾧ—ἐκήρυξεν) *Quoad quem* (animum, post mortem corporis superstitem) *etiam animas apud inferos edocere perrexit.* Ἐν ᾧ, sc. πνεύματι, Vs. 18. Videtur enim Petrus docere, Christum etiam post mortem corporis, quoad animum a corpore separatum, et in ᾅδην delatum, contiuuasse negotium docendi et religionem tradendi, in quo peragendo vitam suam in his terris consumserat. Ceterum locus hic vexatissi-

mus varie explicatur. Τὰ ἐν φυλακῇ πνεύματα esse *animos a corpore separatos,* et in *orco,* quem Graeci ἅδην, Hebraei שְׁאוֹל vocant, tanquam in custodia detentos, vix dubitari posse videtur. Sed res ipsa est valde obscura. *Camerarius:* „Ἔλλειψις quidem certe in his est, ut τοῖς οὖσι. Sed quae phrasis sit, aut quid significetur hoc loco, mihi quidem plane ignotum. Quidam Graecorum ita acceperunt haec, ut ante diluvium etiam Christus praeco fuerit Evangelii, sed spiritu suo. — Hi, ut necesse est, interpretantur τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασι de animis eorum, qui tum non crediderunt, et ideo nunc in custodia seu carcere iacent, dum veniat ad iudicium Christus. Sed Clemens Alexandrinus στρωματέων ϛ', hunoque secuti et alii Graeci de praeconio Evangelii haec acceperunt, quod fecerit Christus apud inferos post mortem suam in terris. Est igitur hic unus ex locis iis sacrarum litterarum, de quibus pietas religiosa quaerere amplius et dubitare quid dicatur, sine reprehensione, et de quibus diversae etiam sententiae admitti posse videantur.“ Haec satis modeste et docte *Camerarius.* Priorem explicationem recentiores interpretes haud pauci calculo suo approbant. *Dan. Heinsius* verisimile esse putavit, Petrum, quum haec scriberet, respexisse ad *Enochi* scripturam apocryphum. Multa enim in illo libro traduntur de Gigantibus, quos Noachus habuit coaevos, quomodo geniti essent, quomodo et quando ad summam illam pervenissent impietatem, quam commemorat Moses Gen. VI. et quomodo εἰς φυλακὴν, seu *carcerem,* de quo hic agitur, coniecti essent. Sic enim Deus alloquitur Angelum Michaël: Δῆσον αὐτοὺς, (Gigantes) ἐπὶ ἑβδομήκοντα γενεὰς, εἰς

τὰς νάπας τῆς γῆς, μέχρι ἡμέρας τῆς κρίσεως αὐτῶν, μέχρι ἡμέρας τελειώσεως τελεσμοῦ, ἕως συντελεθῇ κρῖμα τοῦ αἰῶνος τῶν αἰώνων. Iidem Gigantes vocantur πνεύματα, in eodem Enochi libro: Πνεύματα πονηρὰ ἐπὶ τῆς γῆς καλέσουσιν αὐτούς, nempe Gigantes illos ex angelis et hominibus natos. Deinde paucis interiectis: Οἱ ἰσχυροὶ τῆς γῆς, οἱ μεγάλοι ὀνομαστοί, τὰ πνεύματα τὰ ἐκπορευόμενα ἀπὸ τῆς ψυχῆς αὐτῶν, ὡς ἐκ τῆς σαρκὸς, ἔσονται ἀφανίζοντα χωρὶς κρίσεως, οὕτως ἀφανίσουσι μέχρις ἡμέρας τῆς ἀφανίσεως, ἕως τῆς κρίσεως τῆς μεγάλης. *Potentes terrae, magni et celebres, Spiritus illi, qui ab anima separantur tanquam a corpore, omnia corrumpent sine discrimine; ita pergent usque ad eum diem, quo omnia evanescent, usque ad iudicium magnum.* His locis nostrum Petrinum egregie illustrari, post Heinsium alii etiam interpretes existimaverunt. Loquitur *Petrus* de hominibus, qui vixerunt ἐν ἡμέραις Νῶε, Vs. 20., loquitur et Auctor libri Enoch. Πνεύματα vocat Apostolus: πνεύματα ibi dicuntur. In φυλακὴν coniectos, ait Petrus: idem plane in libro Enochi. Sic igitur sensus loci nostri esset: *Quo spiritu* (divino) *etiam illis, qui nunc sunt in carcere spiritibus praedicare* (poenitentiam) *iussit.* Ex horum sententia πορευθεὶς hic ut saepe more hebraico et graeco redundat, ut Sam. III, 1. V, 10. Gen. VIII, 13. *Praedicavit* autem *Spiritibus istis Christi Spiritus* per Enochum, Noam, aliosque sanctos homines, et Christi *spiritui* id tribuit Apostolus, quia S. Spiritus interdum etiam in Scriptura S. vocatur *Spiritus Filii Dei.* Forte etiam respici putant ad Gen. VI, 3., et notandum esse monent *Spiritum propheticum* etiam supra c. I, 11. vo-

cari ab Apostolo πνεῦμα Χριστοῦ. Multi intelligunt descensum Christi in locum damnatorum, et annunciationem gravioris poenae, diabolis et damnatis factam. *Zachariae* interpretatur locum de anima Christi, qua post mortem corporis Spiritibus a corpore separatis in *Scheol* se manifestaverit. *Praedicationem* improprie intelligendam esse ait, de manifestatione salutis humanae per Christum recuperatae. Veteres ex hoc testimonio limbum, quem vocant, constituerunt, quasi ad Patrum Spiritus illic tanquam in carcere quodam inclusos pervenerit Christi anima, ut eos liberaret, et Christi descensum ad inferos ita explicarunt, quos *Beza* prolixe refutat. *Clericus* per πνεύμασι ἐν φυλακῇ intelligit *spiritus excubias agentes*, hoc est, angelos qui homines φυλάττουσι, Ps. XCI, 11. עִירִין, *vigiles*, Dan. IV, 14. Igitur divinitas diceretur vocasse ad poenitentiam antediluvianos homines, una cum Angelis, monentibus Noachum, ut eos ad saniorem mentem vocaret. Vertit hunc locum hoc modo: *Vivificatus vero spiritu, quo, una cum spiritibus custodibus profectus, praedicavit incredulis.* Alias interpretum de descensu Christi ad inferos sententias secundum temporum ordinem enumerat, et breviter diiudicat, novamque huius loci interpretationem proponit *Pott*, in *Excursu III.* Novae huius interpretationis haec fere est summa: Petrus, immortalitatis spe Christianis proposita, melius utique esse (Vs. 17.) dicit, si innocentes, quam si merentes patiantur. Id confirmare pergit (Vs. 18.) exemplo Christi, quem *in ipsa corporis morte* (θανατωθεὶς μὲν σαρκί) *animam tamen non perdidisse, sed superstitem immortalemque servatam recepisse* (ζωοποιηθεὶς δὲ τῷ πνεύματι) con-

tendit. Affirmat porro, animam Christi, corpore relicto pervenisse in eum locum, quorsum omnes hominum mortuorum animae migrare putabantur. Quod vero Petrus Christum apud inferos tanquam κηρύσσοντα sibi fingit, eius rei caussa quaerenda videtur in eo, quod ex communi quadam omnium fere hominum, tum sapientiorum, tum vulgi opinione, *homines post mortem apud inferos idem agere putabantur, quod in hac vita magno quodam animorum impetu persequi soliti erant*, ut e. g. *Agamemnonis*, *Achillis*, *Herculis*, aliorumque heroum umbrae apud *Homerum* cum *Ulysse*, et apud *Virgilium* cum *Aenea* de rebus a se in terra fortiter gestis colloquuntur, et *Aiax* odium, quo in hac vita in Ulyssem flagraverat, etiam apud inferos non deponit. Vid. etiam Ies. XIV, 9. s. Quod vero Christus potissimum τοῖς ἀπειθήσασι ἐν ἡμέραις Νῶε praedicasse dicitur, id explicandum est e perpetuo scriptorum N. T. more, insignem scelerum atrocitatem describendi exemplis a flagitiosis Noachi coaevis repetitis. Matth. XXIV, 37. Luc. XVII, 26. 27. Hebr. XI, 7.; ut igitur Christus ex mente Petri animis flagitiosorum hominum *omnibus* evangelium praedicasse, eosque doctrinae suae vi ad meliorem sensum vitamque revocasse, putandus sit.

20. Ἀπειθήσασι — κιβωτοῦ) *Qui non obtemperarunt olim, quum expectaret* (poenitentiam eorum) *longanimitas Dei in diebus Noë, quamdiu struebatur arca.* Pro ἅπαξ ἐξεδέχετο, vel quod alii habent ἅπαξ ἐδέχετο legendum esse ἀπεξεδέχετο ex variarum recensionum consensu patet. Expectavit eos Dei patientia, quamdiu struebatur arca, per 120 annos.

εἰς ἣν—δι' ὕδατος) *In qua pauci*, i. e. *octo homines conservati sunt mediis in aquis.* Εἰς ἣν pro ἐν ᾗ. *Octo*, i. e. Noë, uxor, filii tres, tres nurus. Gen. VI, 18. Ψυχαὶ, *personae, homines.* Δι' ὕδατος, mediis in aquis, vel: *per medias aquas.*

21. Ὃ καὶ ἡμᾶς—βάπτισμα) *Cui simile baptisma nos nunc servat.* Ἀντίτυπον, simile imagini, vel simpliciter *simile.* Similitudo inter diluvium et baptisma haec est, quod Noa servatus est quoad corpus, nos autem quoad animum servamur. Pro ᾧ legunt ὃ Codd. multi Cyr. Damasc. Oecum. Vulg. Cyprianus, Augustinus, aliique latini. *Quae aqua* etc. sensu duriore quidem, sed eodem. Aliis ἀντίτυπον est *contrarium, naturae adversae, diversae conditionis*, quam significationem probat *Jo. Conr. Schwarz* in Commentar. linguae Graecae. Ita sensus esset: *In aquis diluvii perierunt homines; aqua baptismatis nos servat, ne aeternum pereamus. Baptisma* autem hic simul comprehendit religionem ipsam, ad cuius professionem baptismate obligamur. οὐ σαρκὸς—εἰς Θεὸν) *Quo* (baptismate) *non corporis sordes abluuntur, sed bona conscientia promittitur Deo.* Ἐπερώτημα, proprie est *interrogatio*, deinde vero *sponsio interrogando facta, stipulatio, promissio.* In Glossario: ἐπερωτῶ, stipulor; sed per metonymiam nomine stipulationis comprehenditur et responsio, sive promissio. Nam et ἐπερωτῶμαι significat *promitto, spondeo*, in eodem Glossario. In baptismate episcopus, aut alius quis eius nomine ita interrogabat, aut, quod idem est, stipulabatur: ἀποτάσσῃ τῷ Σατανᾷ; respondebat baptizandus: ἀποτάσσομαι. Rursum interro-

gatus: *συντάσση τῷ Χριστῷ*; respondebat *συντάσσομαι*. *Συνειδήσις* est omne id, cuius nobis sumus conscii, omnis sensus noster, qui in nobis est. Erit igitur *ἐπερώτημα συνειδήσεως ἀγαθῆς εἰς Θεὸν*, i. e. *Θεῷ ποιηθὲν, promissum Deo factum nos bene pieque vivere velle, ut habeamus bonam conscientiam.* Hanc sponsionem salutis vocat Tertullianus de baptismate. *Εἰς Θεὸν*, pro *Θεῷ*. Syrus *confessionem* interpretatus est. *δι' ἀναστάσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ*) Refer ad *σώζει*. Baptisma, et cum eo coniuncta sincera religionis professio servat nos ab interitu, et procurat nobis spem aeternae felicitatis, propter resurrectionem Iesu Christi; inde enim et nos spem resurrectionis concepimus. Non repugno tamen, si quis cum *Pott* verba: *δι' ἀναστάσεως Ἰ. Χρ.* malit referre ad *συνειδησιν ἀγαθὴν*, ita ut *σύνειδησις ἀγαθὴ διὰ Ἰ. Χρ.* sit *bona conscientia, ad quam conservandam resurrectio Christi nobis animum atque vim suppeditat*, vel ad *ἐπερώτημα*, ut *ἐπερώτημα εἰς Θεὸν δι' ἀναστ. Ἰ. Χρ. sit promissum conservandae bonae conscientiae ex fide in resurrectione Iesu Christi collocata, oriundum.*

22. *Ὅς ἐστιν — δυνάμεων*) *Ἐν δεξιᾷ τοῦ Θεοῦ*, vide Rom. VIII, 34. Hebr. I, 3. Vid. et not. ad Actor. VII, 55. *Πορευθεὶς εἰς οὐρανὸν, postquam in coelum se contulit. Ἐξουσία καὶ δύναμις.* Cf. Eph. I, 21. Hoc loco videntur intelligi potentes terrae, Reges et principes.

CAP. IV.

Duae huius capitis sunt partes. In prima usque ad Vs. 12. continuatur exhortatio ad studium sanctae vitae. In altera consolatur Petrus Christianos contra persecutiones, quas propter religionis professionem patiebantur.

1. Χριστοῦ—ὁπλίσασθε) *Quum igitur Christus perpessus sit afflictiones corporeas, vos induite eandem mentem*, ut patienter feratis huius vitae calamitates, et persecutiones religionis gratia vobis imminentes. Ἔννοια, *sensus, mens.* Τὴν αὐτὴν ἔννοιαν ὁπλίσασθε, *firmo proposito quidvis pro Christo ferendi vosmet armate.* Passivum pro verbo reciproco. Post digressionem de Christo ad superiora c. III, 13. redit Apostolus. ὅτι — ἁμαρτίας) *Qui enim corporeas afflictiones potitus, desinit peccare*, abstinet a vitiis. Cf. Rom. VI, 7. Petrus his verbis commemorat utilitatem ex patientia in adversis percipiendam a *Christianis.* Verba haec igitur non referenda sunt ad Christum, qui nunquam peccavit, sed ad *homines*, qui eius exemplum in ferendis calamitatibus imitantur. Unice id dicitur: Quoniam Christus patienter perpessus est afflictiones corporeas, etiam vos idem facitote. Habet enim patientia *vestra* eam utilitatem, quod desinitis a peccato. Quantam vim habeant huius vitae adversitates abstrahendi nos a peccatis, experientia docet.

2. Εἰς τὸ—χρόνον) *Ita ut non porro iuxta hominum libidinem, sed iuxta Dei voluntatem, quod est*

reliquum temporis vivatis. Εἰς τὸ, *ita ut.* Ἀνθρώπων ἐπιθυμίαι, cupiditates illae, quae adesse solent maximae hominum parti. *Vivere voluntati divinae* est vivere secundum Dei praecepta. Rom. VI, 10. 11. Ἐν σαρκὶ, *in corpore*, i. e. in hac vita fragili et caduca.

3. Ἀρκετὸς — κατεργάσασθαι) Pro κατεργάσασθαι alii legunt κατείργασθαι. *Sufficit enim, nos praeterito tempore vitae fecisse, quae gentibus aliis grata sunt*, voluntati et moribus Paganorum nos accommodasse. Ἡμῖν pro ὑμῖν, ad mitigandam reprehensionis acerbitatem. Κατείργασθαι pro εἰς τὸ κατείργασθαι. πεπορευμένους—εἰδωλολατρείαις) Πορεύεσθαι, הָלַךְ, certum vitae institutum sequi. Ἐπιθυμίαι, *nefandae libidines.* Οἰνοφλυγία, *vinolentia.* Οἰνόφλυξ, proprie *qui vinum eructat*, a verbo φλύειν i. e. ὁρμὴν πρός τι ἔχειν, ut ait Scriptor Etymologici. Κώμοις, vide Rom. XIII, 13. Πότοι, i. e. *compotationes*, συμπόσια, assidua convivia, quae, etiamsi absit ebrietas, culpa non carent. Καὶ ἀθεμίτοις εἰδωλολατρείαις, *et nefandis moribus idololatricis.* Hoc ita interpretantur multi, ut putent, eos ad quos scribit Petrus, ante professionem Christianismi ex parte fuisse idolorum cultores. Res in se vera esse videtur (vid. notata ad c. I, 1.); sed non propter hunc locum. Nam *idololatriae* possunt etiam esse *mores idololatrici.* Iudaei tum in multis imitati sunt Graecos, in quo fuit etiam, ut interessent Graecorum ludis, qui in honorem numinum celebrati sunt.

4. Ἐν ᾧ—βλασφημοῦντες) *Quod mirantur, et quia non pariter cum ipsis in eandem vitae dissolutio-*

nem conspiratis, maledicunt vobis. Scholiastae Graeci: τὸ, ξενίζονται ἀντὶ τοῦ θαυμάζουσι κεῖται. Polybius ξενίζεσθαι καὶ διαπορεῖν διὰ τὸ παράδοξον, *mirari aliquid et quasi in re non solita dubitare* dixit. Idem verbum infra Vs. 12. habemus. Caussa significationis huius esse videtur haec, quod hospites et peregrinantes, domus, portus, monumenta, aliaque prius non visa contemplantes, rei novitate ac insolentia perculsi, admirari solent. Hinc etiam nostrum *befremden.* Συντρέχειν εἰς τ. α. τ. ἀσ. ἀνάχυσιν, est: *ruere in eandem scelerum sentinam.* Σύγχυσις, *confusio*, ut Vulgata habet, vel potius *colluvies.* Igitur hoc vult Apostolus: *Idolorum cultores perturbantur insolitae huius rei novitate, quod non amplius eadem libidine ruitis* etc. Ἄσωτος, *qui servari nequit, perditus luxuria;* hinc ἀσωτία, *luxuria, intemperantia.* Βλασφημοῦντες, *maledicentes; Carpzovius* non male: *atque cachinantur,* quae esset species τοῦ βλασφημεῖν. Sic enim sunt mores hominum improborum et luxuriose viventium, ut socios aliud vivendi genus inchoantes, derideant. Nemo enim facile probat diversa.

5. Οἱ ἀποδώσουσι — νεκρούς) *Rationem reddent,* i. e. reddere cogentur. Ἑτοίμως ἔχων, *qui in animo habet,* Actor. XXI, 13. Ζῶντας καὶ νεκρούς, *tunc victuros, quum veniet, et praemortuos,* i. e. omnes omnino homines nullo excepto.

6. Εἰς τοῦτο—εὐηγγελίσθη) *Quapropter etiam vita defunctis laeta anunciare iussit,* sc. Christus. Νεκροὶ, οἱ τεθνηκότες, quales sunt quos μακαρίτας

vulgo dicimus. Intelligendi sunt, qui per iniustos iudices propter religionis professionem e vita erant sublati. Εὐαγγελίζεσθαι h. l. non accipiendum esse videtur de *praedicatione doctrinae Evangelicae*, sed indicare in commune nihil aliud quam *laeta et felicia annunciare*, veluti *Ioh. Iensius* in Ferculo Literar. pag. 3. probante *Carpzovio* explicavit. Ἵνα κριθῶσι — πνεύματι) i. e. *Ut intelligerent, se, quamvis ab Hominibus damnarentur ad mortem, tamen virtute Dei consecuturos vitam aeternam.* Sic totius commatis sensus est: Etiam illis, qui hodierno tempore mortem pertulerunt, laeta fuit annunciatio facta, futurum, ut, quamvis mortem perpessi fuerint humanitus, reviviscant tamen per omnipotentiam divinam. Ἵνα h. l. est ἐκβατικὸν. Κρίνεσθαι σαρκὶ, breviter dictum, *ita damnari, ut corporis iactura fiat*, i. e. *interfici.* Κατὰ ἀνθρώπους, pro ὑπὸ ἀνθρώπων. Ζῆν πνεύματι, *quoad spiritum vel animum vivere*, et quidem felicem vitam. Κατὰ Θεὸν, *ex mente et voluntate Dei*, vel *virtute et potentia Dei.* Alii per νεκρούς intelligunt *peccatores*, qui habentur ipsi tanquam cadavera, per fidem autem accipiunt spem vitae aeternae; alii mortuos in loco damnatorum versantes, quibus doctrina laeta a Iesu annunciata sit, ut, quanquam corporis poenas humano iudicio luerint, tamen Deo ita volente, animo viverent felices; ut igitur haec verba referantur ad locum c. III, 18. 19.

7. Πάντων—ἤγγικε) Τέλος πάντων quid sit, difficile dictu. *Finis et consummatio omnium rerum* a multis intelligitur. Sic Petrum locutum esse existimant, ignarum temporis adventus Christi ad iudicium. Alii

interpretantur finem reipublicae Iudaeorum, vel *exitum* et *eventum* vaticiniorum prophetarum, Christi et Apostolorum de excidio gentis Iudaicae, ut τέλος sit *eventus*, πάντα autem sint omnia prophetarum et Christi vaticinia. Forsitan post πάντων non male suppleri posset ἀνθρώπων, quemadmodum dicere solemus: omnium vita hominum brevis est. *Omnibus hominibus mors imminet.* Τέλος *finis vitae.* σωφρονήσατε —προσευχὰς) *Prudentes igitur este, et assidue precamini.* Vide 1 Thess. V, 6. 8. Utrumque prodest ad recte faciendas preces.

8. Πρὸ πάντων—ἔχοντες) Sc. ἐστὲ. *Inprimis autem charitatem mutuam sedulo exercete.* Εἰς ἑαυτὰς, pro εἰς ἀλλήλους. Ἐκτενῆ, ut supra ἐκτενῶς, I, 22. Πρὸ πάντων, inprimis. ὅτι ἡ ἀγάπη—ἁμαρτιῶν) *Nam charitas imminuit multitudinem peccatorum.* Cf. Iac. V, 20. Similis locus Prov. X, 12. Amicitia et charitas proximo condonat, quicquid condonari potest. Deinde etiam eos, quos sincere amamus, a peccatis abstrahimus; cui consequens est, ut Deus hominis iam emendati priora peccata dissimulet. Alii: charitas multorum peccatorum veniam nobis conciliabit.

9. Φιλόξενοι — γογγυσμῶν) Rom. XII, 13. Hebr. XIII, 2. Ἄνευ γογγυσμῶν, *sine indignatione.*

10. Ἕκαστος—χάριτος Θεοῦ) *Quisque eo quod accepit dono utatur ad communem utilitatem, sicut decet eos, quibus tam varia ac multiplicia bona a Deo concredita sunt.* Χαρίσματα, sunt quaevis dona, non tantum supernaturalia, a Spiritu sancto data,

sed et corporis et facultatum, ut sequentia declarant. Διακονεῖν, h. l. est *aliorum inservire commodis.* Singulare ἕκαστος construi cum plur. διακονοῦντες non est infrequens. Vid. Hebr. VIII, 11. Comparantur Christiani cum Oeconomis, quos concredita sibi a Domino bona ex consilio et voluntate Domini administrare oportet. Applicatio est facilis.

11. Εἴ τις—λόγια θεοῦ) *Si quis habet donum docendi, oracula divina proferat,* veram doctrinam Christi, non autem inventa humana. Post λόγια θεοῦ supple λαλεῖτω. Ὡς autem redundat, ut 2 Cor. V, 19. et secundum nonnullos etiam 2 Petr. I, 3. εἴ τις διακονεῖ—χορηγεῖ ὁ θεὸς) Διακονεῖν h. l. in specie est curam habere pauperum et aegrotorum. Hi debent munere suo fungi *pro corporis viribus;* nam iuvenes ad διακονίας eligi solebant, qui huc illuc facile discursarent. ἵνα ἐν πᾶσι—αἰώνων) *Ut per omnes* (cuiusvis generis) *homines Deus celebretur secundum doctrinam Iesu Christi, cuius maiestas et imperium est sempiternum. Ita fiat!* Ἐν πᾶσι, *per omnes homines,* qui nempe vestros actus vident. Alii: in omnibus negotiis vestris. Δοξάζηται, *laudetur.* Διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ, *propter Iesum Christum* et beneficia quae ei accepta ferimus, vel potius: *per doctrinam Iesu Christi;* nam Χριστὸν saepe dici pro doctrina Christi, notum est. Celebratur autem Deus per christianam religionem, si eius professores ita vivunt, ut alii etiam ad eam amplectendam invitentur. Doxologiam, quae sequitur, sunt, qui ad Θεὸν, sunt etiam qui ad Christum referant. Prior sententia praeferenda esse videtur, quia alias etiam doxologiae ad

Patrem referri solent ab Apostolis. Vid. Gal. I, 5. Rom. I, 25. XI, 36. 2 Cor. XI, 31. Κράτος, יָד, *imperium*, quod LXX. interdum vertunt δυναστεία.

12. Μὴ ξενίζεσθε — γινομένῃ) Constructio est talis: Μὴ ξενίζεσθε (ἐπὶ) τῇ πυρώσει γινομένῃ ἐν ὑμῖν πρὸς πειρασμὸν ὑμῖν, i. e. ὑμῶν. *Nolite ceu re nova perturbari adversitatibus, quae vobis accidunt ad explorationem vestram.* Verbum ξενίζεσθαι eodem sensu hic sumitur, quo supra Vs. 4. Πύρωσις, *incendium, exustio, probatio quae fit per ignem*, et hoc quidem loco *magnae adversitates*, quibus fiducia, patientia et virtus Christianorum exploratur. Quare additur πρὸς πειρασμόν. Utrum vero comparatio fiat cum incendio, an cum igne, quo metalla explorari solent, non liquet. ὡς ξένου ὑμῖν συμβαίνοντος) *Tanquam res inopinata vobis eveniret.*

13. Ἀλλὰ — ἀγαλλιώμενοι) *Sed potius, quum similes ob caussas patiamini, ob quas Christus passus est, gaudete, quo etiam illo tempore, quo aperuerit omnibus maiestatem suam, fruamini maximo gaudio.* Δόξης futurae oppositio etiam cap. I, 11. V, 1. Κοινωνεῖν τοῖς τοῦ Χριστοῦ παθήμασι, *socium esse passionum Christi*, i. e. similes ob caussas perferre calamitates. Christus autem religionis caussa et innocens tot ac tanta passus est. Cf. Iac. I, 2.

14. Εἰ ὀνειδίζεσθε — ἀναπάυεται) *Si convitiis petimini propter religionem christianam, felices estis; nam animi robur excellentissimum, imo a Deo vobis inditum se prodit in vobis.* Ἐν ὀνόματι Χρι-

στοῦ, i. e. ἕνεκα Χριστοῦ, *propter religionem.* Μακάριοι, Matth. V, 11. 12. Τὸ τῆς δόξης καὶ δυνάμεως καὶ τὸ τοῦ θεοῦ πνεῦμα, *omni veneratione cultuque dignissimus, et potentissimus, Deique spiritus.* Πνεῦμα h. l. videtur esse animi robur, quod ostendunt, qui veritatis et pietatis caussa calamitates fortiter perferunt. Nam πνεῦμα, רוּחַ, praesertim si huic vocabulo δύναμις adiungitur, saepe esse *insignem potentiam*, id notum est. Δόξα, *praestantia, excellentia*, Genitivus hebraico more est pro adiectivo. Πνεῦμα τοῦ Θεοῦ, robur animi plane divinum, a Deo, (per ipsam religionem) inditum. Post τῆς δόξης habent καὶ τῆς δυνάμεως Cod. Alex. cum aliis codicibus, versiones haud paucae et Patres nonnulli. Vulgata: *quoniam quod est honoris, gloriae et virtutis Dei, et qui est eius Spiritus super vos requiescit.* Arabica Erpenii versio: *quia laus et gloria et virtus et Spiritus Dei* etc. Cyprianus: *quia maiestatis et virtutis Domini nomen in vobis requiescit.* Ἐφ' ὑμᾶς ἀναπαύεται, *habitat in vobis*, vim suam prodit in vobis. Non infelices, inquit Petrus, sed felices dicendi estis, si religionis caussa calamitates fortiter sustinetis. Id enim indicio est, vos insigni praeditos esse animi robore, quod non est ignominiosum, sed potius maximo honori vobis est. κατὰ μὲν — δοξάζεται) *Qui ab iis quidem conviciis proscinditur, a vobis autem celebratur.* Κατὰ, *per, a, ab.* Ante βλασφημεῖται deest Nominativus. Nonnulli supplent θεὸς, alii Χριστὸς, alii πνεῦμα, quod praecedit. Videtur intelligi ὁ Θεὸς, qui eos hac vi, hoc animi robore instruxerat. Potest etiam suppleri partim πνεῦμα, partim ὁ Θεὸς, hoc sensu: Isti ve-

stram constantiam et animi robur lacessunt tanquam pertinaciam superstitiosam; vos autem eo ipso declaratis vestram venerationem Dei, qui vobis hunc animum tribuit.

15. Μὴ γὰρ — ἀλλοτριοεπίσκοπος) Γὰρ pro οὖν. Syrus: *Tantummodo ne quis etc.* Πάσχειν, *mala subire.* Ἀλλοτριοεπίσκοπος, *qui se alienis rebus et negotiis immiscet*, ut volunt plurimi. Videtur autem potius hic denotari, *qui alienis aut aliis insidiatur, homo rebellis;* nam ἐπίσκοπος saepe ponitur pro κατάσκοπος, et ἀλλότρια sunt vel πράγματα, vel κτήματα et χρήματα. Ex usu linguae hellenisticae potest etiam significare *hominem omnibus sceleribus deditum;* nam ἀλλότριος simpliciter positum, notat *hominem, qui non obedit praeceptis divinis,* ut Ps. I, 1. ubi versiones quinta et sexta hebraicum רָשָׁעִים vertunt ἀλλότριοι.

16. Εἰ δὲ ὡς—μέρει τούτῳ) *Si autem ut Christianus* mala subierit, *non pudeat eum, gratias potius agat Deo ob hoc ipsum.* Χριστιανὸς nonnisi ter in N. T. occurrit, Act. XI, 26. XXVI, 28. et hoc nostro loco. Ἐν τῷ μέρει τούτῳ, *ob hoc ipsum,* quod dignus habeatur pro Christo calamitates perferre.

17. Ὅτι ὁ καιρὸς—τοῦ θεοῦ) *Instat enim tempus, quo Christiani gravissima mala patientur.* καιρός, proprium hoc tempus, adest, scil. κρίματος, quo comprehenduntur omnia, quae magnum illud iudicium praecedunt. Est autem κρίμα, h. l. מִשְׁפָּט, *Dei constitutio,* de immittendis scilicet adversis, ut ostendunt

praecedentia, nempe ad alios purgandos, alios explorandos, et proponendos in exemplum. Aliis κρίμα est *castigatio.* Ὁ οἶκος τοῦ θεοῦ *ecclesia,* vel potius *familia Dei, Christiani.* Οἶκος τοῦ θεοῦ saepe de populo Israelitico, hic et adiunguntur, et separatim (ἀφ' ἡμᾶν) nominantur Christiani. Instabat nempe tempus a Christo Matth. XXIV. praedictum, quum oriens bello exardesceret. Eo tempore Christianis etiam multa mala ingruebant, et videbatur Deus adversus coetum Christianorum sacrum durius agere. εἰ δὲ πρῶτον —εὐαγγελίῳ) *Si autem nos primi sustinebimus mala, quem exitum habebunt illi, qui non obsequuntur religioni divinae?* De Iudaeis agit, et eius gentis excidium praedicit.

18. Καὶ εἰ ὁ δίκαιος—φανεῖται) *Et si boni vix malis eripiuntur, quid impiis et sceleratis hominibus eveniet?* Ex graeca versione Prov. XI, 31. Μόλις, *aegre,* non sine difficultate. Σώζεσθαι, *liberari a malis.* Ὁ ἀσεβὴς καὶ ἁμαρτωλὸς, *impius in Deum, improbus in homines.* Ποῦ φανεῖται; *ubi invenietur?* לֹא נִמְצָא, ut Hebraei dicunt. Certissime peribit. Scriptor de vita et morte Mosis: *Quod si iustis retribuit Deus mininum quod faciunt, quanto magis peccatoribus multum quod committunt, retribuet?*

19. Ὥστε καὶ—ἀγαθοποιΐᾳ) *Itaque etiam qui mala perpetiuntur Deo sic dispensante, se totos permittant Deo, tanquam benignissimo creatori, neque in bene agendo defatigentur.* Πιστὸς, qui stat promissis, et mala tolerata maximis bonis repensat.

Τὰς ψυχὰς ἑαυτῶν, se totos, quanti quanti sunt. Ἀγαθοποιεῖν, recte et honeste agere.

CAP. V.

Continetur hoc capite hortatio ad Presbyteros vel doctores, itemque discipulos, auditores, usque ad Vs. 5. Sequitur generalis hortatio ad Vs. 12. ac totius Epistolae Epilogus.

1. Πρεσβυτέρους—κοινωνὸς) Πρεσβύτεροι, et principes coetuum (*doctores*, Vs 2.), et ceteri ad regimen eis sociati. *Bensonius* intelligit seniores aetate, quia Petrus, qui non fuit Episcopus, se nominat συμπρεσβύτερον. Sed fuit tamen doctor, et in allusionibus saepe eadem vox duplici significatu sumitur. Συμπρεσβύτερος est, qui aliis, in munere presbyterorum constitutis, officii dignitate par est. Sic et imperatores Romani milites suos vocant commilitones, et senatus partem se esse dicunt. Μάρτυς τῶν τοῦ Χριστοῦ παθημάτων, *testis eorum quae Christus est perpessus.*

2. Ποιμάνατε—θεοῦ) i. e. *Docete et regite populum curae vestrae commendatum.* Ποιμαίνειν est *regere ac docere.* Hebraeum רָעָה Regibus etiam tribuitur 2 Sam. V, 2. VII, 7. Τὸ ἐν ὑμῖν ποιμνίον τοῦ θεοῦ, *populum Dei qui est in locis vestris*, i. e. Christianos curae vestrae commendatos. ἐπισκοποῦντες – προθύμως) (Eumque gregem) *observate non coacte, sed sponte, non turpis lucri caussa, sed ala-*

cri animo. Ἐπισκοπεῖν, attente et cum cura singulari inspicere, ita ut iis, quorum inspectores sumus, pro ipsorum conditione simul prospiciamus et bene consulamus. Μὴ ἀναγκαστῶς, non quasi onere imposito, et inviti. Μὴ δὲ αἰσχροκερδῶς, *neque turpis lucri gratia.* Προθύμως, *promte, studiose.* Syrus: *ex toto corde.*

3. Μηδ' ὡς—κλήρων) *Non imperium exercete in Christianos.* Κλήρος, *sors, possessio;* deinde vero נַחֲלַת יְהוָה, *peculium Dei.* Sic olim vocabatur populus Israeliticus, Deut. IV, 20. IX, 29. Nunc autem haec denominatio transfertur ad coetum Christianum et ad singulos Christianorum coetus; qui enim hic dicuntur οἱ κλῆροι, statim dicuntur τὸ ποιμνίον τοῦ θεοῦ. Plurium numero (κλήρους) utitur Apostolus, ad christianorum coetuum, a se invicem distinctorum, diversitatem indicandam; nam hi coetus, ut per se erant κλῆροι Θεοῦ, ita diversis Presbyteris quasi per sortem administrandi obtigerant. Alii τῶν κλήρων nomine indicari putant *facultates*, seu haereditates ecclesiarum. Sed quanquam negari non potest, κλῆρον apud Graecos inter cetera, *bona*, *possessiones*, *fundum* significare, hoc tamen loco de iis cogitare non licet. Nam ecclesias Apostoli aetate haereditatibus, seu fundis instructas fuisse, non est credibile, nec verbum ποιμαίνειν bonorum ecclesiasticorum administrationi convenire videtur. In V. T. nominatim tribus Levitica ὁ κλῆρος θεοῦ dicebatur. Exinde *clerus* vocatus est ordo ecclesiasticus, ἡ τοῦ κλήρου τάξις. Sensim vero inolevit Clericorum et Laicorum antithesis. Καταχυριεύειν, *regio more imperare,* (ut Matth. XX, 25.) non licet

administro a Deo constituto; Deus enim est huius coetus Dominus. ἀλλὰ—ποιμνίου) Τόπος, *exemplar*. Ipsi facite ea, quae aliis praecipiatis, aliter quam scribae et Pharisaei, Matth. XXIII, 3. 4. Cicero de Senatu: *Is ordo vitio vacato; ceteris specimen esto.*

4. Καὶ φανερωθέντος—στέφανον) *Ut, quando apparuerit princeps doctorum, reportetis praemium decusque eximium*, haud periturum. Φανερωθέντος τοῦ ἀρχιποιμένος, *quum apparuerit princeps doctorum*. Τὸν μέγαν ποιμένα vocat Auctor Ep. ad Hebr. XIII, 20. Φανερωθέντος dictum ut Col. III, 4. Κομίζεσθαι eleganter de praemio dicitur, ut supra I, 9. Ὁ τῆς δόξης στέφανος, *corona splendida*, στέφανος ἔνδοξος. Δόξα h. l. est *splendor*, ut Sirac. XLIII, 11. κάλλος οὐρανοῦ δόξα ἄστρων. Alluditur ad coronas, quae victoribus in certaminibus praemii loco dari solebant. Eleganter autem Petrus hic addit ἀμαράντινον, *haud marcescentem;* nam inter coronas, quae dabantur bene meritis apud Graecos et gentes alias, erant στέφανοι ἀμαράντινοι, ut nos docet Philostratus heroicis. *Amarantus* purpureus auctore Dioscoride IV, 47. est certum quoddam florum genus, ita dictum, quod flores eius non marcescant. Plinius de *Amaranto* Libro XX. *Summa naturae eius in nomine est, appellato, quoniam non marcescat.* Tota hac imagine felicitatem summam, eamque constantem ac perpetuam exprimi, vix est quod moneamus.

5. Ὁμοίως—πρεσβυτέροις) *Similiter vos, auditores, morem gerite doctoribus vestris.* Νεώτεροι hic non videntur esse natu minores; nam opponuntur doctori-

bus: sed potius auditores et discipuli, eodem fere sensu, quo Luc. XXII, 26. ὁ μείζων et ὁ νεώτερος sibi opponuntur. πάντες δὲ—ἐγκομβώσασθε) *Imo omnes aliis invicem cedite et modestiae date operam.* Vocem ὑποτάσσεσθαι esse sensus reciproci, saepe iam dictum. Ἐγκομβοῦσθαι idem est ac ἐνδύσασθαι, derivatum verbum a nomine ἐγκόμβωμα, quod usurpatur non modo de *nodis*, et *vinculis nodosis*, sed etiam de *vestibus*, quae nodis et vinculis adstringi solebant, maximeque genere quodam brevis pallii, quod reliquis vestibus superiecerunt non tantum servi, sed etiam mulieres et viri ingenui, quo palliolo amicti sibi vehementer placebant, seque inprimis ornatos putabant. Inde κομβοῦσθαι et ἐγκομβοῦσθαι dicuntur ii, qui vel nodo aliquid vinculoque connectunt, vel induunt, ut omnino vestes, quae nodis et vinculis adstringantur, ita etiam palliola. Sed quemadmodum omnia verba induendi, in linguis priscis omnibus eleganter transferuntur ad eos, qui se virtuti alicui dedunt, qui praediti conspiciuntur et ornati virtute aliqua, ita etiam Petrus, qui cohortari vellet Christianos, ut modestiae studerent, verbo ἐγκομβοῦσθαι usus est. Ergo verba: τὴν ταπεινοφροσύνην ἐγκομβώσασθε, converti debent: *modestiam induite*, et omisso tropo, *modestiam sequimini*, *humilitatis animi studiosi sitis*, ita, ut maximum in ea ornamentum et decus positum censeatis. Vide quae de huius verbi significatione disseruit *Fischerus* in Proluss. p. 138. sqq. ὅτι ὁ θεὸς—χάριν) *Deus enim superbis adversatur, atque favet modestis.* Ex Graeco Prov. III, 34. Similia vid. Prov. XXIX, 23. Iob. XXII, 29., praesertim Matth. XXIII, 12., eadem Iac. IV, 6. Ἀντιτάσσεται, ad-

versatur eos, ut indignos suo beneficio, deiicit eos, nec dignatur ope sua. Non secundat eorum conatus et incepta.

6. Ταπεινώθητε — ἐν καιρῷ) *Submittite vos Deo potentissimo, ut vos in summum locum felicitatis et honoris extollat suo tempore.* Submittunt se Deo, qui agnoscunt, et semper cogitant, se totos dependere a Deo, se omnia sua debere Deo, in voluntate eius acquiescunt, mala huius vitae patienter ferunt, providentiae Dei indignando non resistunt; omnia bona a potentia Dei expectant. Κραταιὰν χεῖρα, יָד חֲזָקָה, Exod. III, 19. Se submittere potenti manui, i. e. potentiae divinae, nihil aliud est nisi se submittere Deo potentissimo. Ὑψοῦν, *extollere*, h. l. est *honore afficere, felicem reddere, praemiis afficere.* Vid. ad Iac. IV, 10. Ἐν καιρῷ, *tempore opportuno.*

7. Πᾶσαν — ἐπ' αὐτόν) i. e. *omnes anxias curas abiicite, et Deo commendate res vestras.* Nam verbum ἐπιῤῥίπτειν, *reiicere*, innuere videtur abiiciendas curas, et reiiciendas in Deum. Ex Ps. LV, 23. Cf. Matth. VI, 25. 30. Hoc pertinet ad eam submissionem erga Deum, de qua Vs. 6. sermo fuerat. Qui enim agnoscit, se totum cum omnibus suis rebus a Deo pendere, omnes alias etiam res, omnes alios homines, omnem rerum naturam subesse Deo, potentissimo, is non cruciabit animum anxiis curis, sed faciet quod suum est, omnia alia autem permittet providentiae divinae. Haec admonitio propter persecutiones tum imminentes inprimis necessaria erat.

8. Νήψατε—καταπίῃ) Νήψατε, γρηγορήσατε, *semper attenti, circumspecti estote.* Circumspectam vitae rationem praecipue commendat propter adversarios religionis et persecutores. Diabolus hic vocatur piorum ἀντίδικος, quomodo ἐχθρὸς Matth. XII, 39. Ὡς λέων ὠρυόμενος, *sicut leo rugiens*, i. e. esuriens, nocendi cupidus. Περιπατεῖ, ζητῶν τίνα καταπίῃ, *ubique circumspicit et quaerit cui noceat*, quem a vera religione et pietate abstrahat, et perdat. Adscribitur diabolo, quod fecit per sua instrumenta, Ethnicos et Iudaeos diabolico furore repletos, ad vexandos Christianos. De tentationibus diabolicis in genere non esse sermonem, sed de calamitatibus, quae animum ad deserendam religionem inclinare possunt, et de necessitate muniendi animi ad constantiam, patet ex comm. 9., ubi expressis verbis mentio fit τῶν παθημάτων, quibus Christiani tum aliis etiam in locis premebantur. Alii non male, et fere sensu eodem διάβολον intelligunt *quemvis convitiatorem*, vel adiective *hominem calumniantem*, et in vocibus ὁ ἀντίδικος ὑμῶν διάβολος Enallagen Singularis pro Plurali esse statuunt. Sensus itaque esset; *Illi adversarii calumniantes* (religionem et mores vestros) *similes leoni, esurienti et irato, semper quaerunt occasiones vobis nocendi et vos perdendi*, vitae vestrae struunt insidias, et vexationibus a vera religione avertere volunt, ut salutem aeternam amittatis. Cf. etiam Scholia ad Levit. XVI, 8.

9. Ὧι ἀντίστητε στερεοὶ τῇ πίστει) *Cui resistite*, ne vobis nocere possit, *firmiter persistentes in religionis confessione.* Ἀντίστητε, est Imperativus.

εἰδότες — ἐπιτελεῖσθαι) *Cogitantes iisdem calamitatibus alios etiam Christianos in aliis locis viventes premi.* Τὰ αὐτὰ τῶν παθημάτων pro τὰ αὐτὰ παθήματα. Ἀδελφότης, ut supra II, 17. Τῇ ἀδελφότητι ὑμῶν ἐν κοσμῷ sc. οὔσῃ, sive διαγούσῃ. ἐπιτελεῖσθαι, passivum cum Dativo causae efficientis: a fratribus vestris, qui itidem adhuc ἐν κόσμῳ sunt, sustineri.

10. Ὁ δὲ Θεὸς—θεμελιώσαι) *Deus autem clementissimus, qui vos invitavit per doctrinam Christi ad aeternam a se paratam felicitatem, is vos per breve tempus calamitatibus obnoxios perficiat, confirmet, roboret, fundet* in religione. Ὁ θεὸς πάσης χάριτος, *Deus clementissimus*, omnium bonorum auctor. Genitivus causae efficientis. Ὀλίγον, i. e. κατ' ὀλίγον μέρος τοῦ χρόνου, *ad breve tempus.* Nam brevis omnis haec vita aeternitati comparata. Καταρτίσαι, στηρίξαι etc. omnino legendum pro futuro καταρτίσει, στερίξει etc. Καταρτίζειν, *perficere*, magis magisque perfectum reddere, nempe in religionis cognitione et exercitio. Στηρίζειν, *confirmare*, in eadem veritate et pietate. Σθενοῦν, *roborare*, *validum reddere* adversus omnes tentationes. Θεμελιοῦν, *fundare*, velut invictum reddere.

12. Διὰ Σιλουανοῦ—ἔγραψα) *Haec vobis breviter tantum perscripsi per Silvanum, fidelem collegam, ut mihi certissime persuadeo.* De *Silvano* vide 1 Thess. 1, 1. Δι' ὀλίγων sc. ῥημάτων, vel λόγων, *breviter, paucis.* Ὡς λογίζομαι, non sunt verba dubitantis, sed eius, qui firmissime de aliqua re est

persuasus, ut Rom. VIII, 18. Alii cum Grotio interpretantur: *si recte memini*, ut Apostolus dicat, se non nunc primum iis scribere, sed et scripsisse antehac, quanquam breviter, et id, (quantum meminit) per *Silvanum*, sive *Silam*. Sed repugnat 2 Petr. III, 1. παρακαλῶν — ἑστήκατε) *Confirmans insuper veram eam esse Dei religionem, in qua adhuc perseveratis.* Χάρις, *beneficium*, h. l. est *ipsa religio, doctrina*, profecta ex summa Dei bonitate. Εἰς ἣν, frequens nostris Enallage. Ἑστήκατε, Praeteritum pro Praesenti. Fuerat autem utile, Christianos, inter quos fuisse videntur, qui a Paulo erant conversi, etiam Petri auctoritate firmari.

13. Ἀσπάζεται — συνεκλεκτὴ) Συνεκλεκτὴ videtur nonnullis esse mulier quaedam christiana, vel etiam Petri uxor. Alii intelligunt ἐκκλησίαν, quod nomen Syrus, Arabs, Latinus et Oecumenius addunt. *Quam una nobiscum Deus sibi delegit.* De Babylone dissident veteres et novi interpretes; nam Babylon multo ante vastata fuerat, et Petri tempore eo loco fuit urbs Seleucia. Veteres Romam interpretantur; recentiorum sententias recenset Michaëlis in Introduct. in Libb. N. T. §. 209. Videtur intelligi urbs Babylon ad Euphratem sita, quae olim quidem vastata fuit, sed non penitus. καὶ Μάρκος ὁ υἱός μου) *Marcum* Petri filium proprie dici nonnulli existimant. Sed potest etiam intelligi is, qui Evangelium conscripsit, a Petro ad religionem christianam adductus. Nam solebant Apostoli eos, quos ipsi instituerant, filios vocare, e. g. 1 Cor. III, 17. 1 Tim. I, 2. 2 Tim. I, 2. Cf. et annot. ad Actor. XIII, 5.

14. Ἀσπάσασθε—ἀγάπης) Orientis consuetudo erat, ut mutuis osculis se salutarent, quod inprimis Persae faciebant, sed et Hebraei, a quibus hic mos manavit ad Christianos, nam primi Christiani erant Iudaei. Origines: *Mos ecclesiis, ut post orationes osculo se invicem suscipiant fratres.* Id osculum *sanctum* dicebatur; quocirca ἐν φιλήματι ἁγίῳ legunt codices nonnulli, Syrus, Arabs polygl. et Latinus interpres. Idem sensus: nam osculum charitatis, et osculum sanctum se mutuo explicant. εἰρήνη—Ἰησοῦ) *Salutem et omnem prosperitatem omnibus vobis, qui estis Christiani.* Mos salutandi Hebraicus, שָׁלוֹם לָכֶם. In *Christo* esse dicuntur, qui sunt in eius ecclesia.

SCHOLIA

IN

EPISTOLAM PETRI POSTERIOREM.

Hanc Epistolam non esse Apostoli Petri, olim veterum multi credidere, tum ob stili cum priori diversitatem, tum quod multae ecclesiae eam olim non receperint. Sensim vero agnita est eius auctoritas canonica a plurimis. Euseb. Hist. Eccl. Lib. III, cap. 3. Πετρου—ἐπιστολη μια ἡ λεγομενη αὐτου προτερα, ἀνωμολογηται. ταυτη δε και οἱ παλαι πρεσβυτεροι ὡς ἀναμφιλεκτῳ ἐν τοις σφων αὐτων κατακεχρηνται συγγραμμασι. Την δε φερομενην αὐτου δευτεραν, οὐκ ἐνδιαθηκον μεν εἰναι παρειληφαμεν. ὁμως δε πολλοις χρησιμη φανεισα, μετα των ἀλλων ἐσπουδασθη γραφων. Et c. 25. των ἀντιλεγομενων, γνωριμων δ' οὐν ὁμως τοις πολλοις, ἡ λεγομενη Ἰακωβου φερεται, και ἡ Ἰουδα ἡτε Πετρου δευτερα ἐπιστολη. *Hieronymus* Catal. Scriptor. Eccl. *Simon Petrus — scripsit duas epistolas, quae catholicae nominantur, quarum secunda a plerisque eius esse negatur, propter stili cum priore dissonantiam.* Haec tamen stili diversitas nonnisi cap. II. deprehenditur. *Camerarius* ad 2 Petr. III, 16. bene annotat:

Ut autem orationis forma in caussa esse potuit, cur de autore dubitaretur, — ita sententiae profecto eiusmodi in hac epistola insunt, quae vel nullius nisi Apostoli Petri, vel hoc certe uno dignae esse videri debeant. Deinde etiam Petro tribuendam esse, inde patet, quod praefixum est eius nomen, et auctor dicit, se vidisse gloriam Christi, in sancto monte, cap. I, 17. 18. coll. Matth. XVII, 1—6. Cf. Michaelis Introd. in Libros N. T. §. 212., qui etiam evincere studet, *Gnosticis* oppositam esse hanc epistolam, praecipue propter cap. II, 10. 11. 12. 15. Hoc oppido patet, voluisse auctorem prospicere lectoribus suis, ne a falsis doctoribus inter Christianos latentibus, quorum vita aeque detestabilis erat ac doctrina, abriperentur tum ad flagitia christiano homine prorsus indigna, tum ad errores perniciosissimos. Scriptam esse hanc epistolam paullo ante martyrium Petri, patet ex cap. I, 14. Grotius scriptorem eius arbitratur esse Simeonem, sive Simonem episcopum post Iacobi mortem Hierosolymis, eiusdemque Iacobi, cuius epistolam habemus, successorem et imitatorem. Refutavit eum *Henr. Hammondus*, sed paullo iniquior Viro eruditissimo, castigatus a *Io. Clerico* in notis ad Hammondum. Vid. *Nietzschii* libellus egregius, cui titulus: *Epistola Petri posterior auctori suo inprimis contra Grotium vindicata atque adserta.* Lipsiae 1785. *Pottus* etiam quae de huius epistolae auctoritate in utramque partem disputata sunt, diligenter examinavit in *Prolegomenis. Car. Ullmann (der zweite Br. Petri, kritisch untersucht.* Heidelb. 1821.) primum tantum huius Epistolae Caput Petro assignandam esse existimat; et fuisse quidem illud parvam epistolam, cuius finis de-

perdita sit, aut potius uberioris epistolae (quae quod tempus attinet *prima* esset dicenda) fragmentum. Caput secundum imitationem esse Ep. *Iudae*, seriore tempore fragmento Petrino adiectam. Ab eadem manu interpolatrice ortum duxisse caput tertium, in quo etiam conscribendo, certe ab initio, serior auctor epistola Iudae usus sit. Refutata est haec opinio a Viro Docto in *Bengelii neu. Archiv für die Theologie*, T. VI. p. 27. sqq.

CAP. I.

1. Συμεὼν—Χριστοῦ) Alii habent *Simon* pro *Simeon*. Sed nihil interest hoc an illo modo scribas; nam Simeon est Hebraicum, et Simon Hellenisticum. Τοῖς ἰσότιμον ἡμῖν λαχοῦσι πίστιν, *iis qui eandem nobiscum pretiosam religionem acceperunt*. Ἰσότιμον, ἰσόμοιρον, ἰσόπεδον, voces sunt ab elegantioribus Graecis acceptae, qualis est etiam λαγχάνειν pro *accipere*. Πίστις, *religio*. Ἐν δικαιοσύνῃ, *beneficio*. Nam δικαιοσύνη hebr. צְדָקָה interdum est *benignitas*.

2. Χάρις — τοῦ θεοῦ) *Omnis generis prosperitas vobis contingat per cognitionem Dei*. πληθυνθείη, cf. 1 Petr. I, 2. Optat Apostolus Christianis eam felicitatem, quae ex recta cognitione Dei et Iesu Christi oritur. Alii ἐν ἐπιγνώσει interpretantur *una cum cognitione*.

3. Ὡς πάντα—δεδωρημένης) *Quum Deus pro sua potentia omnia nobis donaverit, quae ad beatam*

vitam et pietatem pertinent. Exhortatur Petrus Christianos ad virtutis studium, Vs. 3—11. Vocula ὡς quum alias, tum participiis iuncta sic ponitur, ut abundet. *Divina Dei potentia*, i. e. Deus pro divina sua potentia. Δεδωρημένης, ut Vs. 4. δεδώρηται sumitur active, nam in verbis, quae perfecto vel alio tempore Mediae vocis carent, loco temporis Medii passivum adhibetur. Philo de Sacr. Ab. et Cain. pag. 147, A. μυρία ἡμῖν ἡ Φύσις ἐπιβάλλοντα ἀνθρώπων γένει δεδώρηται, *Plurimas res nobis natura, convenientes humano generi donavit.* Versu 3. 4. est antecedens. com. 5. consequens. διὰ τῆς ἐπιγνώσεως—ἀρετῆς) *Per cognitionem eius, qui nos ad felicitatem invitavit pro sua maiestate et perfectione*, s. pro sua gloriosa benignitate. Satis fuerat dicere διὰ τῆς ἐπιγνώσεως αὐτοῦ, (nam ὁ καλέσας ἡμᾶς est Deus, Pater noster;) sed Hebraei, quos imitantur Scriptores N. T. amant nomina ponere vice pronominum. Sensus igitur huius Versiculi est: *Deus pro sua potentia omnia nobis donavit, quae ad beatam vitam et pietatem pertinent, dum nos per cognitionem sui invitavit ad felicitatem* etc. Hac ratione omnibus praesidiis recte agendi nos instruxit. Διὰ δόξης καὶ ἀρετῆς, *per gloriosam benignitatem.* Ἐν διὰ δυοῖν pro διὰ τῆς ἀρετῆς ἐνδόξου. Ἀρετὴ, ut 1 Petr. II, 9. est *summa Dei perfectio*, inprimis vero eius *beneficentia, benignitas.* Apud Ioseph. Ant. XVII, 5. 6. ἀρετὴ τοῦ Θεοῦ est *auxilium divinum.*

4. Δι' ὧν—δεδώρηται) *Qua maxima nobis et pretiosa promissa dedit*, nempe felicitatis aeternae, quibus promissis nihil maius aut honoratius. Δι' ὧν, sc.

δόξης καὶ ἀρετῆς, qua gloriosa benignitate. Alii minus commode, ut mihi videtur, referunt ad πάντα, initio comm. 3. ἵνα διὰ—Φύσεως) *Ut* per ista promissa excitati *participes fieretis*, (id est, *imitatores*) *divinae indolis*. Διὰ τούτων, spectat ad ἐπαγγέλματα. Φύσις interdum pleonastice ponitur, e. g. Iac. III, 7. Φύσις θηρίων, pro θηρία. Sic κοινωνοὶ θείας Φύσεως essent *participes Dei*, i. e. beneficiorum Dei, praecipue autem felicitatis aeternae. Sed Φύσις, *natura* hic potius videtur *indoles*, ut sensus sit: Facti estis *Dei similes*, sc. in sensu de vero et recto, et in vero studio recti et boni. Hanc interpretationem totus contextus confirmat. Nempe θείας Φύσεως κοινωνὸς redditur, (ut Petrus statim addit,) qui pravis cupiditatibus sceleribusque renunciavit, ὁ ἀποφυγών—Φθορᾶς. Usitatissimum autem est in sacris libris, eos dici *Dei similes* redditos, qui sceleribus renunciaverint, 1 Io. III, 7. 3. 1 Petr. I, 15. Deinde etiam Petrus antea Christianos non modo praesidiis recte agendi omnibus instructos (Vs. 3.) sed etiam exquisitae felicitatis promissione exhilaratos (Vs. 4.) dixerat, ut his de causis, διὰ τούτων, in societatem divinae naturae venirent. Ergo Petrus non aliam coniunctionem quam similitudinis et imitationis intelligere potest. ἀποφυγόντες—Φθορᾶς) *Abdicantes corruptos mores*, *quibus ceteri homines dediti sunt, ortos ex malis cupiditatibus*. Φθορὰν Apostolus et hic et cap. II, 12. 19. vocat *mores corruptos*. Haec morum corruptio *in mundo esse* dicitur, quia maxima pars hominum ea laborat, 1 Io. V, 19. et dicitur ἐν ἐπιθυμίᾳ, i. e. διὰ ἐπιθυμίας, quae ex concupiscentia nascitur, Iac. I, 15. Ἀποφεύγειν

potest regere Accusativum propter verbum *Φεύγειν*, ut infra c. II, 20. Sed potest et Genitivum regere propter vim praepositionis *ἀπὸ*, quasi scriptum esset *Φυγόντες ἀπὸ τῆς Φθορᾶς*.

5. Καὶ αὐτὸ — παρεισενέγκαντες) *Ob id ipsum omnem operam adhibeatis.* Connectitur cum Vs. 3. et *καὶ* sumitur pro consecutivo, ut saepissime alias in sacris litteris. Αὐτὸ τοῦτο, i. e. *διὰ αὐτὸ τοῦτο*, *ob id ipsum.* Αὐτοὶ δὲ habent Cod. Alex. versio aeth. et vulgata. Αὐτῷ δὲ τούτῳ, cod. 40. apud Wetstenium et Euthalius; αὐτοὶ δὲ τούτῳ, cod. 8. Παρεισφέρειν, *afferre.* ἐπιχορηγήσατε — γνῶσιν) *Exhibete cum fide vestra virtutem, et cum virtute prudentiam.* Ἐπιχορηγεῖν, *exhibere.* Ἐν, *una cum.* Secundum alios ἐπιχορηγεῖν est *adiicere*, et ἐν abundat. Sic ἐπιχορήγημα apud *Athenaeum* coenae accessio. Describitur nexus et catena virtutum plurium. Non satis est, ut unam aut alteram virtutum habeas, sed omnes virtutes exercendae sunt homini Christiano. Ἀρετὴ forsan hic accipitur sensu specialiori pro *fortitudine in fide*, vel in religionis professione; sequuntur enim multa virtutum nomina, ἐγκράτεια, ὑπομονὴ etc. Γνῶσις, *prudentia*, prudens vitae ratio, *Bedachtsamkeit*, ut non tantum recte et fortiter, sed et considerate et prudenter agas.

6. Ἐν δὲ τῇ — εὐσέβειαν) Ἐγκράτεια, *severa ab omnibus voluptatibus abstinentia.* Ὑπομονὴ, *constantia in adversis.* Εὐσέβεια, *in Deum pietas*, e. g. preces, cultus publicus, privatus etc.

7. Τὴν φιλαδελφίαν — ἀγάπην) Φιλαδελφία, *dilectio Christianorum.* Ἀγάπη, dilectio erga homines omnes, etiam non Christianos.

8. Ταῦτα γὰρ ὑμῖν ὑπάρχοντα καὶ πλεονάζοντα, *ubi enim haec omnia vobis non aderunt tantum, sed et accrescent in dies.* Οὐκ ἀργοὺς — ἐπίγνωσιν, *sistent vos tanquam homines, quorum cognitio Domini nostri Iesu Christi non est otiosa aut infructuosa,* i. e. cognoscetur ex his virtutibus, vestram religionis cognitionem non esse inanem et inutilem. Εἰς τὴν ἐπίγνωσιν, pro ἐν τῇ ἐπιγνώσει.

9. Ὧι γὰρ — ἁμαρτιῶν) *Cui enim desunt haec virtutes, is coetus est, nihil cernens, non memor ipsum a peccatis vitae pristinae esse purgatum,* i. e. immemor est et officiorum et beneficiorum Christiani baptismate initiati; nihil ei prodest, in baptismate valedixisse omnibus sceleribus et peccatis, et remissionem eorum accepisse. Τυφλὸς de coecitate mentis hic intelligitur. Μυωπάζειν, *coecutire, non procul cernere.* Aristoteles: μυωπάζειν λέγονται, οἱ τὰ μὲν ἐγγὺς βλέποντες, τὰ δὲ ἐξ ὑποστάσεως οὐχ ὁρῶντες. *Kurzsichtig.* Quantumvis sapiens sibi videatur, qui destitutus est his et aliis virtutibus, misere oberrat, et procul abest a recta et genuina religionis scientia. Ὁ καθαρισμὸς τῶν πάλαι ἁμαρτιῶν, vel ut alii legunt ἁμαρτημάτων est *baptisma,* per quod fit purgatio a peccatis. Λήθην λαβεῖν, *oblivisci,* sed hoc loco et alias dicitur pro *negligere, contemnere,* adeoque *perdere et amittere.* Sic Philo de Execrat. pag. 936. C. ait, quosdam legum contemtui et plurium

numinum religionibus se dare, λήθῃ τῆς συγγενοῦς καὶ πατρίου διδασκαλίας, *per neglectum domesticae et patriae disciplinae.* Sensus igitur loci nostri est: Eiusmodi homo parvi facit beneficium baptismatis, et pro religionis contemtore est habendus.

10. Διὸ μᾶλλον—ποιεῖσθαι) *Potius ergo date operam, ut magis magisque certiores fiatis felicitatis aeternae, cuius spes per professionem religionis christianae vobis est facta.* Hunc horum verborum sensum esse puto. Ἡ κλῆσις καὶ ἐκλογὴ est illud beneficium ingens, quo Deus providentia sua ad religionem christianam nos adduxit, fecit nos populum suum, nobisque promisit aeternam felicitatem, siet nos faciamus, quod nostri est. Βέβαιον γίνεσθαι, sive βεβαιοῦσθαι est *ratum fieri*, ut Rom. IV, 16. Rata facimus autem promissa illa divina per fidem, et studium operum bonorum. Quare post σπουδάσατε non male addunt: ἵνα διὰ τῶν καλῶν (ὑμῶν) ἔργων etc. cod. Alex. cum recentioribus nonnullis et versionibus. ταῦτα—ποτε) *Si hoc faciatis, non unquam spe excidetis*; nunquam spes vestra frustrabitur. Πταίειν, sc. ἐλπίδος, *spe excidere.* Quum autem πταίειν plerumque sit *peccare*, potest etiam sensus esse: *Nunquam peccabitis*, nunquam delinquetis. Qui enim felicitatem aeternam sperant, ii cavent ne vitiis et sceleribus eam amittant.

11. Οὕτω—Χριστοῦ) *Sic enim benignissime vobis concedetur introitus in regnum aeternum Domini nostri* etc. i. e. pro singulari Dei benignitate participes eritis felicitatis illius aeternae Iesu Christi cultori-

bus promissae. πλουσίως, *benignissime*, nam bonitatis divinae saepe divitiae laudantur, Eph. II, 4. et aliis locis. Ἐπιχορηγεῖν hic est *concedere*, ut 2 Cor. IX, 10. Εἴσοδος εἰς τὴν βασιλείαν Ἰ. Χρ. est facultas fruendi beneficiis in regno Christi olim obtinendis.

12. Διὸ οὐκ—ἀληθείᾳ) *Proinde nunquam desinam, vos de his admonere, quamvis bene gnaros, et in praesenti doctrina confirmatos.* Διὸ, quum haec res tanti sit momenti. Hortatur Apostolus Christianos ab hoc commate 18. ad cap. III, 13., ne a seductoribus decipi se patiantur, praemissa brevi admonitione (Vs. 11—15.) quibus caussis permotus necessarium duxerit, ut ad retinendam firmiter eam doctrinae purioris partem, quae a falsis doctoribus non depravabatur tantum, sed deridebatur etiam, eos iterum iterumque incenderet. Καίπερ εἰδότας etc. Hoc non ad omnes, sed ad maiorem, certe meliorem eorum, quibus scribit, partem pertinet. Ἐν τῇ παρούσῃ ἀληθείᾳ, in ea veritate, quam huc usque profitemini, nempe evangelica.

13. Δίκαιον δὲ — ὑπομνήσει) *Rectum tamen esse existimo, quamdiu adhuc in his terris vivo, excitare vos commonefaciendo.* Σκήνωμα, *tentorium*, h. l. esse *corpus*, nemo non videt. Vid. 2 Cor. V, 1. Διεγείρειν ὑμᾶς ἐν ὑπομνήσει, *excitare vos, ad officium saepe commonefaciendo.*

14. Εἰδὼς—σκηνώματός μου) Ἀποδίθεσθαι, *deponere*, proprie de vestibus dicitur, ut Actor. VII, 58. Per similitudinem quandam de *tentorio*, aut de corpore velut tentorio, quomodo et γυμνοὶ dicuntur, qui

extra corpus sunt, 2 Cor. V, 3. Καθὼς—ἐδήλωσέ μοι) Ergo Petro mors propediem instans peculiari modo revelata est, eodem modo, quo Paulus Act. XX. dicit, se per Spiritum S. admoneri, se mox esse moriturum.

15. Σπουδάσω—ποιεῖσθαι) *Igitur operam dabo, ut semper possitis horum meminisse post mortem meam.* Δὲ, *igitur.* Verbum ἔχειν h. l. significat *posse*, ut Matth. XVIII, 25. Luc. VII, 41. Marc. XIV, 8. Ἔξοδος, sc. τοῦ βίου, *exitus ex hac vita, mors.* Cf. Sap. VII, 6. Eo consilio se ad eos scribere dicit, ut epistolas eius legentes etiam post eius discessum e vita recolere possent memoriam adhortationum suarum.

16. Οὐ γὰρ—παρουσίαν) *Non enim fabulis argute callideque excogitatis usi edocuimus vos de Domini nostri I. Ch. potentia et praesentia* (adventu) i. e. *Dominum nostrum Iesum Christum magnis ingentibusque factis in his terris conspicuum fuisse.* Exponit Auctor rationes, ob quas certo persuasi esse possint lectores, veram esse doctrinam ab Apostolis traditam. Σοφίζεσθαι interdum malo sensu sumitur pro *callide decipere*, ut apud Ioseph. de B. Iud. I, 2. 3. τοιούτοις ἐσοφίζετο τὸν Τίτον, *eiusmodi verbis* (Ioannes) *callide circumveniebat Titum.* Μύθοι σεσοφισμένοι igitur sunt *fabulae argute callideque excogitatae, ad imperitam multitudinem decipiendam aptae.* Iosephus in Prooemio Antiquitt. §. 4., ubi Mosis sapientiam cum Legislatorum gentilium stultitia confert: οἱ μὲν γὰρ ἄλλοι νομοθέται τοῖς μύθοις ἐξακολουθήσαντες etc. Δύναμις καὶ παρουσία per Hendyadin pro δυνατὴ παρουσία,

Iesu Christi in his terris praesentia cum multis miraculis coniuncta, quibus se esse Filium Dei demonstravit. Hanc expositionem sequens oratio postulat. Sensus igitur est: Iesum Christum vixisse in his terris, et multis insignibus modis demonstrasse, se esse filium Dei, hoc vobis non persuasimus, fictis usi narrationibus et fabulis quales adhibere solent Legislatores gentilium, vel alii astuti homines. Videtur etiam Petrus simul respexisse ad maiestatem in reditu Christi manifestandam, ob adversarios, qui imperium eius negabant, de qua re vide notanda ad c. II, 1. *Griesbachius* in Progr. de λόγῳ προφήτικῳ βεβαιοτέρῳ (1781.) hunc Christi adventum intelligit de reditu Christi ad celebrandum extremum iudicium, inductus pluribus rationibus, hac inprimis, quod in tota hac epistola occupatus sit Apostolus in inculcanda vindicandaque doctrina de adventu Christi ultimo. Sed hoc diligentius examinare instituti nostri ratio non patitur. ἀλλ' ἐπόπται—μεγαλειότητος) *Sed ipsi maiestatem eius spectavimus.* Ἐπόπται, *spectatores;* apud profanos: *admissi ad secretiora mysteria.* Qualis illa fuerit maiestas, quam Petrus conspexit, patet ex sequentibus.

17. Λαβὰν γὰρ δόξαν) *Maximo enim honore ornatus est.* Λαβὰν: sc. ἦν, pro ἔλαβε. Factum est hoc, quum vultus illius solis instar luceret, ac vestimenta nivis candorem superarent in tantum, ut humanus obtutus non ferret coeleste spectaculum. Matth. XVII, 5. Sed accessit etiam patris honorificentissimum testimonium, cuius statim meminit Petrus. φωνῆς—δόξης) *Delata ad eum voce a magnifica maiestate patris.*

Μεγαλοπρεπὴς δόξα, *magnifica maiestas*, est *Deus* ipse, בְּבוֹד יְהוָה. Eodem sensu habes μεγαλοπρέπειν τῆς δόξης Ps. CXLV, 3. Ad sequentia cf. dicta ad Matth. XVII, 5. sqq.

19. Καὶ ἔχομεν — λόγον) *Et nunc magis confirmata est veritas doctrinae propheticae.* Λόγος, *doctrina;* inprimis vero h. l. intelliguntur praedictiones Prophetarum de Messia. Sermones Prophetarum habuerunt quidem semper apud nos auctoritatem; at nunc multo maiorem habent, ex quo videmus, eventus tam pulcre congruere dictis de Messia. Βεβαιοῦν respondet hebraico הָקִים. Cf. *Ge. Chr. Knappii* Prolus. in h. l. in *Scriptis varii argumenti* p. 1. sqq. Verba haec ita resolvenda esse arbitratur: βεβαιότερος ἡμῖν ἐστιν ὁ προφ. λόγος, luculentiora ac firmiora, quam ante, iam nunc ea nobis sunt, quae vatum oraculis de Messia continentur, nempe postquam Iesum in terra versantem, huiusque auctoritatem ab ipso Deo multis modis confirmatam vidimus. ᾧ καλῶς ποιεῖτε προσέχοντες) *Cui merito animum advertitis.* Iosephus Antiq. XI, 6. 12. in Artaxerxis litteris quibus Amanis Edictum contra Iudaeos cruentum rescindit: οἷς (γράμμασι Ἀμάνου) ποιήσετε καλῶς μὴ προσέχοντες. *Attendere autem ad vaticinia* est de eorum sensu et eventu quaerere et cogitare. Modum tamen in ea re esse tenendum, ne nimium tribuatur vaticiniis, statim in sequentibus docet Apostolus. ὡς λύχνῳ—τόπῳ) *Ceu lucernae lucenti in obscuro loco.* Φαίνοντι vertendum est in *imperfecto*, plane ut ὄντες Vs. 18. Nam sequuntur aoristi: διαυγάσῃ, ἀνατείλῃ, *illucesceret, ori-*

retur. Λύχνος, *lucerna*, *eine Nachtlampe* hic opponitur τῇ ἡμέρᾳ. Vaticinia V. T. et doctrinae Prophetarum comparantur cum lucerna, quia monstrabant quidem viam salutis, sed obscure tantum. Αὐχμηρὸς τόπος, est *locus siccus*, *siticulosus*, *desertus*. Sed Michae IV, 8. LXX. interpretes hebr. צִיָּה, pro quo legerunt אֻפָּל, vertunt αὐχμώδης, Aquila σκοτώδης, Symmachus ἀπόκρυφος, Vulgatus *nebulosa*. ἕως οὗ — καρδίαις ὑμῶν) *Usque dum dies illucesceret, et lucifer exoriretur in mentibus vestris*, i. e. *Donec ad clariorem rerum divinarum cognitionem perveneritis*. Adventante sole, cuius praenuntia est stella matutina, dies illucescens dispellit omnem caliginem, et obscurat ipsam lucernam. Sic etiam doctrina Christi omnes dispellit ignorantiae tenebras, et longe superat ratione claritatis doctrinam Prophetarum. Diligenti comparatione instituta, facile hoc discrimen apparebit, et mens divino lumine illustrabitur. Patebit etiam, vaticinia Prophetarum Spiritu S. inspirante esse edita, quum eventus tam pulcre congruant dictis. Ceterum *Griesbachius* Progr. cit. totum hunc locum explicat de vaticiniis a prophetis *christianis* de glorioso Christi reditu prolatis; quam quidem sententiam multis rationibus confirmare studet. Fuisse inter Christianos haud paucos, qui prophetiae dono instructi essent, nemo quidem ignorat. Cur autem ab eiusmodi prophetis *gloriosus Christi adventus* praenunciari debuerit, equidem rationes non satis perspicio; nam Christus ipse hunc suum adventum tam saepe atque tam clare promiserat, ut novis huius rei praedictionibus opus fuisse non videatur.

20. Τοῦτο πρῶτον — οὐ γίνεται) *Quippe hoc vobis inprimis tenendum est, nullum vaticinium in sacris litteris consignatum propriae esse interpretationis*, ex se et per se explicari posse, nisi vaticinium et eventus secum invicem comparentur. Πᾶσα προφητεία — οὐ γίνεται, pro οὐδεμία προφητεία, ex Hebraismo לֹא כֹל. Interpretes Graeci verba ἐπιλύειν et ἐπίλυσιν adhibuerunt ad explicandum hebr. פֶּתַר et פִּתְרֹנִים, e. g. Gen. XLI, 12. Ἐπίλυσις itaque esset *interpretatio*, *explicatio*. Quum vero ad interpretationem somniorum, de qua l. c. est sermo, requiratur etiam *inventio* rerum absconditarum, per somnia praesignificatarum, hinc ἐπίλυσις verti posset etiam *inventio*. Plurimi vertunt: *Nullum vaticinium humanae declarationis interpretationisve est:* nemini licet proprio arbitrio interpretari. Aliis *Vaticinia in Sacris litteris consignata non sunt humano ingenio inventa et excogitata*. Porro verba ἰδίας ἐπιλύσεως οὐ γίνεται, verti possunt: *non est propriae, vel suae interpretationis*, i. e. non potest ex se et per se explicari; non potest intelligi nisi ex eventu et historia. Sic e. g. saepe legimus in vaticiniis, venturas esse omnes insulas et nationes Hierosolymam adorandi Iovae caussa; ex eventu et historia intelligimus, magnam paganarum nationum partem ad cognitionem veri Dei pervenisse, non igitur omnes, sed multas tantum nationes intelligendas esse in illis vaticiniis. Cohaereret itaque hoc comma cum praecedenti, ubi dicit Apostolus, doctrinam Prophetarum magis confirmatam esse eventu et doctrina Christi. *Knappius* hoc enunciatum ad ipsos vates refert, quorum oracula litteris consignata extant, in hanc fere sententiam: *Ne ipsis quidem*

vatibus (etiam de Christo vaticinantibus) *in promtu est explicatio eorum, quae vaticinantur.* Apostolum, putat, non ad *lectores* aut *interpretes* respexisse, sed id egisse, ut doceret, cur *vates* clarius atque apertius loqui non potuerint; nempe propterea, quod non proprio animi motu fuerint vaticinati, sed ea tantum tradiderint, quae ipsos tradere ipse Deus iussisset. Sic hoc comma cum sequente bene cohaeret.

21. Οὐ γὰρ θελήματι — ἄνθρωποι) *Non enim arbitrio humano prolatum est unquam vaticinium, sed a Spiritu sancto impulsi docuerunt* (futura praedixerunt) *homines illi divini.* Ἠνέχθη, *prolatum est*, ut hebr. נָשָׂא, *proferre.* Θελήματι ἀνθρώπου, humano ingenio. Non locuti sunt Prophetae futura, quum ipsi vellent; vel quicquid ipsi vellent; non sua sponte vel iussu humano. Οὐ ἅγιοι Θεοῦ ἄνθρωποι, i. e. *Prophetae;* hebraice: אַנְשֵׁי אֱלֹהִים חֲקֹדְשִׁים. Prophetae autem vocati sunt interpretes voluntatis divinae extraordinarii, doctores singularibus mandatis ad gentem iudaicam instructi, non tantum ii qui futura praedixerunt. Φερόμενοι ὑπὸ πνεύματος ἁγίου, *quum eos ageret Dei Spiritus*, inspirati a Spiritu Sancto, Deo monente, et quid docendum esset suppeditante. Φέρεσθαι ὑπὸ τινὸς significat *impelli, trudi, instigari,* vel physice, quum e. g. aliquid fluctibus, vento fertur, i. e. impellitur; vel moraliter, quum quis cupiditate, studio fertur vel instigatur. Ergo sensus huius loci est: Prophetas locutos esse volente ac iubente Deo; ideo eos egisse et docuisse, quae egerunt docueruntque, quia iussi sint a Deo haec agere et docere, et quia id, quod egerunt ac docuerunt, a

Deo acceperint. Quae fuerit inspirationis natura, hoc e verbo φέρεσθαι erui non potest. Ceterum nexus comm. 20. et 21. est hic: Nullum vaticinium potest ex se explicari; nam vaticinia non sunt prolata voluntate hominis; ipsi Prophetae multa non intelligebant; multa erant obscura, et eventu demum accipiebant lucem.

CAP. II.

1. Ἐγένοντο—λαῷ) Bene cohaeret cum superioribus. Non enim omnes Dei prophetae sunt, qui se tales dicunt. Multi falso sibi sumunt id nomen. Digreditur igitur nunc Petrus a prophetis veris ad falsos doctores. Ἐν τῷ λαῷ, in populo Israëlitico. 1 Reg. XXII, 6. Ierem. XXVIII. Ezech. XIII. XXII, 25. 28. ὡς καὶ—ἀπολείας) *Ut etiam inter vos erunt falsi doctores, qui introducent errores perniciosos.* Futura ἔσονται et παρεισάξουσιν (ut recte monet *Storr* in diss. de catholicarum epistolarum occasione et consilio, p. 19.) non tam praedicentis, quam potius argumentantis esse videntur, vel etiam consuetudinis, ut supra I, 12. 15. quod vel *historica* descriptio, quae infra Vs. 10. sqq. sequitur, probabile facit. Sensus igitur est: ita non dubito, *fore* etiam inter vos, qui Dei populus nunc estis, (1 Petr. II, 9. s.) fallaces eiusmodi doctores, qui *inducent* haud dubie etc. Vel etiam sic: Quemadmodum praeter veteres Prophetas etiam ψευδοπροφῆται extiterunt, sic inter vos quoque *existere solent* fallaces doctores, qui *solent inducere* etc. Quinam fuerint isti ψευδοδιδάσκαλοι, non satis notum est. Existimant permulti, fuisse homines, quales po-

stea vocati sunt *Gnostici*, qui orientalem philosophiam coniunxerunt cum religione christiana; cui sententiae contradixit *Tittmannus, de vestigiis Gnosticorum in N. T. frustra quaesitis.* Quanquam vero *nomen* Gnosticorum tempore Apostolorum nondum innotuit, placita tamen eorum, qui Sec. II. Gnostici nominati sunt, nota esse, atque disseminari potuerunt. Alii potius intelligunt Iudaizantes, qui relicta vera doctrina, fingebant oracula adversus romanum magistratum, pollicebantur novum voluptatis theatrum etc., quorum e numero fuerunt multi Montanistae et Sibyllistae Sec. II. III. Quicquid sit, hi falsi doctores disseminarunt perniciosos suos errores in Asia minore; nam ad harum regionum Christianos scripsit Petrus suas epistolas. Perniciosissimos autem fuisse horum hominum errores, patet ex iis, quae infra Vs. 10. sqq. dicuntur. Παρεισάξουσι, *latenter introducent.* Αἱρέσεις ἀπωλείας, *sectas perniciosas*, errores perniciosos. Est vox αἱρέσεως suapte natura media, sed additamento distinguitur. καὶ τὸν ἀγοράσαντα — ἀρνούμενοι) *Non sincere colentes Dominum, qui pro iis mortuus est.* Δεσπότης, Iesus, qui plerumque Κύριος in N. T. vocatur. *Christum abnegare* h. l. est *non sincere colere*, ut 1 Tim. V, 8. τὴν πίστιν ἤρνηται, *pro religionis contemtore habendus est*, quamvis externe profiteatur religionem. Ex eo, quod Petrus in locum usitatioris nominis κυρίου nomen δεσπότου substituit, colligi posse videtur, de *imperio* Iesu controversiam fuisse. Videntur nempe falsi illi doctores, contra quos Petrus disputat, non omnino reiecisse Iesum, ex ea etiam parte quatenus est σωτήρ, sed negasse eius maiestatem et reditum, ceu fabulam, excogi-

tatem ab Apostolis, quo facilius, hoc terrore iniecto, continere discipulos, durisque praeceptis subiicere possent. Quae fuisse videtur causa, cur Petrus statim ab initio huius epistolae protestaretur, se in hac re non secutum esse *fabulas* astute excogitatas. Vid. supra c. I, 16. Cum illa imperii *Christi* negatione coniuncta fuit omnis imperii impatientia, et alia vitia, Vs. 10. sqq. Vid. *Storr* l. c. p. 23. sqq. Ἀγοράζειν, hic non significat effectum ultimum, sed efficaciam. ἐπάγοντος — ἀπώλειαν) Non solum nihil eis proderit, semel fuisse Christum professos, verum etiam accersent sibi celerem poenam.

2. Καὶ πολλοὶ—ἀπωλείαις) *Multi etiam sequentur sententias eorum perniciosas.* Sed pro ἀπωλείαις legendum esse videtur ἀσελγείαις, sicut habent codices plurimi, cum Syra utraque, Arr. Copt. Aeth. Arm. Vulg. harl. Chrysostomo, Oecumenio, Hieronymo. Tum vertendum est: *Multi imitabuntur eorum scelera.* Multos Gnosticos lasciviis et impudicitiae fuisse deditos, satis est notum. De Iudaizantibus modo ad Vs. 1. diximus. δι' οὓς — βλασφημηθήσεται) *Propter quos religio christiana male audiet.* Ἡ ὁδὸς τῆς ἀληθείας, *via vera*, sc. ad aeternam felicitatem. Hoc praecipue de *Carpocratianis* perhibuerunt Veteres, propter quorum doctrinam et mores male audiebat Christianismus, quia et ipsi dici volebant Christiani. Valere potuit etiam de Iudaizantibus, pervertentibus sanctissimam religionem, quorum numerus satis magnus fuit.

3. Καὶ ἐν—ἐμπορεύσονται) *Et quaestus cupiditate decipient vos fallacibus sermonibus.* Ἐν πλεονε-

νεξία, *per avaritiam.* Πλαστοὶ λόγοι, *sermones ficti, ad fraudem compositi.* Systemata Gnosticorum valde erant artificiosa, et speciem habebant sapientiae. Ἐμπορεύεσθαι, *negotiari, lucrum ex aliqua re petere;* deinde etiam decipere, more fraudulentorum mercatorum. Cf. *Irenaeus* adv. Haeres. L. I, c. 1. Utebantur sermonibus, fictis ad palatum hominum, ut iis placerent, dicentes, christianam libertatem esse libertatem agendi quidlibet pro lubitu. οἷς τὸ κρίμα — νυστάζει) *Quibus iam dudum poena decreta est, et quorum interitus non cunctatur.* Νυστάζειν, *dormitare,* metaph. *cunctari.*

4. Εἰ γὰρ—ἐφείσατο) *Quum enim Deus angelis, qui ab eo defecerunt, haud pepercerit.* Ἁμαρτάνειν, pro יָשַׁן, de *defectione* a Deo hic et alibi intelligitur. Cf. Iudae Vs. 6. ἀλλὰ—τετηρημένους) vel ut alii habent, τηρουμένους. *Sed catenis quasi vinctos in tartarum detrudens, tradiderit servandos ad graviorem poenam.* Σειραῖς ζόφου, *catenis tenebrarum,* loci caligine tecti. Tenebrae ipsae vinctos tenent, suntque pro catenis. Sap. XVII, (17.) 18. ἁλύσει σκότους ἐδέθησαν. Ταρταρώσας, in tartarum *detrudens.* Ὁ καὶ ἡ τάρταρος, et in plur. τάρταρα, apud Homerum, Hesiodum, Platonem est locus intimus in rerum natura, caligine et frigore horridissimus. Hesychius: τάρταρος, ὁ ὑπὸ τὴν γῆν κατώτατος τόπος. Eustathius ad Iliad. η. Τάρταρος — ἀὴρ ὑπόγαιος καὶ ἀνήλιος, καὶ διὰ τοῦτο καὶ ψυχρός. Apollodor. Biblioth. I. c. 21. §. 2. ἀλλὰ τοὺς μὲν Οὐρανὸς δήσας εἰς τάρταρον ἔρριψε. τόπος δὲ οὗτος ἐρεβώδης (tenebrosus) ἐστὶν ἐν ᾅδου, τοσοῦτον ἀπὸ

γῆς ἔχων διάστημα, ὅσον ἀπ' οὐρανοῦ γῆ. Inest his verbis descriptio miseriae. Sicut facinorosi catenis vincti detruduntur in carcerem tenebrosum, ita et angeli, qui contra Deum rebellarunt, ad graviorem poenam servantur, et ita tenentur, ut effugere nullo modo possint. Videtur et hic respicere Apostolus ad Librum, qui Henocho tribuitur, ubi dicitur: Πορεύου Ῥαφαὴλ, καὶ δῆσον τὸν Ἀζαὴλ χερσὶ, καὶ ποσὶ, συμπόδισον αὐτὸν καὶ ἐμβάλλε αὐτὸν εἰς τὸ σκότος. Cf. notanda ad epist. Iudae comm. 6. Ceterum omissum, sed supplendum est in hac Periodo a versu inde 4. usque ad 9. *Consequens: καὶ ἄλλοις οὐ φείσεται, etiam aliis non parcet.* Si Deus non pepercit angelis malis; si non perpercit pristino mundo; non urbibus Sodomae et Gomorrhae: *neque etiam aliis, aut tibi parcet.*

5. Καὶ ἀρχαίου—ἐφύλαξε) *Si antiquo mundo non pepercit, sed Noam cum septem aliis, probitatis praeconem conservavit.* Ἀρχαῖος κόσμος, hominum genus ante diluvium. Ὀγδόος Νῶε, i. e. *Noa cum septem aliis;* quod genus loquendi haud rarum est aut inusitatum. Appianus *bell. Pun.* τρίτος δέ ποτε ἐν σπηλαίῳ κρυπτόμενος ἔλαθε, *interdum cum duobus comitibus in spelunca latebat.* Multo tamen frequentius est, ut numerali addatur vox αὐτὸς. Andocides orat. 4. αἱρεθεὶς ἐπὶ τούτῳ δέκατος αὐτὸς, *ipse cum novem aliis ad hoc electus.* Dicitur autem Noa κήρυξ δικαιοσύνης, *praeco virtutis,* quia operam omnem dedit, ut homines suae aetatis ad vitam rectiorem converteret. Cf. Hebr. XI, 7. κατακλυσμὸν — ἐπάξας) Κόσμου ἀσεβῶν, vocat homines impios

ante diluvium. Κατακλυσμὸς, diluvies, *diluvium, inundatio* in Glossario. Ἐπάξας, *inducens*, exacte dictum. Inde ἐπαγωγαὶ Siracidae omnia mala divinitus immissa.

6. Καὶ πόλεις — κατέκρινεν) *Et urbes Sodomorum et Gomorrheorum in cineres redigens damnavit ad eversionem.* Sic Marc. X, 33. κατακρινοῦσιν αὐτὸν θανάτῳ. Alii plerique vocem καταστροφῇ cum κατέκρινε iungunt, et auferendi casu vertunt: *subversione*, s. *excidio punivit*, quae constructio paullo insolentior videtur. Philo de excidio harum urbium sermonem faciens, his inter cetera verbis utitur, de Abrah. p. 369. E. ἡμέρᾳ μιᾷ αἱ μὲν εὐανδροῦσαι πόλεις τάφος τῶν οἰκητόρων ἐγεγένηντο, αἱ δ' ἐκ λίθων καὶ ξύλων κατασκευαὶ τέφρα καὶ λεπτὴ κόνις, *unus dies frequentissimas civitates in busta suorum civium vertit, structuras vero lapideas et lingneas, in cinerem et minutissimum pulverem.* ὑπόδειγμα — τεθεικὰς) Ὑπόδειγμα, *exemplar*, perperam damnatur a Phrynicho et Thoma Magistro. Vid. *Kypke* ad h. l. *Proposuit exemplum impie victuris.* Videre possunt ex eo impii, quae poena ipsos maneat.

7. Καὶ δίκαιον — ἐῤῥύσατο) *Si e contrario pium Lot, quem taedebat vivere inter homines flagitiosos, et legum contemtores, liberavit.* Lotum Apostolus vocat δίκαιον, comparatum cum illis, inter quos habitabat. Sequentia verba construe: καταπονούμενον ὑπὸ τῆς ἀναστροφῆς τῶν ἀθέσμων ἐν ἀσελγείᾳ, *excruciatum vita nefariorum cum lascivia*, i. e. *quem taedebat vivere inter homines fla-*

gitiosos et nefarios. Καταπονεῖσθαι, *vexari, affligi, excruciari,* hoc loco idem fere est ac Vs. 8. βασανίζεσθαι. Ἄθεσμος, de *personis* rarius occurrit. Hoc loco significatur *exlex, legum contemtor, legibus repugnans.* Sic vocantur ii, inter quos Lotus vivebat, quod secundum illam primaevam, partim naturae, partim traditionis legem non viverent.

8. Βλέμματι — ἐβασάνιζεν) Constr. ὁ γὰρ δίκαιος ἐγκατοικῶν ἐν αὐτοῖς, ἐβασάνιζε βλέμματι καὶ ἀκοῇ, ἡμέραν ἐξ ἡμέρας, ψυχὴν δικαίαν, ἀνόμοις ἔργοις, *iustus enim ille, habitans inter illos, cruciatus perpetuos sentiebat, quod videre et audire cogeretur eorum flagitia.* Βλέμματι καὶ ἀκοῇ, *aspectu et visu,* i. e. *audiendo et videndo* vel *quod videre et audire cogeretur.* Ἡμέραν ἐξ ἡμέρας, *in dies,* יוֹם יוֹם. Βασανίζειν, *excruciare,* ponitur hic de *cruciatibus* ex animi moerore et indignatione ortis. Omissum, sed supplendum est *Consequens.* Si Deus liberavit pios ex afflictione, etiam alios itidem liberare poterit.

9. Οἶδε Κύριος — τηρεῖν) Πειρασμοί, *calamitates.* Κολαζομένους, praesens pro futuro, κολασθησομένους, *puniendos.* Ex uno exemplo nobili sententia infertur generalis. Impii certo punientur; in quacunque tandem re poena illa posita sit.

10. Μάλιστα — πορευομένους) *Maxime vero cupiditate impura servientes foedis libidinibus.* Πορεύεσθαι ὀπίσω σαρκὸς, *impuritatem veneream sectari.* Iudas Vs. 7. pro eodem dixit: ἀπελθοῦ-

σαι ὀπίσω σαρκὸς ἑτέρας. Voce σαρκὸς recte intelligitur omnis caro, sive nostri, sive alterius sexus, quae non est nostra, i. e. extra coniugium. Ἐπιθυμία μυασμοῦ, *cupiditas impura.* καὶ κυριότητος καταφρονοῦντας) Κυριότης, abstractum pro concreto, *magistratus, omnes in imperiis positi.* Interdum *angelis* hoc nomen tribuitur, et angelos hoc etiam loco nonnulli intelligunt, sed sine necessitate. τολμηταὶ — βλασφημοῦντες) *Audaces, arrogantes, non verentur maledicere iis, qui in summis honoribus sunt positi.* Post τολμηταὶ, αὐθάδεις supplendum esse videtur ὄντες. Οὐ τρέμουσι βλασφημοῦντες, ex Graecismo, quo participia loco infinitivorum poni solent, pro: οὐ τρέμουσι βλασφημεῖν, *non dubitant maledicere.* Αὐθάδεις sunt *homines, qui sibi solis sapiunt, et praeconceptis suis opinionibus ita inhaerent, ut nihil rectum putent, nisi quod ipsi faciunt.* Loca collegit *Pott.* Οἱ ἐν δόξᾳ sc. ὄντες, vel *summi magistratus*, vel *angeli* primi ordinis. Si *magistratus humanos* intelligas, videtur hoc pertinere ad Iudaizantes, regnum Christi visibile in his terris, et gentium interitum expectantes; hi enim sine dubio maledicebant magistratibus. Quare promittebant *libertatem* (infra Vs. 19), nempe a iugo et dominio gentium. *Storr* suspicatur, hanc horum improborum hominum impatientiam *omnis* imperii, et magistratuum contemtum fluxisse ex negatione imperii Christi et divini iudicii de hominum improbitate per Christum faciendi.

11. Ὅπου — βλάσφημον κρίσιν) *Quum tamen angeli potestate et dignitate maiores non ferant sententiam maledicam contra eos, coram Dei tribunali.*

Κατ' αὐτῶν, *contra eos*, vel *magistratus*, vel *angelos*, et quidem malos. Videtur respicere Petrus ad eandem fabulam, qua usus est Iudas in Epist. comm. 9. ubi annotanda vide. Possent etiam sic intelligi haec verba: angelos non ita immodestos esse, ut iudicent sinistre apud dominum de hominibus illis impiis. Dicuntur angeli Iob. I. et apud Danielem versari inter homines, et narrare Deo quid homines agant. Quum igitur Deo referunt impiorum male facta, non addunt iudicia sinistra, sed omnem rem Deo permittunt. Παρὰ κυρίῳ omittunt codices nonnulli et versiones. Vertunt plerique interpretes: *coram Deo. Storrio* haec verba hoc sibi velle videntur, angelos non ferre contra potestates duram sententiam *praeter eam sententiam, quae dicenda sit a Domino*, παρὰ τὴν κυρίῳ (pro κυρίου) οὖσαν κρίσιν. Conferre iubet Act. VII, 16. παρὰ τῶν υἱῶν Ἐμμὼρ τοῦ Συχὲμ, i. e. παρὰ τὸ μνῆμα τὸ γενόμενον τῶν υἱῶν Ἐμμὲρ, *praeter illud sepulcrum, quod fuerat filiorum Emmori.*

12. Οὗτοι δὲ — καταφθαρήσονται) Ἄλογα ζῶα φυσικὰ, *animalia quae ratione carent, et nihil nisi instinctum naturae sequuntur.* Γεγεννημένα (vel ut alii habent γεγενημένα) εἰς ἅλωσιν καὶ φθορὰν, *quae per naturam in id destinata sunt, ut ab hominibus capiantur, et interficiantur.* Φυσικὰ, per se explicari potest, ut posito commate post φυσικὰ intelligantur *bruta animantia, quae naturae impetum unice sequuntur.* Βλασφημοῦντες ἐν οἷς (i. e. ὅσα) ἀγνοοῦσι, *quia maledictis insectantur ea, quae non intelligunt.* Ἐν, sicuti hebr. ב. Nonnulli hoc ita explicant: Naturam angelorum non

intelligunt, et tamen eos vituperant, tanquam mundi corporei, contra voluntatem summi Dei, conditores. *Gnostici* multa somniabant de aeonibus vel angelis, quibus tribuebant creationem mundi corporei et corporis humani ex mala materia. Corpus igitur vel ieiuniis et duro vitae genere, vel omni flagitiorum et voluptatum genere destruendum esse asseverabant. Sed potuit hoc etiam affirmari de falsis doctoribus, non intelligentibus, quanta sit imperiorum utilitas. Possunt etiam ἐν οἷς ἀγνοοῦσι βλασφημοῦντες dici ii, qui supra bestias sapere nolunt et nihil altum suspiciunt, sed rident potius atque traducunt. Vid. *Storr* p. 79. not. 76. l. c. Ἐν τῇ φθορᾷ αὐτῶν καταφθαρήσονται, *propter corruptos mores suos peribunt.* Ἐν, *propter.* Φθορά, *corrupti mores.* *Storrius: Manet eos pernicies, quam sibi consciverunt ipsi,* i. e. ut Iudas Vs. 10. interpretatur, per haec ipsa, quae, impetum naturae secuti (φυσικῶς) tanquam ratione carentes bestiae, unice respexerunt, sive per libidines, quibus homines ψυχικοὶ effusissime obsecuti sunt, et quarum merces exitium est, peribunt.

13. Κομιούμενοι μισθὸν ἀδικίας) *Atque ita accipient mercedem improbitatis suae.* Refer ad comma praecedens. ἡδονὴν—τρυφὴν) *Voluptati ducentes quotidianam luxuriam.* Ἐν ἡμέρᾳ, sc. ἑκάστῃ. Alii: *interdiu adeo inebriantur,* et *saginantur,* quod in regionibus calidioribus homines perditissimi raro facere solent σπῖλοι καὶ μῶμοι) *maculae et sordes,* i. e. *homines turpissimi.* Abstracta pro concretis. Σπιλάδες Iudae, i. e. dedecora Christianismi. ἐντρυφῶντες—συνευωχούμενοι ὑμῖν) *Oblectant se fraudibus suis,*

immiscentes se conviviis vestris (sacris). Ἐντρυφᾷν τινί h. l. est *re quadam superbire*, ut ap. Lucianum saepe. Fraudes esse videntur h. l. doli et artes, quibus utebantur impuri isti homines, ut mulieres inter convivia ad turpes amores et stupra sollicitarent. His turpibus factis oblectabant se, et gloriabantur, quod tam multos Christianos decepissent, et in societatem suam pertraxissent. Pro ἀπάταις legunt ἀγάπαις Cod. Alexandr. Arabicae versiones, Syra post. in marg. Aeth. Vulg. Ephr. Auct. de sing. cler. Αὐτῶν omittunt Arab. polygl. et Vulg. manuscr. Iudas in Epist. comm. 12. ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν σπιλάδες. Sensus: *Luxuriose vivunt in Agapis, una epulantes vobiscum.* Ἀγάπαι dicebantur convivia illa, in quibus Christiani divites et pauperes pari victu utebantur; divitum enim sumtu pauperes isto quasi refrigerio iuvabantur; inde nomen ἀγάπη, *dilectio*, ut in Apologetico ait Tertullianus. Cf. Act. II, 42. 46.

14. Ὀφθαλμοὺς—ἁμαρτίας) *Qui adulteram semper in oculis ferunt, nec desinunt a peccato.* Qui oculos habent plenos adultera, sunt impuri homines, qui ex adulterae praesentis intuitu oculos pascunt, absentis imaginem quasi vivam et nunquam evanescentem in oculis ferunt, adeoque fervore quodam atque furore libidinis correpti sunt. *Dionysius Longinus* περὶ ὕψους sect. 4. narrat, Timaeum de Agathocle, qui consobrinam suam marito nuptam, postridie nuptiarum per vim abduxerat, scripsisse: ὅ τις ἂν ἐποίησεν, ἐν ὀφθαλμοῖς κόρας μὴ πόρνας ἔχων; *quod nemo sane fecerit, puellas* (sive *pupillas*) *non autem meretrices in oculis habens.* Id eum dicit fecisse ad

imitationem Xenophontis, qui frigide τὰς κόρας *pupillas* vocaverit τὰς ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς παρθένους. Pro ἀκαταπαύστους alii legunt ἀκαταπαύστου. Oculi eorum non adulteria tantum sectantur, sed et alia foeda, et effrenata scelera. Δελεάζοντες ψυχὰς ἀστηρίκτους, *inescant facile animos infirmos*, vel inconstantes. Καρδίαν γεγυμνασμένην πλεονεξίας ἔχοντες, i. e. *insatiabili avaritia pleni*. Participium pro verbali, more Hebraeo, quasi dicas: animus peritus avaritiae. Κατάρας τέκνα, *execratione dignissimi*, homines execrabiles.

15. Καταλιπόντες εὐθεῖαν ὁδὸν) *Postquam deseruerunt veram religionem*, eam viam, quam Apostoli monstraverant, Act. XIII, 10. Est introductio ad comparationem, quae sequitur. ἐπλανήθησαν — τοῦ Βοσὸρ) *In errores delapsi sunt, imitati vivendi rationem Balaami, filii Bosor.* Ὁδὸς τοῦ Βαλαὰμ est *consilium*, quod dederat Madianitis Balaamus, ut virginum suarum formosissimarum illecebris iuvenes Israëlitarum caperent, et ea fraude a veri Dei cultu abstraherent. Ioseph. Ant. IV, 6. Vis autem praecipua comparationis in eo sita est, quod, sicuti Balaam Propheta auctor fuit Moabitis, ut Israëlitas ad commercium prohibitarum libidinum, et per libidines ad idololatriam pellicerent, et hac ratione in eos derivarent gravissimas Dei poenas; sic falsi hi Doctores, patrandarum libidinum licentiam facientes Christianis, ad avaritiam suam, ad Bileami exemplum, satiandam, pariter in Ecclesiam provocarint castigationes Dei severas. Sic plerique interpretes. Fortassis tamen Petrus nonnisi ad avaritiam Balaami respicit, ad quam satiandam falsi

hi doctores ad exemplum Bileami falsam suam doctrinam pro data pecunia tradere solebant; quod etiam verba ὃς μισθὸν ἀδ. ἠγαπ. subindicare videntur. Vid. *Pott* ad h. l. Pater Bileami Num. XXII, 5. vocatur *Beor*. Forte igitur Βεὼρ corruptum in Βοσὸρ, vel pater Bileami fuit binomius. Est etiam *Bosor* nomen loci, cuius mentio Deut. IV, 43. et 1 Maccab. V, 26. hebraice בֶּצֶר. Sed ea loca huc non pertinent. Grotius eum locum designari putat, qui olim dictus פְּתוֹרָה Num XXII, 5. et subintelligit χωρίου. ὃς μισθὸν ἀδικίας ἠγάπησεν) *Qui mercedem iniustam diligebat;* munerum accipiendorum cupiditate flagrabat. Bileamus praemia a legatis oblata acceperit, nec ne, dubium est. In Mosaica narratione nihil de hac re disertis verbis traditur. Accepisse Bileamum praemia Iosephus haud obscure innuit, Ant. IV, 6. 5. τοῦ δὲ Βαλάκου δυσχεραίνοντος, καὶ παραβαίνειν αὐτὸν τὰς συνθήκας, ἐφ' αἷς αὐτὸν ἀντὶ μεγάλων λάβοι δωρεῶν παρὰ τῶν συμμάχων, ἐπικαλεῖντος. Philo de Vita Mosis p. 643. D. ἐπὶ τοῦτον ἐξέπεμπε τῶν ἑταίρων τινὰς, παρακαλῶν ἥκειν, καὶ δωρεὰς τὰς μὲν ἤδη παρεῖχε, τὰς δὲ δώσειν ὡμολόγει. Petrus nec affirmat nec negat, sed tantum Bileamum munerum cupidum fuisse dicit.

16. Ἔλεγξιν — παρανομίας) *Sed improbitatis suae convictus est.* Ὑποζύγιον, sc. κτῆνος vel ζῶον, *iumentum;* sed apud Graecos sacrae Scripturae interpretes semper de asino et mulo dicitur, ut patet ex locis a Grotio citatis; quod eo evenit, quod Iudaea equos non ferret. Ἄφωνον, *quod sermone caret,*

specie excellentiore significata per nomen generis. Optime procedit comparatio. Bileamum asina arguit; hos animalia muta prope omnia; haec enim sexus leges servant, quaedam etiam pudicitiam coniugalem, quod illi non faciunt. ἐν ἀνθρώπου Φωνῇ Φθεγξάμενον) Historia Bileami legitur Num. XXII. Variae sunt interpretum de Bileami asina loquente sententiae. Omnia quae Bileamo hic evenisse narrantur, facta esse in visione *Maimonides* existimavit, ut Bileamus in ipso itinere in Ecstatin redactus, asinam loquentem audire sibi visus fuerit. Alii existimant, Mosen haec desumsisse e carmine historico ab ipso Bileamo confecto, retentis coloribus poeticis, et significari tantum, quid asina fuisset dictura, si Deus ei per miraculum facultatem loquendi concessisset. Vid. *Io. Car. Iusti de Bileami asina loquente* Marburg 1774. *Zachariae* ad h. l. *Guil. Friedr. Hezelii Biblia german. cum annotationibus.* Ingeniosa est Cel. *Ierusalem* sententia, existimantis, esse oraculum fictum, apud Moabitas repertum, et a Mose historiae susae variis ex caussis insertum. Vide eius *Betrachtungen über die vornehmsten Wahrheiten der Religion*, Part. II. Tom. II. vel particulam IV. pag. 501. seqq. Quicquid sit, Petrus rei gestae modum nec explicat, nec explicare voluit. Utitur hac sententia ad reprehendendos impostores illos, qui patrandarum libidinum licentiam faciebant Christianis, et turpitudinem eorum cum Bileami impudentia comparat. Eodem fine usus est etiam quibusdam sententiis ex libris Apocryphis, sicut in Epistola Iudae Henochi liber, sive μῦθος eodem proposito adhibitus est. ἐκώλυσε — παραφρονίαν) Cohibuit vatis dementiam. Si homines tacerent, lapides loque-

rentur, Luc. XIX, 40. Sic quum homines brutescant, bruta animantia pro Deo loquerentur. Προφήτην Petrus vocat, non eum qui talis erat, sed qui talem se dicebat. Παραφρονία, *dementia*, vox est inusitata; nam Graecis dicitur aut παραφροσύνη, aut παραφρόνησις.

17. Οὗτοί εἰσι πηγαὶ ἄνυδροι) *Isti* (falsi doctores) *similes sunt fontibus aqua carentibus.* In Orientis regionibus reperiuntur fontes, qui interdum arescunt, et spem iter facientium fallunt. Sic homines isti speciem sapientiae prae se ferunt, sed fallacem, et prorsus inanem. καὶ ὁμίχλαι ὑπὸ λαίλαπος ἐλαυνόμεναι) *Et* (similes sunt) *condensatis nebulis, a turbine agitatis.* Pro νεφέλαι quod plurimae editiones habent, lege ὁμίχλαι cum codicibus multis, arab. Erpenii, Syra posteriore, copt. aethiop. vulgata, Ephr. Euthalio, Oecumenio, Hieronymo, Augustino. Sunt autem ὁμίχλαι condensatae nebulae, tenebricosae, et non imbriferae. Sicut huiusmodi nebulae videntur quidem pluviosae nubes esse, sed non sunt, et spem hominum fallunt: sic etiam falsi doctores isti non praestant id, quod promittunt. Similis priori comparatio. οἷς ὁ ζόφος—τετήρηται) i. e. *Quibus poenae gravissimae paratae sunt.* Poenae alterius seculi modo sub incendii, modo sub tenebrarum figura describuntur, ut Matth. VIII, 12. XXII, 13. XXV, 30. Augetur autem significatio, quum non ζόφος tantum dicitur, sed ζόφος σκότου, ut et Iudae com. 13. Tenebricosa vita tenebris punietur.

18. Ὑπέρογκα—φθεγγόμενοι) *Dum enim loquuntur inflata et vana*, multa et magna vanis verbis pro-

mittunt. Ὑπέρογκα, sc. ῥήματα. Ὑπέρογκα ματαιότητος ex Hebraismo pro: ὑπέρογκα καὶ μάταια. δελεάζουσιν — ἀναστρεφομένους) *Pelliciunt ad effrenatas libidines et voluptates eos, qui vix effugerant versatos in errore*, i. e. eos, qui reliquerant consortium et societatem errantium et vitiis deditorum, nempe Ethnicorum. Hos enim innuere videtur Apostolus. Ἐν ἐπιθυμίαις videtur positum esse pro εἰς ἐπιθυμίας. Vel ἐν significat *per*. Dum vitam agunt libidinosam, et impune hoc fieri audacter affirmant, pelliciunt alios ad se. Pro ὄντως legunt ὀλίγως Cod. vaticanus et alexandrinus, cum versionibus et Patribus diversarum recensionum. ὀλίγως, *vix*, μόλις. Receptam habent translatio armenica, et arab. pol.

19. Ἐλευθερίαν — τῆς φθορᾶς) *Libertatem* intellige vel licentiam quicquid faciendi, vel potius libertatem politicam, a iugo romano, ut annotavimus ad comma 10. Δοῦλοι τῆς φθορᾶς, *servi morum corruptissimorum*, adeoque vera libertate, quae in domandis cupiditatibus atque libidinibus cernitur, prorsus carentes; nam φθορὰ sumitur ut supra c. I, 4. ᾧ γὰρ — δεδούλωται) *Nam a quo quis victus est, eius est servus.* Quum igitur isti homines a foedis suis cupiditatibus victi sint, sequitur, ut iis toti sint mancipati, earum servi. Sensus idem, qui Io. VIII, 34. et Rom. VI, 16. Ἥττᾶσθαί τινι, *vinci ab aliquo.*

20. Εἰ γὰρ ἀποφυγόντες — χείρονα τῶν πρώτων) *Si enim, postquam effugerant vitia improborum hominum per religionis christianae cognitionem, iis denuo irretiti superantur, peior est eorum conditio*

quam antea fuerat. Τὰ μιάσματα τοῦ κόσμου, *contagium morum perditorum, quibus dedita est maior pars hominum.* Ἐπίγνωσις Ἰησοῦ Χριστοῦ, *religionis christianae recta cognito.* Γέγονεν αὐτοῖς τὰ ἔσχατα χείρονα τῶν πρώτων, *conditio eorum fit peior multo quam antea fuerat.* Graviori poena nunc, Christiani facti, digni sunt, quam antea quum Ethnici essent, carentes recta cognitione. Eadem verba habes Matth. XII, 45. et Luc. XI, 26.

21. Κρεῖττον γὰρ—ἐντολῆς) Κρεῖττον, *melius*, dicitur id, quod minus malum est. Minor enim esset eorum culpa, si cognitione verae religionis omnino destituti fuissent, quia ignorantia quodammodo eos potuisset excusare. Ἡ ὁδὸς τῆς δικαιοσύνης, *via ad probitatem ducens, vera religio*, quae supra ὁδὸς ἀληθείας, et ὁδὸς εὐθεῖα. Ἐπιστρέψαι ἐκ τῆς παραδοθείσης αὐτοῖς ἁγίας ἐντολῆς, *desciscere a sancta religione, quae ipsis tradita fuerat*, per Apostolos nempe, eorumque coadiutores. Ἁγία ἐντολὴ iterum κατ' ἐξοχὴν est religionis christianae sancta doctrina.

22. Συμβέβηκε—παροιμίας) Τὸ τῆς παροιμίας, *quod est in proverbio.* Sic Lucianus dial. mort. Crem. et Dam. τοῦτο ἐκεῖνο τὸ τῆς παροιμίας; κύων—ἐξέραμα) כֶּלֶב שָׁב עַל־קֵאוֹ, *canis reversus ad suum vomitum*, Salomo Prov. XXVI, 11. usurpat de eo, qui iterat stultitiam suam, i. e. de impio, qui scelera sua iterat. ὗς—βορβόρου) i. e. ἐπιστρέψασα. *Sus lota revertitur ad volutationem in coeno.* Arrian. *Dissert.*

Epict. ἀπέλθε καὶ χοίρῳ διαλέγου, ἵν' ἐν βορβόρῳ μὴ κυλίηται, abi, cum porco disputa, ne in coeno volutetur.

CAP. III.

1. Ἐν αἷς — διάνοιαν) *In quibus sinceram mentem vestram per admonitionem excito*, i. e. in quibus vos excito, ut porro retineatis sinceram illam mentem, quae Christianos decet. Ἐν αἷς, pertinet ad utramque Epistolam; alioqui dicendum fuisset ἐν ᾗ.

2. Μνησθῆναι — προφητῶν) *Ut memores sitis eorum, quae praedicta sunt a sanctis Prophetis.* Hi enim monuerunt, hoc genus hominum esse cavendum. Vulgata: *Ut memores sitis eorum, quae praedixi, verborum a sanctis prophetis.* καὶ τῆς—σωτῆρος) *Et doctrinae nostrae, qui sumus Apostoli Domini et Servatoris*; quasi scriptum esset: καὶ τῆς ἐντολῆς ἡμῶν, τῶν ἀποστόλων τοῦ κυρίου καὶ σωτῆρος. Ἐντολὴ rursus est *doctrina*, ut modo cap. II, 21. Vulgata: *et Apostolorum vestrorum, praeceptorum Domini et Salvatoris*; legit enim ὑμῶν, quae lectio etiam in codicibus nonnullis extat. Dan. Heinsius putat, a parum attentis minus recte distinctos fuisse versus, atque hoc modo distinguendum esse locum: μνησθῆναι τῶν προειρημένων ῥημάτων ὑπὸ τῶν ἁγίων προφητῶν, καὶ τῆς τῶν ἀποστόλων ἡμῶν ἐντολῆς. Deinde novo versu: Τοῦτο κυρίου καὶ σωτῆρος ἡμῶν τοῦτο πρώτον γινώσκοντες, ὅτι ἐλεύσονται etc. et innui Christi praedictionem Matth. XXIV, 24. Iudicium sit penes doctiores.

3. Ὅτι ἐλεύσονται — ἐμπαῖκται) Post τῶν ἡμερῶν addunt ἐν ἐμπαιγμονῇ codices nonnulli, cum versionibus quibusdam et Patribus. Ἐν ἐμπαιγμονῇ pro ἐν ἐμπαιγμῇ, dicitur enim et ἐμπαιγμὴ, et ἐμπαιγμὸς et ἐμπαίγμα, *irrisio*, *ludibrium*. Haec verba, sive cum ἐλεύσονται iungantur, ut pro σὺν ἐμπαιγμονῇ posita sint, sive cum ἐμπαῖκται construantur, ex Hebraismo non tam redundare, quam ipsius sententiae vim augere videntur. Nam est mos Hebraeis, augendi caussa addere substantiva adiectivis. Ἐπ' ἐσχάτου (sc. μέρους,) τῶν ἡμερῶν, non designat certum tempus, sed significat *tandem*, aut *posthac*, quo sensu et אַחֲרִית הַיָּמִים occurrit Num. XXIV, 14. Aliis τὸ ἔσχατον τῶν ἡμερῶν est totum tempus N. Testamenti; posterior mundi epocha. Ἐμπαῖκται, *irrisores*, h. l. sunt homines qui pietatem irrident, a religione christiana alieni. κατὰ — πορευόμενοι) *Suis cupiditatibus indulgentes*, et vivendo et sentiendo; nam πορεύεσθαι non modo de *moribus*, sed et de *placitis* dicitur.

4. Καὶ λέγοντες — παρουσίας αὐτοῦ;) i. e. *Ubi est ullum promissi adventus indicium?* Ἐπαγγελία, *indicium adventus*. Dicebant: *Quando demum implebit promissionem suam, et adveniet Christus?* Αὐτοῦ, Χριστοῦ, cuius nomen paullo ante praecessit; et si id non esset, tamen ex re ipsa satis poterat intelligi. Παρουσίαν hic intelligo adventum Christi extremum, de quo vide quae annotavi ad 2 Thess. II, 1. sqq. Eo facilius in hanc impietatem delabi poterant impii homines, ut prorsus negarent, vera esse quae Christus praedixisset, quod, excisis Hierosolymis, adhuc viderent stare hanc mundi machinam, contra quam ple-

rique Christianorum futurum esse existimaverant. ἀφ' ἧς – κτίσεως) Quasi dicerent: Mortem obierunt alii post alios patres nostri, neque quisquam adhuc revixit. Et quemadmodum ab orbe condito, morientium ac nascentium vicibus propagantur omnia, ita huc usque manet idem cursus naturae. Existimabant igitur, nunquam futurum, quod aliquamdiu differtur.

5. Λανθάνει γὰρ — τῷ τοῦ θεοῦ λόγῳ) Multum hic locus torsit interpretes, adeo ut pridem non paucis totius Epistolae suspecta fides fuerit eius caussa. Sed facilior erit explicatio, si contextum, et consilium Apostoli bene attendas. Vult Petrus refutare empaectas, dicentes, totam hanc rerum naturam mansisse, et semper esse mansuram in eo statu quo fuerit ab initio creationis, nec mundum unquam esse interiturum, com. 4. Contra hos igitur ostendit: non omnia mansisse eo statu, quo primum condita sunt a Deo; mundum enim (i. e. tellurem nostram cum sua Atmosphaera) semel iam periisse inundatione universali, (5. 6.) atque iterum simili modo perituram esse; sed *igne*, non *aqua*. Id illis Empaectis vel esse ignotum, vel nolle eos hoc intelligere. Λανθάνει γὰρ αὐτοὺς τοῦτο θέλοντας, Beza: *Illud enim sponte illos latet;* ac sic θέλοντας id esset quod ἑθελοντί vulgo Graeci, *sponte* aut *volentes* dicunt Latini. Sed dicuntur etiam Graecis θέλειν, Latinis *velle*, qui aliquid *existimant*, aut *statuunt;* ut si quis, qui opiniones Thaletis sive ἀρέσκοντα exponit, dicat: θέλει δὲ πάντων ἀρχὴν τὸ ὕδωρ εἶναι, *omnium principium vult aquam esse.* Eodem modo et hic: *Latet eos qui hoc volunt*, vel *ita censent.* Quid autem censeant, iam dixit, nempe ὅτι πάντα

οὕτω διαμένει etc. Ὅτι οὐρανοὶ — λόγῳ, *coelos olim fuisse, et terram in mediis aquis constitutam nutu Dei potentissimo.* Οἱ οὐρανοί, השמים hic non est coelum aethereum, sed aëreum. Sunt igitur οἱ οὐρανοὶ καὶ γῆ *terra cum sua athmosphaera.* Non tamen existimandi sunt Veteres exactam habuisse harum rerum notitiam, qualem habent recentiores Astronomi. *Coelum et terra* ipsis erat *hoc universum.* Ἐξ ὕδατος καὶ διὰ ὕδατος Camerarius explicat: ἐκτὸς ὕδατος, seu πρὸς ὕδατι, et διὰ ὕδατος i. e. μετὰ *seu* ἐν μέσῳ ὕδατος, *inter aquas;* sicut τανυσσάμενος διὰ μήλων *protensus inter oves.* Potest vero etiam explicari ex Hebraismo; nam διὰ ponitur etiam pro בְּתוֹךְ, *inter.* Συνεστῶσα Grotius per zeugma tam ad coelum quam ad terram refert, ut Petrus terram ex aqua emersisse dicat, et συνεστῶσα idem sit ac σύστασιν suam habens. Sed συνίστημι hic potius esse videtur, *existo, fio, constituor.* Συνεστῶς pro συνεστηκώς, et in foeminino συνεστῶσα, non συνεστυῖα, quia hoc participium perfecti per crasin formatum est. Τῷ τοῦ θεοῦ λόγῳ, i. e. *nutu Dei potentissimo;* λόγος enim pro hebr. דָּבָר interdum est *mandatum, voluntas* etc.

6. Δι' ὧν — ἀπώλετο) *Proinde is, qui tum fuit mundus aqua inundatus periit.* Δι' ἅν, i. e. διὸ, ut *Beza* recte vertit; nam errant, qui convertunt *per quae,* quum mox sequatur ὕδατι. Κατακλύζειν, *inundare, submergere.* Ὁ τότε κόσμος quid sit, de eo ambigunt interpretes. Plerique intelligunt homines tempore diluvii viventes, et respici putant ad narratio-

nem Mosaicam Gen. VII, 11. Enimvero quum ei non opponatur ὁ νῦν κόσμος, sed οἱ νῦν οὐρανοὶ καὶ ἡ γῆ, videtur Apostolus coelos hos ac terram hanc ab aliis distinguere, nec per inundationem illam, qua periit prior mundus, Noachicum intelligere diluvium, quo nec coelum nec totum genus humanum interiit. Vix ac ne vix quidem de diluvio Noae tempore hic posse sermonem esse, bene perspexit *Dan. Heinsius*, sed meliorem explicationem non dedit. Mihi plane persuasum est, *aliud olim coelum*, i. e. aliam externam faciem coeli et terrae fuisse ante illud diluvium tempore Noae immissum terris, in qua sententia fuisse constat *Thomam Burnetum* in *Theoria telluris* Lib. III. c. 11. Meam sententiam uberius exposui in libello: *Antiquissima telluris historia a Mose Gen. I. descripta.* Verisimilis nempe est mihi eorum sententia, qui statuunt, orbem terrarum diu post primam illam universi huius creationem inundatione quadam universali, illo Noachico diluvio multo terribiliore et diuturniore penitus esse devastatum, omnibusque, quibus antea ornatus erat rebus, spoliatum; renovatum autem deinde a Deo, et habitationem factam esse hominum et animalium, hancque metamorphosin describi a Mose. Hanc sententiam ipse hic Petri locus (Vs. 5. 6.) confirmare videtur, quem ita verterem: *Denn die solches behaupten*, (dass es alles geblieben sey, wie es vom Anfang der Schöpfung her war,) *wissen nicht, dass vorzeiten auch ein Himmel war*, (οὐρανοὶ sine articulo,) *und eine Erde, welche durch Gottes Allmachtswort ganz unter Wasser gesetzt war, so dass die ganze damalige Welt vom Wasser überschwemmt, zu Grunde ging.* Simillimam isti rerum conversionem

futuram esse, nunc affirmat Apostolus, com. 7. hoc potissimum discrimine, quod illius caussa instrumentalis fuerit *aqua*, huius futura esset *ignis*.

7. Οἱ δὲ νῦν — τεθησαυρισμένοι εἰσὶ) *Qui autem nunc sunt coeli et terra eiusdem* (Dei) *voluntate nunc permanent.* Pro τῷ αὐτῷ λόγῳ legendum videtur τῷ αὐτοῦ λόγῳ, quod habent multi codices et versiones. Τεθησαυρισμένοι εἰσὶ, i. e. intacta relinquuntur ad tempus, ut ea, quae arca clauduntur. πυρὶ τηρούμενοι—ἀνθρώπων) *Incendio reservantur, usque ad diem iudicii, quo impii homines perdentur.* Mundum esse conflagraturum, antiquissima est traditio, a Petro confirmata. *Ovid.* Metamorph. lib. I. v. 256. sqq. *Esse quoque in fatis reminiscitur, affore tempus, Quo mare, quo tellus, correptaque regia coeli Ardeat, et mundi moles operosa laboret.* Minucius Felix, XXXIV, 2. *Stoicis constans opinio est, quod consumto humore mundus hic omnis ignescat: et Epicureis de elementorum conflagratione et mundi ruina eadem ipsa sententia est.* Seneca Libro de Consolatione ad Marciam c. XXVI. *Sidera sideribus incurrent, et omni flagrante materia, uno igne, quicquid nunc ex disposito lucet, ardebit.* Eiusdem traditionis testimonia fuisse apud *Hystaspen*, *Sibyllas* et *Sophoclem* ostendit *Grotius* de Verit. rel. christ. Lib. I. §. 22.

8. Ἓν δὲ τοῦτο — ὡς ἡμέρα μία) *Unum etiam hoc ne lateat vos, dilecti, unum diem apud Deum esse ut mille annos* etc. Ἓν δὲ τοῦτο μὴ λανθανέτω ὑμᾶς, *hoc inprimis scitote.* Progreditur Petrus ad comme-

morandam caussam, cur Deus extremum iudicium de die in diem differat, quae est in eius insigni patientia et clementia. Praemittit autem hoc: nobis saepe longa videri, quae sint brevia. Diem apud Deum esse mille annos, dictum est frequens Hebraeis, ut videre est Ps. XC, 4. Sirac. XVIII, 8. et in *Zoar, Parascha Bereschith.* Vult Apostolus, illud tantum curandum nobis esse, ne dies ille, quandocunque venerit, offendat nos imparatos. Nobis pro nostro animo quaedam longa videri, quaedam brevia: at Deo nihil esse neque breve neque longum; eadem eum fide praestare quod serius praestat, qua quod maturius.

9. Οὐ *βραδύνει—ἡγοῦνται*) *Non procrastinat Deus id quod promisit*, (cunctatorum more,) *quemadmodum falso opinantur quidam*, et propterea ipsam quoque rem promissam in dubium trahunt. Certum tempus nunquam praefixit Deus; itaque propter longam moram nemo putet, poenituisse eum consilii sui. Βραδύνειν intransitive est *cunctari*, *tardare*, transitive autem, *differre*, *remorari*. Raro construitur cum Genitivo; quapropter nonnulli post τῆς ἐπαγγελίας supplendum esse existimant ἔνεκα. ἀλλὰ *μακροθυμεῖ—χωρῆσαι*) Μακροθυμεῖ *εἰς ἡμᾶς, patiens est erga nos*, i. e. erga humanum genus. Εἰς *μετάνοιαν χωρῆσαι* vel idem est ac *μετανοεῖν, poenitere, animum mutare*, aut etiam maiori cum emphasi verti potest: *ad poenitentiam confugere.* Sensu priore Plutarchus de *flumin.* de Maeandro: *εἰς μετάνοιαν ἐπὶ τοῖς πραχθεῖσι χωρήσας, poenitens facti.* Notione posteriore Diodorus Siculus L. XX, c. 68. *εἰς ὅπλα χωρεῖν, ad arma confugere.*

10. Ἥξει δὲ—ἐν νυκτί) Ἐν νυκτὶ deest in codicibus, versionibus et Patribus nonnullis. *Dies* intelligitur illa ultima, qua Christus homines iudicabit. Ὡς κλέπτης, i. e. *inopinate, subito,* sicut fur nocturnus dormientibus obrepit inexpectatus. ἐν ᾗ — παρελεύσονται, *quo coeli cum impetu interibunt.* Οἱ οὐρανοὶ eodem sensu, quo supra Vs. 6. Ῥοιζηδὸν, i. e. μετὰ ῥοιζοῦ, *cum stridore, magno impetu.* Παρέρχεσθαι, *perire, interire* dicitur etiam de speciei et formae mutatione. Res *abesse* videntur, aiunt Iurisconsulti, etiam hae, quarum corpus manet, si forma mutata est. στοιχεῖα—λυθήσονται) *Elementa vero aestu consumta comburentur.* Στοιχεῖα, h. l. sunt partes, etiam aspectabiles, ex quibus omnes res naturales, quae sub coelo sunt, componuntur. Hesychius: στοιχεῖα πῦρ, ὕδωρ, γῆ καὶ ἀήρ, ἀφ' ὧν τὰ σώματα. Apud Epiphanium etiam legimus pro ipsis signis Zodiaci, et ipsorum figuris, quas δεκὰν Aegyptii vocabant, Hebraei פָּנִים, i. e. *facies*, Graeci Astrologi πρόσωπα. *Aërem* intelligit *Moldenhawerus*, quem ad h. l. confer. Plerique interpretes intelligunt *astra*, sine idoneis rationibus, ut mihi quidem videtur. Λύεσθαι, *dissolvi*, de forma priori exire. καὶ γῆ—κατακαήσεται) Ἔργα apud Graecos Auctores sunt ea, quae agriculturam, aut cultum spectant, quem impendunt terrae homines. Sic Hesiodi ἔργα Grammatici interpretantur γεωργίας διδασκαλίαν, *agriculturae institutionem.* De quo quum fieri non possit cogitasse Apostolum, τὰ ἐν τῇ γῇ ἔργα, ea quae in ipsa tum exstabunt aut erunt, dici, recte existimat Heinsius; ut sic ἔργον sit, quod מְלֶאכָה Hebraeis, quo, quaecunque industria hominis

aut labore parta ministerio eiusdem cedunt atque usui, dicuntur: inter quae, ut facultates ac opes, ita quae ex arte ac ingenio proveniunt, ut quum, *πᾶν ἔργον σοφίας, καὶ πᾶς σοφὸς ἐν παντὶ ἔργῳ*, ac similia, Hellenistis dicuntur. Ceterum non de interitu Hierosolymorum, sed de mundi interitu h. l. esse sermonem, totus contextus, et ipsa concludendi ratio, qua utitur Apostolus, clarissime ostendit.

11. *Ποταπούς δεῖ ὑπάρχειν ὑμᾶς;*) *Quales vos esse oportet?* *Ποταπὸς*, est aliquid plus, quam *ποῖος*; dicitur enim de rebus eximiis. Quae sequuntur continent responsionem ad hanc interrogationem.

12. *Ἐν ἁγίαις—τοῦ θεοῦ ἡμέρας*) Ex antecedentibus supplendum est *δεῖ ὑμᾶς ὑπάρχειν. Tales vos esse oportet, qui omni genere virtutum et pietatis instructi expectare et avide desiderare possint venturum illum Dei diem.* *Ἐν ἁγίαις ἀναστροφαῖς καὶ εὐσεβείαις*, Hebraeorum more dicitur, qui omnibus talibus nominibus dare solent plurales, quum *ἀναστροφὴ* et *εὐσέβεια* alias singulariter dicantur. *Σπεύδειν* hic non est *accelerare*, sed *cupidum esse, affectare, avide desiderare.* Ita Euripides in *Hecuba* v. 1175. *σπεύδων χάριν τὴν σήν*, *favoris tui cupidus*, et v. 1201. *τίνα δὲ καὶ σπεύδων χάριν; quam vero captans gratiam? δι' ἣν—τήκεται*) *Δι' ἣν*, sc. *ἡμέραν*, pro *ᾗ ἡμέρᾳ*. Alii subintelligunt *παρουσίαν*, per illam summam Dei vim, quae illo die, i. e. illo tempore se ostendet. *Πυρούμενοι*, *fusi igne*, ut metalla fundi solent. *Τήκεται*, pro *ταὴσεται*, *diffluent*, ut cera. Sic Ies. LXIV, 1. *ὄρη ταὴσεται.*

13. Καινοὶς — προσδοκᾶμεν) Καινοὺς οὐρανοὺς καὶ γῆν, i. e. *novum universum;* nam id Hebraei nominibus coeli et terrae solent exprimere, ut Gen. I, 1. Ex reliquiis molis antiquae resurget melior. Potest hoc intelligi vel *proprie*, de meliore mundo corporeo, vel *tropice*, de nova rerum conditione in vita illa aeterna et beata. ἐν οἷς δικαιοσύνη κατοικεῖ) *Ubi nonnisi iusti et boni commorabuntur;* non ut in hoc seculo, boni malis permixti. Matth. XXV, 32.

14. Ταῦτα προσδοκῶντες—εἰρήνῃ) Ταῦτα προσδοκῶντες, *tanta praemia expectantes.* Αὐτῷ, i. e. παρ' αὐτοῦ, *ab eo.* Omnem date operam, ut ipse (Deus) vos reperiat sine sordibus, vitioque. Ἐν εἰρήνῃ, i. e. εἰς εἰρήνην, *ad bonum vestrum, ad prosperitatem vestram. Carpzovius: cum bona conscientia*, per Hebraismum. *Pott: cum pacis studio.*

15. Καὶ τὴν — ἡγεῖσθε) *Illam Domini lenitatem credite vobis* et aliis *esse salutarem.* Sic πᾶσαν χαρὰν ἡγήσασθε Iac. I, 2. Si forte dies ille serius advenerit, nolite sic interpretari, quasi venturus non sit, sed existimate potius hanc Dei lenitatem, qua omnibus facit spatium ad poenitentiam, salutarem hominibus esse. καθὼς καὶ—ἔγραψεν ὑμῖν) *Quibus de rebus etiam dilectus frater noster Paulus pro data sibi sapientia scripsit vobis.* Καθὼς non tantum ad verba immediate praecedentia, sed etiam ad Vs. 14. refertur; nec dicit Petrus, Paulum iisdem usum esse verbis, sed de iisdem scripsisse *rebus.* Ὑμῖν, nempe *Hebraeis*, ut plurimi existimant (qui Epistolam ad Hebraeos Paulo auctori assignant); nam scripserat Paulus in hanc sen-

tentiam de consummatione seculi instante Hebr. IX, 26. X, 25. 37. et sic in ceteris epistolis. Vid. inprimis *Gottl. Christianus Storr: de catholicarum epistolarum occasione et consilio*, pag. 1. sqq. Cf. eiusdem Prolegom. in epist. ad Hebraeos. p. LXXVI, s. Alii, qui negant, Hebraeos ad ques scripsit Paulus esse eosdem, qui nominantur 1 Petr. I, 1., deperditam esse putant eam, de qua hic sermo est, Epistolam.

16. Ὡς καὶ—περὶ τούτων) *Quod et fecit in omnibus epistolis, in quibus agit de his rebus*, nempe de adventu Domini, per longanimitatem dilato, et de illis, quae in illo, et ante illum evenient. ἐν οἷς—ἀπώλειαν) Ἐν οἷς legendum esse, non autem ἐν αἷς, interpretes fere consentiunt. *In his rebus*, quae nempe adventum Domini, eiusque tempus concernunt, ἐστὶ δυσνόητά τινα, *sunt nonnulla difficilia intellectu.* Ἃ οἱ ἀμαθεῖς καὶ ἀστήρικτοι στρεβλοῦσιν, *quae imperiti et parum firmi* (in religione) *detorquent.* Ἀμαθεῖς, *imperiti, tardi* h. l. vocantur illi, qui seriem propositumque Apostoli non considerant. Ἀστήρικτοι, quibus deest firma solidaque religionis christianae cognitio. Condemnat Apostolus homines, quos στρεβλοῦν seu *detorquere* ait, quae optime dicuntur. Ὡς καὶ τὰς λοιπὰς γραφάς, nempe libros Evangeliorum, et Acta, quae iam in manibus erant, quum haec epistola scriberetur. Vid. *Grotius* ad h. l. Πρὸς τὴν ἰδίαν αὐτῶν ἀπώλειαν, *ad suam ipsorum perniciem*, dum nempe adferunt ad lectionem malum animum, et mala praeiudicia.

17. Ὑμεῖς οὖν—στηριγμοῦ) Προγινώσκοντες, sc. ταῦτα, *quum haec praesciatis*, praemoniti de pericu-

lis. Φυλάσσεσθαι, *cavere*, quo sensu hoc verbum non tantum in N. T. sed etiam apud Profanos occurrit, ut ostendit *Wetstenius*. Ἄθεσμοι, *nefarii*, ut supra II, 7. Πλάνη h. l. est *deceptio*, מִרְמָה, ut Prov. XIV, 25. Συναπάγεσθαι, *abripi*, ut Galat. II, 13. Στηριγμὸς h. l. est constantia illa, per quam retinetur fides. Ἐκπίπτειν στηριγμοῦ, *amittere firmitatem*, i. e. constantiam in religione, sicut Gal. V, 4. χάριτος ἐκπίπτειν est *amittere gratiam*.

18. Αὐξάνετε — Χριστοῦ) i. e. *Date operam, ut magis magisque favore suo complecti possit vos Christus, et vos eum perfectius cognoscatis.* Χάρις Χριστοῦ, Christi in nos favor. Vel χάρις καὶ γνῶσις per Hendyadin est beneficium illud, quo Christus cognoscitur. εἰς ἡμέραν αἰῶνος) *In tempora aeterna.* Ἡμέρα, *tempus* more hebraeo significat.

SCHOLIA

IN

EPISTOLAM IOANNIS PRIMAM.

Primam hanc Ioannis epistolam semper ab ecclesia fuisse receptam, docet nos *Eusebius* Hist. Eccles. L. III, c. 25. inter ὁμολογούμενα eam referens. Teste *Augustino* Lib. II. quaest. evangel. cap. 39. vocata olim fuit Epistola ad *Parthos*, i. e. ad Iudaeos Christum professos, qui non sub Romanorum, sed Parthorum vivebant imperio, in locis trans Euphratem, ubi ingens Iudaeorum erat multitudo, ut Nearde, Nisibi, et aliis in locis. Hanc caussam esse putat Grotius, cur haec epistola neque in fronte nomen titulumque Apostoli, neque in fine salutationes apostolici moris contineat, quia nimirum in terras, hostiles Romanis, haec epistola per mercatores Ephesios mittebatur, multumque nocere poterat Christianis, si deprehensum fuisset hoc, quanquam innocens litterarum commercium. Sed argumentum huius epistolae probare videtur, eam a Ioanne fuisse scriptam ad Christianos in iisdem viventes regionibus in quibus vivebant ii, ad quos scripserunt Iacobus, Petrus et Iudas; nam tota epistola eo spectat, ut confirmetur Christianorum constantia, quam

omni ope labefactare nitebantur illi impostores, et falsi doctores, quos Iacobus etiam, Petrus et Iudas notant in suis Epistolis. Vide quae praemisimus Scholiis in Epistolam Petri priorem, et in Epistolam Iacobi. Qui eiusmodi falsas doctrinas spargebant, aut erant Iudaizantes, qui docebant, Christum ideo venisse, ut regnum in terrarum orbe capesseret contra gentes, et de reditu Christi in terram fabulas novas, quae populo facile placerent, commenti erant, aut novae dediti philosophiae, quales iam tum erant *Cerinthiani*, quos Ioannes, ut nonnulli putant, initio Evangelii notasse videtur. Aliam hi de Christo historiam narrabant, ita ut alii de supplicio crucis, quod Christus perpessus est, tacerent; alii omnino negarent, Christum *venisse in carne*, ἐν σαρκί ἐληλυθέναι, c. IV, 2. Qui formulam ἐν σαρκὶ *de vera humanitate veroque corpore Christi* interpretantur, ii commenta *Docetarum*, (veram Christi ἐνανθρώπησιν negantium) quales plerique Gnostici fuerunt, a Ioanne refutari arbitrantur. Enimvero σάρκα illo loco ut alibi saepe significare vitae conditionem tenuem et miseram, adeoque omnem Christi ταπείνωσιν, recte monuit *Ge. Chr. Knappius* in *commentatione in locum* 1 *Io. V*, 6—11. *in qua simul argumentum ac series sententiarum per universam hanc epistolam declaratur.* (Halae 1792. 4. recusa in *Scriptis varii argumenti* etc. 1805. T. I. p. 169. sqq. Ed. sec. 1823. p. 153. sqq.) Nec ullum est in libris Evangelistarum ceterorumque auctorum Novi Testamenti vestigium e quo appareat, iam tum extitisse, qui dubitarent, Iesum in cruce mortem vere oppetiisse. Quin ea aetate, teste Matthaeo (c. XVIII, 11—15.) divulgatus est apud Iudaeos rumor ille, postea

quoque per eosdem late propagatus, de *exanimi* Iesu *corpore* a sectatoribus eius e sepulcro furtim ablato. Igitur impostores illi ex eorum genere fuerunt, qui *humilitate Iesu* offenderentur, eamque ob caussam negarent, eum esse τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ, *Messiam*. Iudaeorum votis illa quidem aetate Messiam avide expetitum esse novimus, at non ἐν σαρκὶ ἐλευσόμενον, i. e. *humilem*, *obscurum*, *ignominiosae morti obnoxium*, sed potentem, sed splendore externo conspicuum, hostium debellatorem, publicae libertatis vindicem. Quare qui vanam spem de honoribus ac divitiis in regno Messiae obtinendis concepissent, Iesum repudiarunt. Iidem, ut ipsi erant voluptati, avaritiae aliisque dediti cupiditatibus, ita vitae libidinosae licentiam et excusabant, et commendabant publice, cap. IV, 5. Inde perspicimus caussam, cur per universam epistolam loci illi de Iesu Messia, de eius humilitate in terra et morte cruenta, per quam impunitatem et salutem consequamur (c. I, 7. II, 1. 2. III, 5. 16. IV, 10. rel.); item de deceptoribus afflatum divinum prae se ferentibus (IV, 1. sqq. coll. 1 Cor. XII, 1—3.): denique de consensione et tanquam concentu doctrinae cum vita ac moribus, aliaque eiusdem generis tam accurate diligenterque tractentur. Argumentum ac seriem sententiarum per universam hanc epistolam, tanquam in tabula conspiciendam exhibuit Knappius in commentatione modo laudata. Nos singulis sectionibus praemittemus uberiorem argumenti expositionem. Brevis epistolae summa est haec: Docet Apostolus salutarem Iesu Christi doctrinam, ab Apostolis traditam, esse divinam. Hortatur ad fidem huic doctrinae et promissis divinis habendam, ad pium obsequium praeceptis Dei praestandum, inprimis

vero ad amorem Dei et proximi, et ab his cavendum esse monet, qui discedebant a vera religione. Modus tractandi est arbitrarius, nimirum ad regulas artis non adstrictus. Tractat enim Apostolus illa capita promiscue, et alternatim subinde ab uno ad alterum transiens atque rediens; sic tamen, ut plerumque a promissis ad praecepta descendat, et pro re nata ab iis, quae utrique capiti contraria sunt, deterreat.

Quo tempore sit scripta haec Epistola; an Christi anno 91. vel 92. 98. 99. incertum est. Vid. *Zachariae* in Prolegomenis Paraphrasi suae praemissis. Add. *Storrius über den Zweck der evangelischen Geschichte und der Briefe Iohannis.* (Tubing. 1786. 8.) p. 222. s. 383. sqq. 406. sqq. et cf. Repertor. für bibl. und morgenländ. Litterat. P. XIV, pag. 181. Putat Vir doctissimus, hanc primam Ioannis sic vocatam epistolam, non tam esse epistolam, quam potius alteram partem Evangelii, s. eius tractationis, quam Apostolus opposuit discipulis Ioannis et Cerinthianis, et utramque uno eodemque tempore esse scriptam. Nostra aetate de Scriptis Ioanneis optime meritus est *Frid. Lueckius.* Pertinet huc Ei. Commentar. *üb. die Brr. des Evangelisten Iohannes*, Bonn, 1825. Probabile videtur Viro Ven. hanc Epistolam Ephesi scriptam esse secutamque eiusdem auctoris Evangelium. Plura vide in Lueckii Prolegomenis, explicationi hui. Ep. praemissis, quibus multa exhibentur lectu dignissima.

CAP. I.

Argumentum cap. I—II, 11. est hoc: Divina est, quae ab Apostolis traditur, salutaris Iesu Christi doctrina. Deus Christianis imitandus; sectanda lux sanctitatis, fugiendae vitiorum tenebrae. Hac lege peccatorum venia, per mortem Christi parta, impetratur. Vitiis dediti, hostes Dei. Delinquentibus prodest patrocinium Christi, si et praeceptis eius parent, et exemplum sequuntur. Vetus haec ipsius Christi praeceptio, sed denuo inculcanda identidem! (Sic, ut hoc exemplo utar, qui migrat Christi praeceptum de charitate mutua, luce veritatis Christianae caret.) Initio epistolae de fide testimonii Apostolorum, ut qui testes oculati fuerint, exponit his verbis:

1. Ὃ ἦν — λόγου τῆς ζωῆς) *Quod evenit inde a primordiis* (doctrinae Christianae,) *quod audivimus, quod oculis nostris vidimus, quod contemplati sumus, et manus nostrae tetigerunt, de Logo, felicitatis auctore.* Sc. ἀπαγγέλλομεν ὑμῖν, quod cum 3. sequitur. Ὃ ἦν ἀπ' ἀρχῆς, *Id quod evenit ab initio*, quae dicta et facta sunt inde a primordiis doctrinae evangelicae. Haec primordia autem sunt tempus, quo Christus ipse in publicum prodiit docendi caussa. Nam refertur hoc ad verba: περὶ τοῦ λόγου τῆς ζωῆς. Εἶναι, *fieri*, ut Matth. XXIV, 3. Marc. XI, 23. 24. et aliis locis. Alii ἀπ' ἀρχῆς explicant *ab aeterno*, et neutrum pro masculino usurpari existimant, ut Christus ipse denotetur; sed ex ipsa serie orationis

patet, *Subiectum* esse λόγον τῆς ζωῆς in fine commatis, cuius historiam sibi et reliquis Apostolis exacte notam esse, Ioannes affirmat. Ὃ ἀκηκόαμεν, ὃ ἑωράκαμεν, est loquendi genus, quod adhiberi solet, ad fidem conciliandam rebus alias incredibilibus. Est gradatio; et bene ἑωράκαμεν ponitur post illud ἀκηκόαμεν, quia certiora sunt, quae oculis videmus, iis, quae auditu percipimus. *Hisce oculis vidi*, Latini dicere solent. *Gellius* V, 14. de Appione: *Hoc, quod in libro Aegyptiacorum V. scripsit, neque audisse, neque legisse, sed ipsum sese — vidisse oculis suis confirmat.* Ὃ ἐθεασάμεθα, *quod spectavimus, et contemplati sumus.* Sic Evangelii cap. I, 14. ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ. Καὶ αἱ χεῖρες ἡμῶν ἐψηλάφησαν, *et contrectavimus manibus nostris.* Io. XX, 27. Haec omnia: ἀκηκόαμεν, ἑωράκαμεν — ἐθεασάμεθα — αἱ χεῖρες ἡμῶν ἐψηλάφησαν — uno verbo exprimi possunt: *observavimus*, accuratissime *cognovimus*. De se ipso autem in plurali numero loquitur Apostolus, ut Scriptores N. T. solent. Περὶ τοῦ λόγου τῆς ζωῆς, *de Logo felicitatis et salutis nostrae auctore.* Et λόγος et ζωή, Christus etiam Io. I. vocatur, ubi dicta vide. Aliis ὁ λόγος τῆς ζωῆς est *doctrina auctoris salutis*, quam is nobis patefecit. Hanc significationem haud esse insuitatam, patet ex Phil. II, 16. Act. V, 20. etc. Quicquid sit, hoc saltim certum est, Christum ipsum designari nomine ζωῆς, quia statim additur Vs. 2. ἡ ζωὴ ἦν πρὸς πατέρα. Ergo ζωὴ exprimit aliquod Subiectum, quod apud Patrem fuit, Christum. Ceterum Ioannes provocat ad testimonium sensuum, propter falsos doctores, qui Christum nec viderunt, nec audive-

runt. Breviter repetit id, quod in praefatione Evangelio suo praemissa (Io. I, 1—14.) fusius dixerat; quod indicio esse videtur, auctorem nunc docere velle quid ex narrationibus in Evangelio contentis ad doctrinam et usum practicum sequatur.

2. Καὶ ἡ ζωὴ ἐφανερώθη) *Nam auctor salutis in his terris conspicuus est factus.* Καὶ pro γὰρ, ut saepe alibi, et parenthesi includendus hic versus. Ἐφανερώθη, nempe ἐν σαρκὶ, 1 Tim. III, 16. τὴν ζωὴν —πατέρα) *Hoc* (inquam) *docemus vos, et annunciamus vobis aeternum salutis auctorem, qui erat apud Patrem, et se nobis aspectabilem fecit.* Ἡ ζωὴ ἡ αἰώνιος, *aeternus salutis auctor. Aeternus* autem vocatur, quia ἦν πρὸς τὸν πατέρα. Hoc autem, quid sit, vide ad Io. I, 1. 2.

3. Ὃ ἑωράκαμεν — ἀπαγγέλλομεν ὑμῖν) Est προθεραπεία, quasi diceret: Mirabile, imo incredibile videri possit, Filium Dei assumsisse naturam humanam; non aliud autem, quam quod scimus, quod vidimus, nunciamus vobis. Summa eorum, quae hactenus dicta sunt, est haec: *Quam vobis trado doctrinam de salutis nostrae auctore, eam certissime cognitam habeo.* Hanc vero doctrinam vobis eo consilio trado, ἵνα καὶ — μεθ' ἡμῶν, *ut vos etiam nobiscum sitis coniuncti*, ut eandem nobiscum habeatis religionem, eiusdem participes fiatis felicitatis, qua nos fruimur. Praesens vero: ἀπαγγέλλομεν ὑμῖν, non solum (recte monente *Lueckio*) pertinet ad hanc Epistolam, sed aut in universum ad praedicandi munus, quo perpetuo fungebatur Apostolus, aut in specie ad do-

ctrinam, quam in Evangelio proposuerat. καὶ ἡ κοινωνία — Ἰησοῦ Χριστοῦ) *Iam vero nos cum Patre et cum filio eius Iesu Christo sumus coniuncti.* Κοινωνία in libris sacris, ut per omnem vitam communem et in omnibus linguis, *omnis generis necessitudines et mutua vincula* indicat. Ergo cum Patre et filio eius Iesu Christo coniuncti sunt, qui 1) norunt ea consilia Patris, quae per filium suum nobis patefecit, i. e. in doctrina Iesu Christi probe sunt instituti, et huic doctrinae accommodate vivunt; 2) qui propter pium obsequium religionis praeceptis praestitum a Deo et Christo amantur, et multis modis beantur. Erit igitur Christianorum cum Christo coniunctio, (verbis utor *Mori*, in Dissert. *de notionibus universis in Theologia* p. 273.) *effecta per doctrinam christianam necessitudo mutua, per quam illi sunt et manent sectatores et cultores Christi veri atque genuini; hic vero iis, quippe sibi caris, bona omnia propria religioni tribuere pergit.*

4. Καὶ ταῦτα—πεπληρωμένη) *Haec autem scribo vobis*, (et repeto scribenda hac epistola,) *ut vestrae felicitati quam maxime consulam;* proprie: *ut gaudium vestrum sit maximum solidumque*, i. e. ut summam votorum obtineatis, finem bonorum impetretis.

5. Καὶ αὕτη—ἀναγγέλλομεν ὑμῖν) *Illa vero est doctrina, quam ex eo percepimus et vobis tradimus.* Ἡ ἀγγελία, pro qua multae editiones impressae habent ἐπαγγελία est vera lectio; hanc enim exhibent optimi codices, versiones antiquissimae et Patres. Probarunt eam *Millius*, *Wetstenius* et *Grotius*, et rece-

perunt in textum *Bengel, Griesbach, Matthaei, Knappius.* Merito. Accedit quod de ἐπαγγελία, *promissione* h. l. non est sermo, sed de institutione. Ἡ ἀγγελία *est, quicquid nunciatur, mandatum, doctrina, institutio, religionis praeceptum.* ὅτι ὁ θεὸς — οὐδεμία) *Deum ita esse purum, et perfectissime sanctum, ut plane nihil mali ipsi insit.* Τὸ φῶς, *lux,* res purissima, et gratissima, cui magna beneficia et commoda debemus; est imago *rectae cognitionis,* moralis *perfectionis, felicitatis.* Per se igitur haec verba significare possent: Deus est *scientissimus,* vel *sanctissimus,* vel *beatissimus,* vel *dator felicitatis.* Hoc loco autem verti debent: *Deus est sanctissimus;* nam totus locus agit de hominum similitudine cum Deo, ea parte, ut et homines fugiant vitia et sint sancti. Non excluditur tamen veri et boni cognitio. Contrarium est σκοτία, *moralis imperfectio.* Nam *tenebrae* ingratae sunt, symbolum ignorantiae et vitiorum, ut saepe habuimus.

6. Ἐὰν εἴπωμεν — τὴν ἀλήθειαν) Sensus est: *Si vitiis indulgemus, et tamen dicimus, nos esse veros Dei cultores* (vide modo dicta ad Vs. 3.), *mentimur aperte, nec veri sumus studiosi.* Ἐν τῷ σκότει περιπατεῖν, *in tenebris versari,* i. e. in ignorantia et vitiis vivere. Ποιεῖν τὴν ἀλήθειαν, *sincere agere,* ut Io. III, 21.

7. Ἐὰν δὲ — ἐστιν ἐν τῷ φωτί) *Si autem sanctitati studemus, quemadmodum ipse semper rectissime agit.* Τὸ φῶς utrumqus, cognitionem veri bonique, et vitam huic cognitioni consentaneam, significare vi-

detur. Deus *in luce versari* dicitur, quia novit omnia, sine erroris labe, et semper rectissime agit. κοινωνίαν — ἀλλήλων) *Ea res nos inter nos amicos facit*, ut nos amemus invicem, deinde et Deum amemus ab eoque amemur. καὶ τὸ αἷμα — ἁμαρτίας) *Et propter mortem Iesu Christi, filii eius, condonata sunt nobis omnia peccata*, sc. vitae anteactae; tum demum mors Christi proderit nobis ad remissionem peccatorum, nostramque tranquillitatem. Αἷμα, *mors cruenta, nex*, ut Hebr. IX, 18. Haec mors cruenta Christi *purgare*, et liberare nos a peccatis dicitur, quia vere poenitentibus et credentibus omnia peccata prioris vitae remittuntur.

8. Ἐὰν εἴπωμεν — ἔχομεν) i. e. *Si negamus, nos peccasse.* Distinguere solent interpretes phrases ἔχειν ἁμαρτίαν, *ex ignorantia et infirmitate peccare, et* ποιεῖν ἁμαρτίαν, *proaeretice peccare.* Posteriorem phrasin de iis usurpari, qui sceleste vivunt, verum est, et patet inprimis ex c. III, 6. sqq. Ἔχειν ἁμαρτίαν autem videtur significare: *ullo modo peccare*, sive id fiat ex ignorantia, sive sponte et ex consuetudine. *Negare se peccasse* ii dicuntur, qui negant *se peccando culpam incurrisse*, ideoque aut excusant prorsus, aut emolliunt ex parte quod egerant; qui dissimulant culpam, et vacuos se a culpa simulant. Hic loquendi mos confirmatur ex Ier. II, 25., ubi permutantur phrases: *non peccavi*, et *nullam commerui poenam.* Igitur describuntur hic homines, qui neque dolent de peccatis a se commissis, neque veniam peccatorum rogant, neque melius vivere sibi proponunt. ἑαυτοὺς — ἐν ἡμῖν) *Imponimus nobis ipsis, et non est in nobis*

studium veri. Nostro maximo malo nos seducimus. Vel ἀλήθεια pro *religione. Non retinemus veram religionem.* Sensus igitur huius commatis est: Qui se expertes esse culpae putant, qui vitiositatis suae neque conscii sibi sunt, neque se peccasse, atque peccato omni tempore obnoxios esse, ingenue fatentur, ii falsi sunt, se ipsos decipiunt; nihil proficiunt apud Deum penes quem est talia iudicare, non assequuntur id, quod speraverant excusando se affecturos, ut poenas evadant, earumque metum animo penitus expellant, sed ferent sentientque damna peccati, quicquid simulaverint et excusaverint.

9. Ἐὰν ὁμολογῶμεν τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν) i. e. Si facta nostra, per quae a norma Dei discessum esse agnovimus, improbamus sine ulla excusatione, iudice Deo nos dignos esse incommodo non negamus, de reliquo Deum imploramus, ut nobis propitius sit etc. Res omnis redit ad animi iudicia de malefacto, et sensum integrum atque severum his iudiciis annexum. Vid. *Mori Additamentum disputationis de homine submittente se Deo* p. XV. s. πιστός ἐστι—ἀδικίας) Πιστὸς, *fidelis*, qui stat promissis. Δίκαιος plerique vertunt *bonus, lenis.* Sic δικαιοσύνη est *bonitas, benignitas* Ps. CXII, 9. et aliis locis. *Lueckio* voc. δίκαιος synonymum est τοῦ πιστὸς, ita quidem, ut latior notio τοῦ δίκαιος, angustiorem τοῦ πιστὸς amplificet. Deus, ait Ioannes, *fidelis* est, quia *iustus.* Pro iustitia sua praestat quae peccatori resipiscenti promisit et tanquam novi foederis legem revelavit, quod scilicet peccator, quem malefactorum suorum poenitet, quique illa confitetur, remissionem peccatorum et novas ad sancte

vivendum vires accipiat. Bene. Ἀδικία, hic, ut saepius, sumitur pro omni malitia et perversitate, ut Luc. XIII, 27. Καθαρίζειν, *purum declarare, absolvere.*

10. Ἐὰν εἴπωμεν, ὅτι οὐχ' ἡμαρτήκαμεν) Repetit aliis verbis, quod supra Vs. 8. dixerat, ut eo magis a tam ingrati animi crimine nobis caveamus. Tales repetitiones multum usitatae sunt huic Apostolo. ψεύστην ποιοῦμεν αὐτὸν) *Habemus eum pro mendaci;* hoc enim est *mendacem facere.* Deus et per naturam, et per revelationem declaravit, quid voluntati suae sit contrarium; declaravit etiam, quisquis vitiosus sit et peccet, eum hactenus obnoxium Deo esse, sontem, venia indignum. Rom. III, 8—35. Unde qui unus e multis homo est, quorum nemo sine vitio nascitur et vivit, et culpae tamen se expertem putat, is veluti disertis verbis negat, Deum vere id declarasse, docereque voluisse. καὶ ὁ λόγος αὐτοῦ οὐκ ἔστιν ἐν ἡμῖν) *Et doctrinae eius non credimus;* obloquimur doctrinae, notionem naturamque virtutis et vitii, atque discrimen utriusque tollimus. Ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ religio, quae a Deo revelata est, ut saepe in Evangeliis. Cf. Io. V, 38. VIII, 37.

CAP. II.

1. Τεκνία — ἁμάρτητε) Ταῦτα γράφω ὑμῖν, tum quae praecessere, de studio sanctitatis et confitendis Deo peccatis, tum quae sequentur. Ἵνα μὴ ἁμάρτητε, ut a peccatis eo magis caveatis vobis. Posteaquam Christus semel nobis omnia peccata condonavit, huc oportet nos omnibus studiis eniti, ut innocentiam

servemus illibatam. *καὶ ἐάν — δίκαιον*) Καὶ ἐάν τις ἁμάρτῃ, *si tamen quis relapsus fuerit in aliquod peccatum*, si post adeptam veniam peccaverit imbecillitate, ignorantia, praecipitantia, sc. non est quod desperet de venia. Παράκλητος h. l. est *opitulator, deprecator, advocatus*, qui nos metu et malo liberat. Sic apud Philonem de Ios. p. 560. D. *Iosephus* fratribus suis dicit: ἀμνηστίαν ἁπάντων παρέχω τῶν εἰς ἐμὲ πεπραγμένων, μηδενὸς ἑτέρου δεῖσθε παρακλήτου, *nullo vobis deprecatore opus est*. Vid. Io. XIV, 16. *Si deliquimus*, inquit Ioannes, et solliciti sumus de nostris peccatis, *habemus Iesum, qui nobis opem fert apud Patrem suum*. Quemadmodum homo in communi vita, si habeat adiutorem, eo fretus tanto confidentius aliquid expectat, sic nos, de venia peccati solliciti, tanto confidentius veniam expectamus, freti Iesu, qui est ἱλασμὸς περὶ τῶν ἁμαρτιῶν, Vs. 2. Δίκαιος *innocens*, omnis peccati plane expers. Haec enim huius vocis est significtio in iis locis, ubi Christus describitur ut auctor salutis. 1 Petr. III, 18. Hebr. VII, 26. Eo confidentius Iesu freti speramus veniam, quoniam ipse insons est, ut sibi non opus sit venia, sed ut eam aliis praestet.

2. Καὶ αὐτὸς — τοῦ κόσμου) Ἱλασμός, pro ἱλαστής, more Hebraeo, *propitiator*, qui veniam peccatorum nobis conciliat. Ἱλασμὸς et ἐξιλασμός, apud LXX. frequens pro חַטָּאת, כִּפֻּר, *sacrificium pro reatu*, e. g. Ezech. XLIV, 27. Ps. XLIX, 8. Ἡμῶν, refertur ad Christianos. Περὶ ὅλου τοῦ κόσμου sc. ἁμαρτιῶν. Ὅλος ὁ κόσμος, *universum genus humanum*.

3. Καὶ ἐν τούτῳ—τηρῶμεν) *Iam vero ea re cognoscimus, nos illum recte nosse, si eius praecepta observaverimus.* Αὐτὸν referendum est ad Iesum Christum de quo versu praecedente sermo fuerat, et quidem quatenus est expiator hominum. Γινώσκειν αὐτὸν est igitur eius beneficia et doctrinam nosse. Beneficia ista omnia nobis sunt exhibita eum in finem, ut sancte vivamus, et doctrina eius eodem consilio nobis est concessa. Ioannes igitur dicit, obsequio doctrinae Christi praestito ostendendum esse, nos recta eius cognitione esse praeditos. Alii γινώσκειν vertunt: *amare*, ut hebr. יָדַע, Io. X, 14. 1 Cor. VIII, 3. Τηρεῖν, *observare.*

4. Ὁ λέγων — οὐκ ἔστιν) Repetitio rei eiusdem, qualis supra c. I, 8. eodem sensu.

5. Ὅς δ' ἂν—τετελείωται) Λόγος h. l. est pars ea religionis christianae, quae in *praeceptis* consistit, ut ostendunt sequentia. Ἀληθῶς ἐν τούτῳ ἡ ἀγάπη τοῦ Θεοῦ τετελείωται, *is declarat certum et sincerum suum amorem erga Deum.* Τετελείωται eodem sensu hic accipitur, quo τελειοῦται 2 Cor. XII, 9., ubi notata vide. Christi praecepta Dei voluntatem exprimunt. Non potest autem quis validius amorem suum erga Deum declarare, quam si in omnibus ad Dei voluntatem se accommodet. ἐν τούτῳ—ἐσμὲν) Aliis verbis prosequitur, quod dicere coeperat. Nam *esse in Deo*, *manere in Deo*, *habere Deum*, *cum Deo coniunctum esse*, hi omnes modi loquendi sunt sensus eiusdem, et significant eam cum Deo coniunctionem, quam supra ad c. I, 3. explicavimus

6. Ὁ λέγων—περιπατεῖν) *Qui se eius verum cultorem esse dicit, ille eius vitam et mores imituri de-*

bet. De phrasi μένειν ἐν Χριστῷ modo Vs. 5. diximus. Illud οὕτως supervacaneum est, et deest in vetustissimo, qui in Britannia, MS. nec non in versione aeth. et vulg. in Clem. Cyr. Cypr. Augustino, Hier. Fulgentio. Περιπατεῖν, הָלַךְ, *vitam instituere.* Quos amamus ob virtutem, eos imitari in eadem virtute debemus. Si Pythagorici Pythagoram, Stoici Zenonem, Academici Socratem imitantur, quanto magis Christum Christiani?

7. Ἀγαπητοί — εἴχετε ἀπ' ἀρχῆς) *Dilecti, praeceptionem non incognitam scribo vobis, sed veterem praeceptionem, quam habuistis semper.* Ἀγαπητοὶ pro ἀδελφοὶ habent multi codices, versiones et Patres. Quid hoc loco sit ἐντολὴ καινὴ, non satis clarum est interpretibus. Equidem cum *Hammondo* et aliis refero ad id, quod modo Vs. 6. dixerat Apostolus, ut sensus sit: *Id, quod modo scripsi,* (de imitando Christo et fugiendis vitiis,) *non est novum sed vetus illud praeceptum, quod statim ab initio religionis christianae traditum est vobis.* Non *novum,* i. e. non incognitum est, quod vobis modo scripsi. Videtur hoc opponi falsis Apostolis qui novas doctrinas spargebant; qui non exemplum Christi, sed sua commenta aliis proponebant. Se autem nihil aliud docere dicit Ioannes, quam veram, et ab ipso Christo traditam disciplinam. Ἐντολὴ hic sumi potest, et fortassis etiam debet, collective, pro *complexu plurium praeceptorum,* vel praecipuis religionis christianae doctrinis, ut 2 Petr. II, 21. III, 2. Hebr. VII, 18. IX, 19. Tum absolute possunt intelligi haec verba, sine respectu ad praecedentia hoc sensu: Religionis doctri-

nae, quas ego vobis trado, de necessitate peccata fugiendi et sancte vivendi non sunt novae, sed iam ab initio Evangelii omnibus cognitae. Plerique interpretes novam hic inchoari doctrinam, et totum quod sequitur, ad proximi amorem referendum esse existimant. Hoc praeceptum, ut putant, *vetus* dixit Apostolus, quia neque Christianis iam initiatis, neque Patribus antiquis novum esse debet; quum diserte Levit. XIX, 18. scriptum fuerit: Ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς σεαυτόν. Idem vero praeceptum dixit *novum*, quod tam diu sepultum quasi latuisset, neque aut servatum, aut satis intellectum fuisset. Vide quae annotavimus Io. XIII, 34. Sed de hoc praecepto amoris Ioannes hoc loco nondum diserte locutus erat, et illud quod sequitur Vs. 9. 10. nimis remotum esse videtur. Quare hanc explicationem merito deserendam esse puto. ἡ ἐντολὴ — ἀπ' ἀρχῆς) Ἀπ' ἀρχῆς deest in multis; sed quoad sensum retineri potest: ab initio Christianismi vestri, in elementis religionis hoc didicistis. Sensus est: *Praeceptio* (inquam) *vetus est doctrina illa, quam percepistis ab initio*, nempe ex me, et reliquis Apostolis, sub auspicium Evangelii annunciati. Hanc doctrinam reiecerant ex parte falsi doctores.

8. Πάλιν ἐντολὴν καινὴν γράφω ὑμῖν) *Rursus novam praeceptionem scribo vobis.* Nova praeceptio, opposita veteri, iam ab initio Evangelii (ἀπ' ἀρχῆς) cognitae, videtur esse praeceptio, quae ab initio religionis non statim cognita, sed postea demum tradita fuit. Quaenam autem sit haec ἐντολὴ καινὴ, difficile dictu est. Possunt haec verba absolute intelligi, ut Ioannes hoc velit: Praeter illas religionis doctrinas ve-

teres, iam ab initio vobis cognitas, alias etiam nunc vobis trado, antea vobis non adeo cognitas, quales fuerant illae c. I, 7. II, 1. 2. Fortassis *doctrina nova* a Ioanne dicitur enunciatum, Vs. 9. sqq. *de amandis aliis.* Hoc praeceptum novum commemoratur Io. XIII, 34. et κατ' ἐξοχήν inter Christianos *novum* dici solebat. Quo sensu sic dicatur, explicavi ad illum Ioannis locum. Ὅ ἐστιν ἀληθὲς ἐν αὐτῷ καὶ ἐν ὑμῖν, *quod quidem verum est*, scilicet hanc esse novam ἐντολήν, *in illo et in nobis*, i. e. *respectu illius et nostri. Respectu illius;* ipse enim novo modo nos amavit, dum pro universo genere humano vitam suam profundere voluit; *respectu nostri*, nunc enim alios amamus eo modo, quo ille nos amavit. Sic *Morus* explicavit haec verba. Vid. eius *praelectiones exeget. in tres Ioannis epistolas.* Lips. 1796. Alii vertunt: *Certo tamen sensu praeceptum novum scribo vobis.* Doctrinam illam, quae vobis quondam nova fuit, quum eam primum audivistis, eam per hanc epistolam repeto. Nam τὸ πάλιν non ἐμμενστικὸν modo est, deque eadem re agi docet, sed et ita ponitur, ut contrarium ab eo quod iam dixerat, designet; ut si dicam: ἡ ἐντολή, πῇ μὲν οὐ καινή, πῇ δὲ καινή, *praeceptum hoc ex parte novum, ex parte autem novum non est*, et utriusque caussas reddam. Sed priorem interpretationem praefero. Pro ὑμῖν habet ἡμῖν Codex Alexandrinus, cum codicibus latinis et graecis nonnullis, atque Hieronymo. ὅτι ἡ σκοτία — φαίνει) *Nam ignorantia rerum divinarum decrescit, et intelligentia melior luculentius elucescit*, vel etiam: ignorantia decrescere et melior cognitio magis elucescere *debet.* Σκοτία hic est *tempus tenebrarum*, ἀγνοίας χρό-

νος, ut Act. XVII, 30. Cf. etiam Eph. V, 8. Rom. XIII, 12. Παράγεται, Praesens pro praeterito. Τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν, *lux illa magna*, nempe melioris doctrinae. Quod in re quaque eminet, solet ἀληθινὸν dici, ut Io. I, 9. Ea etiam vobis scribo, quae ab initio non omnibus cognita erant, quia non subsistendum est in primis religionis rudimentis, sed crescendum est in cognitione. Tales doctrinae, quae tum temporis non omnibus Christianis notae erant, sed ab iis tamen, ad quos Ioannes scribebat, pro veris agnoscebantur, vel agnosci debebant, videntur fuisse illae, quae Vs. 9. sqq. commemorantur.

9. Ὁ λέγων — ἕως ἄρτι) *Qui putat se meliori cognitione praeditum esse, nec tamen proximum diligit, is adhuc in ignorantia et vitiis versatur*, non habet veram religionis cognitionem. Haec doctrina omnino nova videri poterat nonnullis. Post ὁ λέγων supple ἑαυτὸν. *In luce versari*, i. e. recta cognitione veritatis praeditum esse. Ἀδελφὸς, *proximus*, sive Iudaeus, sive alienigena. Omnes enim homines propter Christum diligere debemus, Matth. V, 44. seqq. Ἐν τῇ σκοτίᾳ ἐστὶν ἕως ἄρτι, is etiam nunc, postquam tanta lux apparuit, manet in ignorantiae tenebris, si non crassioribus illis paganorum, certe Iudaicis. Odium humani generis obiectum fuisse Iudaeis, notum est.

10. Ἐν τῷ φωτὶ—οὐκ ἔστιν) Ἐν τῷ φωτὶ μένει, i. e. eo ipso declarat et ostendit, *se constantem esse in accepta scientia et virtute*. Καὶ σκάνδαλον ἐν αὐτῷ οὐκ ἔστιν, *et in animo eius non est occasio la-*

bendi peccandique. Ἐν αὐτῷ, *in eius animo et pectore.* Affectus nostri, cupiditates sunt offendicula virtutis; sed in animo eius, qui alios vere amat, et vere Christianus est, non est invidia, iracundia; non est implacabilis, durus et inhumanus. Σκάνδαλον ἐν αὐτῷ οὐκ ἔστιν, *in eo nullum obstaculum* (virtutis) *est; nihil est, quod eum impediat,* quo minus nempe in cognitione veri, et virtutis studio crescere possit.

11. Ὁ δὲ μισῶν—ἐφθαλμοὺς αὐτοῦ) Sensus est: *Talis homo saepe et multum delinquit;* non enim singula sunt urgenda. Ἐν τῇ σκοτίᾳ ἐστὶ, *in maxima rerum divinarum ignorantia versatur.* Ἐν τῇ σκοτίᾳ περιπατεῖ, vita et moribus ostendit, se destitutum esse luce veritatis. Καὶ οὐκ οἶδε ποῦ ὑπάγει, *neque novit, quo tendat,* ex omni parte errat et peccat, iudicando, appetendo, agendo; est similis coeco, qui non cernit rectam viam. Cf. Evang. Ioann. XI, 9. 10.

12. Γράφω—ὄνομα αὐτοῦ) *Scribo vobis, dilectissimi; nam remissa sunt vobis peccata eius caussa.* Sensus huius loci melius patescet, si cum *Carpzovio* sumimus, propositionem et thesin primariam contineri versu 15: μὴ ἀγαπᾶτε τὸν κόσμον, μηδὲ τὰ ἐν κόσμῳ. Certe verba illa aliquoties repetita, γράφω, ἔγραψα, item nomina illa aliquoties repetita, τεκνία, πατέρες, νεανίσκοι, porro repetitae eaedem caussae impellentes: haec et alia, tali serie collocata, plane indicant orationem continuari, nec nisi post verba ἐν τῷ κόσμῳ interstinctionem maiorem apponendam esse. Ex *Mori* sententia in omni hoc loco γράφω est: *cogitate, quare ego hoc vobis scribam;* ἔγραψα, *tenete quaeso,*

quod scripserim; estque repetitio, qua inculcatur id, quod scripserat antea. Inculcatur autem ideo, ut possit Vs. 15. exinde concludi: ergo nolite perversitati operam dare. Sed non multum interest, an γράφω ad superiora, an vero ad Vs. 13. referatur; nam sensus manet idem. Τεκνία, i. e. *dilectissimi.* Hac compellatione generaliori omnes Christianos complectitur Ioannes, ut supra Vs. 1. Verba: ὅτι ἀφέωνται ὑμῖν — αὐτοῦ, rationem continere videntur, quare Christiani non debeant Deo praeferre mundum, Vs. 15., nam venia peccatorum semper esse debet argumentum sanctitatis. Alii sic connectunt: γράφω ὑμῖν, *in memoriam vobis revoco per hanc Epistolam*, gratulans nempe felicitati vestrae. Ὅτι ἀφέωνται — ὄνομα αὐτοῦ, *remissa esse vobis peccata eius caussa.* Meministis, id vobis dictum in baptismate. Sed priorem rationem nunc praefero.

13. Γράφω - ἀπ' ἀρχῆς) *Scribo vobis Patres; nam cognoscitis aeternum*, vel ut Morus exponit: *Cogitate quaeso, senes, quare haec vobis scribam; quoniam scilicet cognovistis aeternum*, (filium Dei.) Communis fere interpretum sententia est, haec discrimina Christianorum, *senum, puerorum, adolescentum*, non secundum aetatem, sed secundum gradus diversos eius profectus, qui in Christo est, intelligi debere. Vide 1 Cor. III, 2. Hebr. V, 13. Eph. IV, 13. Sed recte possumus etiam intelligere senes, adolescentes et pueros aetate; nam verba haec nude ponuntur, nec additur quidquam ratione intellectus aut profectuum. Sunt autem haec dicta oratorie. Solent nempe qui ad alios verba faciunt saepe singulorum ordinum,

singularumque aetatum homines alloqui, non quod haec vel illa admonitio ad unius conditionis homines pertineat, sed ut declarent, se omnibus ac singulis aliquid dicere posse. Ὅτι ἐγνώκατε τὸν ἀπ' ἀρχῆς, nam cognoscitis *aeternum*, Iesum Christum, salutis auctorem, qui non solum longaevus est, verum etiam semper fuit apud patrem. Ergo non decet vos praeferre huic aeterno, qui vobis aeternam salutem largiri potest, et largiri vult, res caducas, et cito perituras, Vs. 17. Ὁ ἀπ' ἀρχῆς h. l. non videtur esse Pater; nam diserte ab eo discernitur. Formula valet idem, quod verba notissima Io. I, 1. ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος. Νεανίσκοι dicuntur ii, qui militaris sunt aetatis. Ὁ πονηρὸς, *malignus*, κατ' ἐξοχήν vocatur Satanas. Hic autem intelliguntur mali affectus, et peccatorum illecebrae, Satanam habentes auctorem. *Adolescentibus*, et viris fortibus ac robustis tribuitur victoria supra fortissimum et robustissimum. Ceterum hoc iuvenibus non ita erat proprium, ut non posset ad patres etiam transferri; nam hi idem fecerant; sicuti et iuvenes et patres quoque cognoscebant patrem, id quod παιδίοις tribuit.

14. Ἔγραψα — ἀπ' ἀρχῆς) *Tenete, quaeso, senes, quod scripserim, vos cognovisse Iesum, filium Dei. Tenete quaeso, iuvenes etc.* Repetit Apostolus, quod dixerat, monens senes et iuvenes, ut recordentur, quibus subsidiis pervenerint ad eam felicitatem, semperque enitantur ad perfectiora. Quod omittit pueros, manifesto est indicio, haec non ita referenda esse ad aetates singulas, ut aliae aetates excludantur. Illud prius καὶ post ἰσχυροί ἐστε, fortassis h. l. valet

quia: quales usurpationes particulae copulativae frequentes Hebraeis. Et videtur esse metathesis, pro ὅτι ἰσχυροί ἐστε καὶ νενικήκατε τὸν πονηρὸν, καὶ ὁ λόγος τοῦ θεοῦ ἐν ὑμῖν μένει. Sensus est: *Quod vos, senes, cognoscitis aeternum, et vos, iuvenes, satis robusti estis, ad vincendum Satanam, ut modo scripsi, id debetis institutioni in doctrina divina, quam retinetis.* Sequitur Vs. 15. thesis primaria. Vobis haec scribo, inquam.

15. Μὴ ἀγαπᾶτε—κόσμῳ) *Nolite delectari improbis, eorumque perversis moribus*, vel *iis rebus*, quae ab improbis magni aestimantur. Κόσμος h. l. non significat res creatas, neque instituta hominum, sed pravitatem omnigenam, cuius exempla ponit Ioannes commate 16. Τὰ ἐν τῷ κόσμῳ sc. ὄντα, *quae improbis hominibus insunt*, mali nempe eorum mores, dominans inter homines vitiositas omnis generis. Sic enim Ioannes ipse statim explicat mentem suam, addens, esse ἐπιθυμίαν σαρκὸς, ἐφθαλμῶν et ἀλαζονείαν τοῦ βίου. Grotius: *In mundo* hic *esse* dicuntur eximio modo ea, quae mundus magni facit, quae mundo ob oculos animumque versantur; quae mundi affectus defixos tenent. Ἀγαπᾶν saepe est *oblectari, voluptatem percipere*, ut probat *Kypkenius* observatt. p. 179. ἐάν τις—ἐν αὐτῷ) Ἡ ἀγάπη τοῦ πατρὸς, *amor erga patrem*, sicut apud Apuleium *religio patris*. Nempe alia vult mundus, alia vult Pater. Idem sensus Iac. IV, 4.

16. Ὅτι πᾶν—ἐκ τοῦ κόσμου ἐστί) *Quicquid enim pravitatis est, veluti cupiditas prava, cupiditas per*

sensus irritata, arrogans vivendi ratio, id totum non convenit voluntati divinae, sed referendum est ad humanam vitiositatem. Πᾶν τὸ ἐν τῷ κόσμῳ est *dominans inter homines omnis generis vitiositas*, ut ex additamento, quod statim sequitur, apparet. Ἡ ἐπιθυμία τῆς σαρκὸς, *quicquid corpus* praeter modum, et contra leges divinas *concupiscit;* intemperantia circa potum, cibum et Venerem; in universum *pravitas omnigena.* Ἡ ἐπιθυμία τῶν ὀφθαλμῶν, *ea, quibus oculi profanorum hominum vel maxime delectantur,* ut sunt *opes*, pecuniae, spectacula etc. Ἡ ἀλαζονεία τοῦ βίου, *fastus in vestitu et cultu reliquo, ostentatio.* Sunt haec exempla pravae cupiditatis, neque hic vitia cardinalia sunt quaerenda. Οὐκ ἔστιν ἐκ τοῦ πατρὸς, *non est in his perfectio moralis;* non conveniunt haec voluntati Patris.

17. Καὶ ὁ κόσμος — αὐτοῦ) Ὁ κόσμος, *homines mundani.* Hi pereunt, et perit id, quo delectantur, morte finem imponente omnibus mundanis desideriis. Caduca omnia, et cito transeuntia. Potest etiam ὁ κόσμος ut Vs. 15. sumi pro cupiditate rerum terrenarum, vel omnigena pravitate. Cupiditatibus per adspectum rerum externarum excitatis non poterimus olim post mortem corporis indulgere. ὁ δὲ ποιῶν — αἰῶνα) *Qui autem voluntati Dei obsequitur*, virtutem sectatur, *aeterna vita* (felicitate) *fruetur*, non desinet exercere virtutem, nec desinet largissima percipere virtutis praemia; nam virtus est aeterna, exercitio et praemio.

18. Ἐσχάτη ἄρα ἐστὶ) Varie explicantur haec verba: 1) *Ultima aetas mundi.* De hac sermo non po-

test esse hoc loco; loquitur Apostolus de rebus brevi tempore post eventuris. 2) *Tempus proximum excidio urbis, templi, ac reipublicae Iudaeorum;* sed nec hoc intelligi potost, si, ut nonnulli volunt, regnante Domitiano scripta est haec Epistola. 3) *Tempus periculosum.* Ἔσχατος, *periculosus, pessimus,* sicut *ultima, extrema pati* Latini dicunt. 4) *Tempus futurum,* ex Hebraismo בְּאַחֲרִית הַיָּמִים intelligit *Zachariae*, haec verba ex vaticinio quodam, tum temporis satis noto, desumta esse putans. Sensus itaque esset: *Instat nunc tempus illud,* cuius fit mentio in illo vobis noto vaticinio. Respicit Ioannes (ut *Knappius* in commentatione supra laudata recte monet,) sine dubio praedicationes Christi de venturis aliquando ψευδοπροφήταις, h. e. doctoribus afflatum divinum mentientibus, quarum summa relata in literas legitur Matth. VII, 15. XXIV, 11. 24. Marc. XIII, 22. 23. Perversitas eorum qui in ipsis rerum christianarum primordiis falsa et impia docebant, admouere de praedictorum eventu videbatur. Iam quum in illis Asiae partibus, ubi *Paulus* docebat, prodiissent, qui errores exitiabiles vel palam, vel secreto propagarent: multam is operam in eo consumsit, ut disciplinae suae alumnos contra insidias eorum et fraudes muniret; idque et coram fecit, et absens per epistolas. Verum in praesentibus his malis vidit quandam quasi prolusionem futurorum longe atrociorum; etsi de temporis articulo, quando haec essent eventura, parum ipsi constaret. Vid. Act. XX, 29. 30. 1 Tim. IV, 1. 2 Tim. III, 1. sqq. IV, 3. 2 Thess. II, 3—12. Ad haec periculi futuri praesagia, tum quidem inter Christianos pervulgata, etiam alii doctores

post Pauli ex istis regionibus discessum crebro provocarunt, veluti Petrus 2 Epist. c. III, 2. 3. et Iudas, Vs. 17. 18. uterque verbis fere iisdem. Haec loca affundunt lucem verbis Ioannis, quorum sensus hic est: „*tempus*, illud, quod *futurum* praedixerunt alii, Christo praeeunte, iam *adest* (ἐστί, ut Io. IV, 23. V, 25.). Ergo haec oracula eventis confirmantur.“ *Lueckio* ἐσχάτη ἡμέρα est finis istius aevi, primum Christi adventum (in carne) inter et eiusdem παρουσίαν ad iudicium, coll. Vs. 28. Dignissima sunt, quae hac de re legantur in Viri Ven. libro supra cit. p. 141. sqq. Καὶ καθὰς—ὥρα ἐστὶν) *Quippe audivistis, venturum Antichristum: atqui complures iam extiterunt Antichristi: ex quo consequitur, iam nunc instare pericula, quae illi mente prospexerunt.* Ὁ ἀντίχριστος, *adversarius Christi.* Ἀντὶ in compositis tam eum indicat, qui se parem fert alicui, quam qui alteri repugnat et adversatur. Cf. infra c. II, 22. et c. IV, 3. Hoc loco intelliguntur falsi doctores, quorum vita et doctrina Christo adversabatur. Hos Ἀντιχρίστους vocat Ioannes, nomine in his Asiae locis, tunc, ut videtur, usitato: quod etsi in scriptis Paulinis non legitur, (fortasse enim est serius inventum,) tamen dubitari vix potest, quin sensu eodem ὁ ἀντικείμενος dicatur 2 Thess. II, 4. Ceterum Ioannis verba aperte indicant, non in unum, sed in plures illud nomen convenire. Ioannes ipse describit hos homines Vs. 19. 22. 23. Cap. IV, 3. et 2 Epist. Vs. 7., unde perspicimus, istos impostores simulasse, se christianam religionem suscepisse; et tamen docuisse, Iesum non esse Messiam. Interpretes adducunt Haereticos multos, ut Nicolaitas, Nazaraeos, Cerinthianos, Gnosticos etc. Alii intelligunt impo-

stores, qui post excidium Hierosolymorum falso sibi Messiae titulum vindicabant, ac proinde Christo contrarii erant, quales illo tempore plures fuisse, ex Iosepho constat. Sed de his Ioannes non loquitur, ut ex ipsa horum impostorum descriptione patet. Negarunt tamen isti impostores *Iesum* esse *Christum*, sive, quo idem denotatur, *Dei filium*. Quibus vero inducti rationibus ita statuerint, planissime exposuit Ioannes c. IV, 2. 3. et 2 Epist. Vs. 7.

19. Ἐξ ἡμῶν — ἦσαν ἐξ ἡμῶν) *Egressi sunt quidem ex nostra societate, sed non erant nostri*, i. e. non vera erant membra societatis nostrae; non ex animo erant Christiani. Fuerant igitur Christianorum coetui antea adscripti, sed post sua sponte inde egressi, commentis perniciosissimis turbarunt ecclesiam. εἰ γὰρ —μεθ' ἡμῶν) Si illi tunc ex animo fuissent Christiani, quum ista inciperent, non deseruissent coetus nostros. ἀλλ' ἵνα—ἐξ ἡμῶν) Ἀλλ' ἵνα φανερωθῶσιν, supple: *permissum hoc est a Deo*, quod idem est, *egressi sunt ex nobis*, quod Syrus hic addit; modo suppleas, provido Dei permissu. Οὐκ εἰσὶ πάντες ἐξ ἡμῶν, i. e. non omnes, qui in nostris sunt coetibus, animo sunt Christiani. Potest etiam post ἀλλ' suppleri ἐξῆλθον ἐξ ἡμῶν, ut sensus sit: *verum ideo discesserunt e coetibus nostris, ut proderent ipsi, nullum eorum vere e coetu nostro fuisse.*

20. Καὶ ὑμεῖς—ἁγίου) *Vos autem recta religionis divinae notitia imbuti estis.* χρίσμα ἔχετε, *uncti estis.* Proprie ex moribus Orientis homo dicitur *ungi, quum inauguratur muneri.* Pro illo igitur: *vos*

uncti estis, poni potest: *inaugurati estis*, scilicet Christianismo. Christiani inaugurari possunt per baptisma, per sacram coenam, per institutionem. Ex collatione Vs. 24. 27. apparet, unctionem h. l. esse *primam institutionem in religione christiana*, cuius fructus et effectus est *scientia* verae religionis, Vs. 20. 21. 27. Quum igitur res a scriptore satis explicetur, non audiendi sunt qui unctionem diversam ab institutione statuunt. *Lueckius*: sub χρίσμα — ἀπὸ τοῦ ἁγίου Spiritum Sanctum, Spiritum Christi intelligendum esse, colligitur ex III, 24. coll. II, 27. (ubi Cod. Vatic. pro χρίσμα habet χάρισμα); illo enim Spiritu repletum quisque se sensit Christianus, sumulac cum Christo societatem inierat. Sensus non multo differt, quum ipsa institutio christiana ortum ducat a Spiritu sancto. Ἀπὸ τοῦ ἁγίου, a Deo, qui in V. T. *Sanctus Israelis* dicitur, atque ut unus verus Deus venerandus est, vel *a Christo*. καὶ οἴδατε πάντα) *Omnia*, quae nempe ad salutem, et ad vitandos impostores sunt necessaria; qualia sunt: regnum Christi non esse de hoc mundo, Io. XVIII, 36., danda Caesari, quae Caesaris sunt, Matth. XXII, 21., gladii ius non arripiendum, XXVI, 52.

21. Οὐκ ἔγραψα — οἴδατε αὐτὴν) *Non scripsi vobis*, i. e. non ea mihi scribendi fuit caussa, *quasi ignotam vobis esse veram doctrinam putarem*; alioqui scilicet longiori vobiscum usurus sermone. Ὅτι per *tanquam* bene exposuit Latinus. Ἀλήθεια, *vera religionis doctrina*. Ἀλλ' οἴδατε αὐτὴν, sed eam ipsam ob caussam haec scribo vobis: *quia vos tenere et intelligere veritatem scio*. καὶ ὅτι—οὐκ ἔστι)

et quia intelligitis, nullum errorem originem habere ex vera religione. Illud καὶ construendum cum οἴδατε, quod praecessit. Πᾶν, postposito οὐκ apud Hebraeos graece scribentes, universaliter negat. *Nullum errorem habere originem ex vera religione.* Ψεῦδος, *error*, *falsa doctrina*, opponitur verae ab Apostolis traditae religioni.

22. Τίς ἐστιν — ὁ Χριστὸς;) *Quis potest maior esse impostore eo, qui Iesum Messiam esse negat?* Comparate haec sumenda, quum sint et alia impostorum genera. Ἀρνεῖσθαι, addita particula negativa, quam Latini omitterent, nihil aliud est, quam firme negare. οὗτός ἐστιν—τὸν υἱὸν) *Is est adversarius Christi, Patri et Filio detrahens fidem.* Ὁ ἀντίχριστος, cf. supra Vs. 18. Ἀρνεῖσθαι h. l. paullo aliter sumitur, quam supra, et significat, *fidem et auctoritatem alicui detrahere*, ut Actor. III, 13. 14. Negare τὸν πατέρα igitur non est, negare Dei existentiam, et ita ἄθεον esse, sed negare, *patrem misisse filium saluberrimo hominibus consilio; negare patris beneficia, per Iesum hominibus exhibita*, ut Morus recte explicat. Qui Iesu directe detrahit fidem et auctoritatem, is per consequentiam etiam Patri eam detrahit. Pater enim omni modo id egit, ut Iesu auctoritatem conciliaret. Io. V, 36. VI, 27. VIII, 54.

23. Πᾶς ὁ ἀρνούμενος — ἔχει) *Qui filio fidem detrahit, is nec Patrem colit.* Ἔχειν τὸν πατέρα, *veram Patris cognitionem habere, eumque colere.* Nam ἔχειν Θεὸν, et κοινωνίαν ἔχειν μετὰ Θεοῦ, et εἶναι ἐν Θεῷ in hac epistola permutantur, indicantque omnem

illam necessitudinem, religione effectam, quae hominibus cum Deo intercedit. Cf. etiam Vs. 24. Addunt codices multi, cum Versionibus et Patribus haud paucis: ὁ ὁμολογῶν τὸν υἱὸν καὶ τὸν πατέρα ἔχει, qui Iesum pro Messia et filio Dei agnoscit, is et Patrem vere cognoscit, eiusque voluntatem sibi notam esse ostendit. Receperunt haec verba in textum Griesbachius, Matthaei, Knappius.

24. Ὑμεῖς οὖν — μενέτω) *Vos igitur retinete eam doctrinam, quam ab initio* (annunciati Evangelii) *accepistis.* Est constructio κατὰ σημαινόμενον, ut et infra Vs. 27. Incipit enim orationem quasi dicturus: vos, quod ab initio audistis, retinete: sed pro illo *retinete*, posuit, quod idem valet: *maneat in vobis.* Ἀπ' ἀρχῆς, sc. quum primum annuntiatum est vobis Evangelium, quod ex subiecta materia apparet. ἐὰν ἐν ὑμῖν — μενεῖτε) *Vos in filio et Patre permanebitis*, i. e. eritis iis coniunctissimi, eorumque favore fruemini; proinde felices eritis; accipietis id, quod vobis Deus per Filium promisit.

25. Καὶ αὕτη — αἰώνιον) *Id vero, quod nobis promisit, est felicitas aeterna.* Ἐπαγγελία h. l. est ipsum bonum vel beneficium promissum. Αὐτὸς, nempe filius Dei, nomine Patris. Τὴν ζωὴν τὴν αἰώνιον, est constructio similis illi: *Urbem quam statuo vestra est:* nisi quod ibi Accusativus ante verbum ponitur, hic post verbum.

26. Ταῦτα ἔγραψα — ὑμᾶς) Περὶ τῶν πλανώντων ὑμᾶς, *propter eos, qui vos in errores inducere*

conantur. Περὶ, *propter*, ut Matth. IV, 6. Nihil tamen vetat, quo minus retineamus consuetam significationem *de.* Commonere volui vos de illis, ne vos ab ipsis decipi patiamini. Deinde vertendum est: Qui vos seducere *conantur;* nam verba quae effectum aut actionem indicant, saepe intelliguntur de conatu.

27. Καὶ ὑμεῖς — ἐν ὑμῖν μένει) *Quam enim vos ab eo institutionem accepistis, eam* ad hunc usque diem *tenetis.* Καὶ ὑμεῖς, *ad vos autem quod attinet.* Nominativus ὑμεῖς absolute positus est, usitata Graecorum ellipsi. Si quis malit construere ita: καὶ τὸ χρίσμα ὃ ὑμεῖς ἐλάβετε, perinde est. Χρίσμα, ut supra Vs. 20. Ἀπ' αὐτοῦ, a Christo. καὶ οὐ—ὑμᾶς) Τὶς, nempe ex his impostoribus, et falsis doctoribus. Non opus est, ut ab aliis novam doctrinam discatis. Non negat Apostolus, admonitione saepe opus esse ad explenda pietatis officia. ἀλλ' ὡς—μενεῖτο ἐν αὐτῷ) *Atque institutio illa, uti de omnibus vos edocet, ita et vera est, et neutiquam erronea, manete igitur in iis, quae didicistis.* Prius καὶ est pro οὕτω. Ψεῦδος valet hic ψευδὲς. Deinde idem bis dicitur, primum affirmando, deinde negando oppositum. Μενεῖτε vel est bene sperantis et ominantis, vel futurum pro imperativo.

28. Καὶ νῦν—παρουσίᾳ αὐτοῦ) *Nunc igitur, Carissimi, perseverate in coniunctione cum eo, ut, quando veniet, bonam habeamus fiduciam, nec repudiemur ab eo, in adventu eius futuro.* Καὶ νῦν, quamdiu in his terris vivitis; opponitur enim: *quum veniet,* in adventu eius. Αἰσχύνεσθαι ἀπό τινος est hebrais-

mus verbi בוש, *erubescere*, constructi cum מ. Erubescere coram Deo, est ab eo repudiari, non agnosci pro veri nominis Christiano.

29. Ἐὰν εἰδῆτε—γεγέννηται) Δίκαιος, *bonus*, semper rectissime agens. Γινώσκετε, *scitote*, vel *scitis*. Ποιεῖν τὴν δικαιοσύνην, *virtutem exercere*. Ἐξ αὐτοῦ γεγέννηται, i. e. pro filio ab ipso agnoscitur. Nam *ex Deo natum esse* idem est ac τέκνον Θεοῦ εἶναι, *amari a Deo, beneficiis ab eo ornari*, sed et quoad cogitandi, sentiendi et agendi rationem Deo esse similem (2 Petr. I, 4.), imitari Deum, ut filii bonae indolis Patres imitari solent. Transit Apostolus de Christo ad Deum, quanquam nomine Dei non expresso, ut mox III, 5. et 16. a Deo ad Christum.

CAP. III.

1. Ἴδετε—κληθῶμεν) Ἴδετε, *cogitate*. Nova excitatur attentio; sed cohaeret oratio cum superioribus. Ἀγάπη hic metonymice est *documentum amoris, beneficium*. Τέκνα θεοῦ vocantur veri Christiani ab ipso Christo, qui falli non potest, Matth. V, 45. Quo sensu, dictum est modo ad c. II, 29. Post κληθῶμεν addunt καὶ ἐσμὲν multi codices, versio arab. Erp. Copt. Vulg. harl. Aug. item Syr. utr. Aeth. διὰ τοῦτο—αὐτόν) Sensus est: *Qui alieni sunt a religione nostra (Nicht-Christen) non intelligunt hanc nostram dignitatem* et felicitatem, *quia Deum non norunt*, neque eius doctrinam perspectam habent. Ὁ κόσμος, Iudaei et Pagani, alieni a religione christiana.

Est in his verbis consolatio. Tractant nos contumeliose, quia coeci sunt in rebus divinis.

2. Νῦν τέκνα θεοῦ ἐσμεν, *nunc iam habemus dignitatem filiorum Dei.* Diligimur a Deo, quoniam eius similes sumus sanctitate. Vid. Cap. II, 29. Καὶ οὔπω ἐφανερώθη τί ἐσόμεθα, *sed nondum apparet* (hominibus mundanis) *quanta futura sit nostra dignitas;* vel: nondum per experientiam innotuit nobis, quales futuri simus. Καὶ hic est pro adversativa. Τί solet etiam ad qualitates referri. οἴδαμεν δὲ — ἐσόμεθα) *Scimus autem, quando apparuerit* (quaenam sit nostra dignitas, vel, quando per experientiam innotescet) *nos ei fore similes.* Οἴδαμεν δὲ est formula loquendi Ioanni usitata, saepissime nihil aliud indicans quam *rem certam*, et verti potest plerumque *sane, certissime.* Ἐὰν φανερωθῇ, sc. τί ἐσόμεθα, et ἐάν pro ὅταν. Alii supplent ὁ Χριστὸς, ut sensus sit: Simul atque apparuerit Christus, redditurus cuique pro suis factis praemia. Ὅμοιοι αὐτῷ ἐσόμεθα, sc. magis quam nunc, non bonitate tantum, sed aeternitate, et beatitudine. Non amplius peccato, non morti erimus obnoxii. Consumatior erit nostra cognitio, consummatus virtutum amor. Ὅτι ὀψόμεθα αὐτὸν καθώς ἐστι, i. e. clare et perspicue eum cognoscemus; non *obscure*, ἐν αἰνίγματι, sed πρόσωπον πρὸς πρόσωπον, 1 Cor. XIII, 12.; proinde etiam non amplius spe erimus felices, sed liquidissima cum Deo felicitate fruemur. Nam *videre* saepe etiam de fructu et usura usurpatur. Praecipue tamen hoc spectari videtur, accuratam et veram Dei cognitionem fore caussam maioris illius cum Deo similitudinis; nam quo accuratius

aliquem novimus, eo magis ipsum imitari, similiores eius fieri possumus. Eadem accuratior Dei cognitio erit etiam fundamentum maioris nostrae felicitatis.

3. Καὶ πᾶς—ἁγνός ἐστι) *Proinde qui in illo hanc spem ponit, purum se praestat* (a sceleribus) *quemadmodum ille est purus* et sanctus. Τὴν ἐλπίδα ταύτην, *hanc spem*, ut sit consors aeternae beatitudinis, et maioris cum Deo similitudinis. Ἁγνίζει ἑαυτὸν, *semet purificat*, i. e. purum se a rebus malis facit, et servat. Καθὼς ἐκεῖνος ἁγνός ἐστι, *ut similis sit sanctissimo.* Καθὼς, h. l. ut Matth. V, 48. ὥσπερ, non paritatem innuit, sed similitudinem. Qui illam beatitatem et maiorem cum Deo similitudinem sperat, is iam in his terris incipit eius fieri similis; nam altera illa vita erit huius nostrae continuatio.

4. Πᾶς ὁ ποιῶν—ποιεῖ) *Quicunque peccat, (scelerate vivit,) etiam transgreditur legem.* sc. Dei, optimi, sanctissimi. Ποιεῖν ἁμαρτίαν, *scelerate vivere.* Plerique τὴν ἀνομίαν explicant per *illegalitatem, legis violationem;* ut sensus sit: Quisquis peccat, violat legem. Alii: Quicunque se inquinat peccatis, adversatur religioni christianae; nam peccatum cultui christiano adversatur. Sicut nempe νόμος Χριστοῦ est religio christiana, sic analogice, quidquid cum ea pugnat, dici posset ἀνομία. καὶ ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία) *Et peccatum est transgressio legis, est contrarium praescripto divino,* vel ut alii malunt, est *iniquitas,* et quidem eo maior, quo maius pretium Christus impendit, ut nos a peccatis redimeret. *Mo-*

rus: Contraria agere voluntati divinae profecto est Dei dissimillimum esse — *Lasterhaftigkeit ist gerade das Gegentheil von dem, was Gott denkt und will, ist gerade die grösste Unähnlichkeit mit Gott.*

5. Καὶ οἴδατε — ἐν αὐτῷ οὐκ ἔστι) *Et scitis eum* (Christum) *apparuisse in his terris, eo fine, ut peccata a nobis ita velit ablata, sicut in ipso peccatum non est.* Alias rationes affert Ioannes, cur sancte sit vivendum. Prima ratio est, quia Christus eo fine in his terris apparuit, ut facinora e societate hominum removeret, ne porro committantur. *Tollere peccata* h. l. est abstrahere a sceleribus. Hoc fecit Christus, dum nos docuit, dum nobis exemplum virtutis praebuit, dum mortem suam nobis proposuit virtutis incitamentum. καὶ ἁμαρτία ἐν αὐτῷ οὐκ ἔστι. Est praesens pro Praeterito: *Peccatum in eo non erat*, nempe quum vitam mortalem viveret. Ratio alterea, cur a peccatis sit abstinendum. Ut ipse non habuit peccatum, sic voluit, ut nos etiam abstineremus a peccatis.

6. Πᾶς — ἁμαρτάνει) *Quisquis amore ei coniungitur, a peccatis sibi cavet.* Ἁμαρτάνειν designare videtur habitum, aut *consulto peccare.* Igitur *non peccare* dicitur, qui fugit peccata quantum potest; abstinet a vitiis. πᾶς — ἔγνωκεν αὐτὸν) Ὁρᾶν, ut hebr. ראה, *cognoscere.* Γινώσκειν, *venerari*, et *amare* quod est consequens verae cognitionis Christi.

7. Τεκνία — ὑμᾶς) *Nemo vos seducat.* Multi et tunc sibi blandiebantur, et nunc blandiuntur, existimantes, professionem christiani nominis sufficere ad felici-

tatem, vel etiam desiderium quoddam bene vivendi. ὁ ποιῶν—δίκαιός ἐστιν) *Qui virtutem exercet, pro bono recte habetur, similis ipsi innocentissimo,* vel, ut *Morus: intus quoque bonus est, sicut Deus,* ut in priori cogitanda sint recte facta externa, in altero sensus animi interiores, *gute Gesinnungen.* Καθὼς ἐκεῖνος δίκαιός ἐστι, ad Deum, vel etiam ad Christum referri potest.

8. Ὁ ποιῶν—διαβόλου ἐστίν) i. e. *Indole diabolum refert,* imitatur Diabolum vita et factis. Vide Io. VIII, 44. 47. ὅτι—ἁμαρτάνει) i. e. non nuper demum coepit scelerate agere, sed omni tempore, semper et ubique sceleste vixit. Alii contendunt, ἀπ' ἀρχῆς esse, *ab initio generis humani;* sed non apparet, cur ita praecipue notetur, quum iam antea Satanas fuerit. εἰς τοῦτο—τοῦ διαβόλου) Ἐφανερώθη sume, ut supra Vs. 5. *vixit inter nos.* Λύειν, *destruere. Opera diaboli* sunt peccata, quae ita vocantur, quia Diabolus primos homines ad peccandum instigavit, ipse peccat, et hominum peccatis delectatur. Christus *destruxit peccata,* dum effecit, ut homines nunc a poena et imperio eorum liberari possint. Venisse autem Christum, ut diabolo auferret imperium, ac proinde opera eius destrueret, ex ipsius dictis constat, Matth. XII, 29. Luc. X, 18. Io. XII, 31. XVI, 11.

9. Πᾶς—οὐ ποιεῖ) Praeteritum γεγεννημένος est pro Verbali, quasi dixisset γεννητὸς, יִלּוֹד, Iob. XIV, 1. aut τέκνον, ut infra 10. *Natus ex Deo, filius Dei* dicitur quivis vere Christianus, quia per doctrinam christianam, quae semini saepe comparatur, pro-

ducta est indoles, divinae similis, 1 Petr. I, 22. 23. *Non peccat*, nempe contra conscientiam, ex verbo Dei recte informatam; fugit, quantum potest, quaevis vitia et scelera. ὅτι — μένει) i. e. Quia verbum Dei, quod quasi semen est, quo divina natura in nobis gignitur, in ipso vegetum existit, vel vim suam exserit. *Semen Dei* est verbum Evangelii. Matth. XIII, 19. 1 Petr. I, 23. Iac. I, 18. Μένειν hic est inesse, quod intelligendum est ἐνεργῶς, ita ut nec arefactum sit, nec suffocatum, sed naturam efficientiamque retineat. Est autem talis argumentatio: Fieri non potest, ut qui filius est Dei, in eo non sit verbum, quod est semen divinum. At verbi vis ea est, ut nos a peccatis arceat iubendo, vetando, pollicendo, comminando. *Lueckius*: „σπέρμα referendum est ad γεννηθῆναι ἐκ τοῦ θεοῦ. Est autem *vis divina*, qua liberi Dei ex Deo quasi nati sunt. Quo Ioannes intelligit aut *sensum divinum* homini innatum, τὸ ἐκ θεοῦ εἶναι significatione latiore, aut, quum hic de regeneratione per Christum filiorumque Dei conditione sermo fiat, τὸ πνεῦμα ἅγιον, quo homo ex Deo regeneratur, coll. Ioann. III, 6. sqq. (quo, Paulo docente, Deum *Patrem* appellat); igitur τὸ πνεῦμα υἱοθεσίας. Schol. apud Matthaei: Significatur τὸ πνευματικὸν χάρισμα, ὃ μένον ἐν ἡμῖν ἀνεπίδεκτον ἁμαρτίας τὸν νοῦν ποιεῖ. καὶ οὐ δύναται — γεγέννηται) Οὐ δύναται hic dictum moraliter, et significat, rem, de qua agitur, alienam esse ab eiusmodi ingenio. Ratio, cur peccandi studium alienum sit a talis hominis ingenio, hic petitur ex subiecti nomine: ὅτι ἐκ Θεοῦ γεγέννηται, quasi dicat: non mirum est, eum aversum esse a rebus vetitis, quandoquidem est, ac esse se meminit Dei filium, ac proinde Deum sibi

imitandum. Hinc vero non sequitur, eum non posse desinere, Dei filium esse.

10. Ἐν τούτῳ—ἀδελφὸν αὐτοῦ) Ἐν τοῦτῳ nonnulli referunt ad antecedentia, alii ad sequentia. Sed perinde est. Τὰ τέκνα τοῦ διαβόλου, qui Diabolum imitantur, et faciunt ea, quae ipsi sunt grata; sicut τὰ τέκνα τοῦ θεοῦ, qui imitantur Deum, et voluntatem eius libenter faciunt. Ποιεῖν δικαιοσύνην, *exercere virtutem.* Οὐκ ἔστιν ἐκ τοῦ θεοῦ, non veneratur Deum Patrem. Ἀδελφὸς h. l. est ὁ πλησίον, *homo quivis*, ut supra II, 9.

11. A commate 11—24. ad mutuam caritatem adhortatur Apostolus. Utraque lex (inquit,) nempe *sanctitati vitae*, et *mutuae caritati* studendum esse, parem habet et auctoritatem et antiquitatem. ὅτι αὕτη—ἀγαπῶμεν ἀλλήλους) *Hoc enim est mandatum, quod statim ab initio* (vestri Christianismi) *accepistis, ut nos invicem amemus.* Ἀγγελία, *mandatum*, vel *institutio, Belehrung.*

12. Οὐ καθὼς—πονηροῦ ἦν) Ellipsis, pro: οὐκ ὦμεν ἐκ τοῦ πονηροῦ καθὼς Κάϊν ἦν, *ne diabolica simus indole, sicut Cain fuit.* καὶ ἔσφαξε τὸν ἀδελφὸν αὐτοῦ) Καὶ hic valet *qui.* In Glossario: σφάζω, *iugulo, interimo, caedo, occido, neco.* Et graeci Scholiastae σφάζω, aut σφάττω, interpretantur φονεύω, κτείνω. Latinus hic *occidit.* καὶ χάριν — δίκαια) Hinc caussa odii. Cicero in Catone maiore: *Nec aliam ob caussam boni improbis, improbi bonis amici esse non possunt, nisi quod*

tanta est inter eos — morum studiorumque distantia.

13. Μὴ θαυμάζετε — ὁ κόσμος) Subaudiri debet: *igitur;* est enim illatio ex praecedenti exemplo. Ὁ κόσμος, *homines profani*, nempe Caino non dissimiles. Mores contrarii et perversi solent semina et caussae esse discordiae et odiorum. Quare nolite novitate quasi rei adduci in admirationem, si Caini similes vos odio prosequantur, sed patienter ferte iniurias. Indicium enim *impiorum* est semper insectari *pios.*

14. Ἡμεῖς οἴδαμεν — τοὺς ἀδελφούς) Μεταβεβήκαμεν ἐκ τοῦ θανάτου εἰς τὴν ζωήν, i. e. *e misero statu ad laetiorem et feliciorem transivimus.* Ὁ θάνατος, *pernicies, et quicquid antecedit*, metus poenae, mala conscientia. Ἡ ζωή, *perpetua felicitas, et quidquid eam antecedit*, felicitatis futurae certa spes, animi tranquillitas, solatium in rebus afflictis. ὁ μὴ—θανάτῳ) *Manet morti et poenis peccatorum obnoxius.* Miser est et manet.

15. Πᾶς ὁ μισῶν — ἀνθρωποκτόνος ἐστί) *Qui odio habet alium*, sicut isti mundani homines nos non modo non diligunt, sed et oderunt, *ille pro homicida habendus;* non magnopere differt ab homicida, si animi utriusque comparentur. Utrique enim eadem consilia sunt, eaedemque voluntates; Christi autem lege, quae internum hominem potissimum respicit, fecisse quisquam censetur, quantum voluit. Quod igitur de ira et adulterio dixit Christus Matth. V, 21. sqq. id

pari iure ad alia crimina aptandum est. καὶ οἴδατε — μένουσαν) *Scitis autem, nulli homicidae superesse spem vitae et felicitatis aeternae*, sc. nisi resipiscat. Ζωὴ αἰώνιος, *spes vitae aeternae.* Si Mosis lex in terrestri societate talem hominem ferre non potest, quanto minus eum Christus feret in coelesti civitate?

16. Ἐν τούτῳ — ἔθηκε) i. e. *Quid sit vere diligere, discimus exemplo Christi, qui vitam suam nobis impendit.* Ἡ ἀγάπη h. l. est vera indoles amoris. Ἐκεῖνος, i. e. Christus, ut supra Vs. 5. Τιθέναι ψυχὴν, *vitam obiicere periculis, et deponere vitam*, ut Io. X, 11. 15. 17. XIII, 37. 38. καὶ ἡμεῖς — τιθέναι) Καὶ, *igitur. Debemus igitur et nos pericula quaevis adire pro salute aliorum.* In amore erga alios usque eo progredi debemus, ut, si res ita tulerit, vitam adeo in aliorum emolumentum abiiciamus. Intelligenda est haec de vita ponenda praeceptio de summo et ultimo amoris erga alios documento, ultra quod nemo progredi possit. Hoc praeceptum egregie implevere Apostoli et eorum coadiutores. Sed non omnium hominum res atque περιστάσεις sunt tales, ut vita deponenda sit pro aliis. Est igitur spectanda universalis notio huius amoris, quae talis est: vel carissima nobis denegare debemus aliorum caussa.

17. Ὃς δ' ἂν ἔχῃ τὸν βίον τοῦ κόσμου) *Si quis autem habeat huius vitae bona.* Βίος, *vita*, apud Graecos saepe significat ea, unde vivitur, ut Luc. XV, 12. 30. XXI, 4. Additur vero hic τοῦ κόσμου, ut intelligamus, de iis agi, quae ad vitam pertinent, non alterius, sed huius seculi. καὶ θεωρῇ — ἔχοντα) Χρείαν

ἔχειν, *egere necessariis.* Qui hic χρείαν ἔχων, Iac. II, 15. dicitur λειπόμενος τῆς ἐφημέρου τροφῆς καὶ τῶν ἐπιτηδείων τοῦ σώματος. καὶ κλείσῃ — ἀπ' αὐτοῦ) i. e. *excluserit eam ab effectu misericordiae.* De voce σπλάγχνων vide Luc. I, 78. 2 Cor. VI, 12. *Claudere ab aliquo* est *aliquem excludere.* πῶς — ἐν αὐτῷ;) *Quomodo dici potest amor erga Deum ipsi inesse?*

18. Μὴ ἀγαπῶμεν — καὶ ἀληθείᾳ) *Demonstremus amorem nostrum non tantum sermonibus et verbis, sed et re ipsa et factis.* Verbo amat, qui praedicat a se diligi proximum, non autem vere diligit. Ei opponitur is, qui diligit ἀληθείᾳ, i. e. *vere*, ac *sincere.* Bonis verbis solari miserum non est malum; sed inane fit, si copiam habeas eum iuvandi, nec utaris, Iac. II, 15. 16.

19. Καὶ ἐν τούτῳ—ἐσμὲν) *Ex eo* (quod omnes homines sincere diligimus) *cognoscere possumus, nos addictos esse verae religioni,* sincere nos profiteri religionem. Sicut ἐκ θεοῦ εἶναι est, *habere divinam indolem,* ita εἶναι ἐκ τῆς ἀληθείας, *congruere veritati,* eamque sincere profiteri. Ἀλήθεια autem est *vera religio.* Nulla re melius, quam perpetua factorum serie quisque de se cognoscet, an desiderium tantum bene agendi, an vero quale requiritur propositum habeat. καὶ ἔμπροσθεν — ἡμῶν) *Atque etiam respectu Dei mentes nostras tranquillare poterimus.* Πείθειν, *tranquillum reddere,* ut bene hic habet Syrus. Multa disputant philosophi de animi tranquillitate. Sed nulla est res, quae verius tranquillet ani-

mum, quam iusta persuasio de tanto Dei erga nos amore, ut nobis vitam aeternam destinet. Ἔμπροσθεν αὐτοῦ, *in eius conspectu*, quum cogito de Deo, quid ille de me iudicet et sentiat. Promisit Deus et Christus suam benevolentiam iis, qui erga alios se benevolos praebent. Quisquis igitur omnes homines vere amat, is sibi Dei benevolentiam tuto promittere, et animo tranquillo esse potest.

20. Ὅτι ἐὰν — γινώσκει πάντα) *Quodsi vero redarguit nos animus noster, multo magis Deus novit animum nostrum; scit enim omnia.* ὅτι ἐὰν κατάγ. ἡ καρδία, *si culpat nos animus*, si nobis conscii sumus, nos non esse benevolos erga alios. Supple ex Vs. 19. tum non tranquillare poterimus animum nostrum coram Deo, non poterimus nobis eius benevolentiam tuto promittere. Caussa additur: ὅτι μείζων ἐστὶν ὁ Θεὸς τῆς καρδίας ἡμῶν, *maior est Deus animo nostro*, i. e. multo magis novit cogitationes nostras quam nos. Maior est, sc. ratione scientiae omnium nostrarum cogitationum et actionum. Is Deus, qui perfectissime novit, nos non esse benevolos erga alios, nos favore suo non habebit dignos. Alii verba Vs. 19. καὶ ἔμπροσθεν αὐτοῦ πείσομεν τὰς καρδίας ἡμῶν cuniungunt cum Vs. 20. et ita vertunt: *Atque etiam respectu Dei mentes nostras tranquillare poterimus, quicquid demum obiecerit animus noster, quoniam Deus maior est animo nostro et omnium intelligentissimus.* Tum ὅτι initio commatis 20. est dividendum, tanquam Pronomen, ὅ, τι, *quodcunque*, s. *quidquid*. *Quidquid demum nos accuset animus noster.* Ἐὰν pro ἄν, et sensus est: Eos etiam, quos

conscientia angit ob peccata olim commissa, tranquillare posse animum, si modo nunc alios ament; Deum enim omnia intelligere; hunc autem semel promisisse favorem suum alios homines amantibus; in hoc ergo promisso acquiescendum esse. Sic explicant haec verba *Morus* et *Noesselt*, cuius interpretatio grammatica huius loci legitur in *Sylloge Commentatt. edita a Pott*, Vol. VII. p. 1 sqq. Priorem interpretationem expressit etiam Scholiastes MS. Pricaeo citatus: *εἰ ἁμαρτάνοντες τὴν καρδίαν ἑαυτῶν λανθάνειν οὐ δυνάμεθα, πόσῳ μᾶλλον τὸν θεὸν λανθάνειν οὐ δυνάμεθα.*

21. Ἐὰν ἡ καρδία—παρ' αὐτοῦ) *Si conscientia nostra non damnat nos, confidere possumus Deo, et quicquid petamus, accipimus ab eo.* In hoc versu *Noesseltus* haec verba non de omnibus *omnino* delictis nostris dici putat, sed de conscientia vacui ab aliorum vero amore animi, ita ut sensum ita reddi oporteat: *si animus noster non arguit nos*, nimirum *hactenus*, quod careamus vero erga fratres amore, *tum confidere possumus Deo*, et ab eo optima quaeque, ceterorum etiam delictorum veniam, sperare. Recte quidem; sed non probandum esse videtur, quod verbum καταγινώσκειν plane alio sensu accipiendum esse existimat, ita ut verba illa: ὅ, τι ἐὰν καταγινώσκῃ ἡμῶν ἡ καρδία, loquantur de quocunque delicto, excepto eo, quod continetur vacuitate animi nostri a vera caritate aliorum. Mihi quidem facillima, et vero etiam verissima videtur esse *Oecumenii* explicatio. Is enim coniunctionem ὅτι Vs. 20. ante verba: μείζων ἐστὶν ὁ θεὸς τῆς καρδίας ἡμῶν omittit, omissam quoque in antiquis latinis versionibus, Itala et Vulgata, itemque in Copti-

ca, in codice Alexandrino et uno alio. Locum nostrum arctissime cohaerere statuit cum Vs. 18. μὴ ἀγαπῶμεν λόγῳ κ. τ. λ. atque loci nostri sensum constituit hunc: Τεκνίκ μου, μὴ ψευδώμεθα εἰς ἀλλήλους ἐν τῷ τῇ γλώσσῃ μόνῃ (omissum esse videtur ἀγαπῶντες), ἀλλὰ καὶ ἔργῳ τὴν ἀγάπην ἐπιδεικνύωμεν. ἐν τούτῳ γὰρ γνωσόμεθα, ὅτι ἐκ τῆς ἀληθείας, τοῦτ' ἐστιν, ἐκ τοῦ θεοῦ ἐσμέν. καὶ ὃ λέγωμεν ὡς τοῦ Θεοῦ ἐπισκοποῦντος λέγωμεν — εἰ γὰρ μὴ οὕτω ποιῶμεν, ἀλλὰ λεγόντων ἡμῶν ἀγαπᾷν, ἡ καρδία ἡμᾶν καταγινώσκῃ ἡμῶν ψεύδους, ἁμαρτάνομεν. πῶς; οἰόμενοι λανθάνειν τὸν πανταχοῦ παρόντα θεὸν, καὶ οὐδὲ τοῦτο συνιέντες, ὅτι εἰ τὴν καρδίαν ἡμᾶν (conscientiam nostram, τὴν συνείδησιν ἡμῶν, ut supra explicaverat,) βραχεῖαν οὖσαν οὐκ ἔστι λαθεῖν ἡμᾶς, πῶς τὸν μηδαμόθεν ἀπολειπόμενον λήσομεν; etc. Sic verbum καταγινώσκειν in utroque commate (20. et 21.) eodem sensu accipitur, nec necesse est, ut ὅτι initio Vs. 20. mutemus in ὅ, τι. Παῤῥησίαν ἔχομεν πρὸς τὸν θεόν, *fiduciam in Deo ponere possumus*, vel, ut *Pricaeus* exponit: fidenter ad Deum accedimus, nimirum precibus nostris. Hebr. IV, 16. *Omnia*, quae petimus, accipiemus a Deo; si nempe petimus id, quod eius voluntati congruat, quam limitationem ipse Ioannes addit infra c. V, 14.

22. Ὅτι — ποιοῦμεν) *Nam praeceptis eius obtemperamus, et quae sibi grata sunt facimus.* Haec igitur est caussa, cur omnia bona a Deo expectare possimus. Deus amat bonos, quia ipse est optimus. Favet iis, qui sui similes sunt. Solent, qui boni sunt, gratificari iis, qui grata ipsis faciunt. Io. VIII, 29.

23. Καὶ αὕτη—ἐντολὴν ἡμῖν) *Haec enim est summa religionis, ut fiduciam nostram collocemus in Iesu Christo, filio Dei et diligamus nos invicem, sicuti nobis praecepit.* Ἡ ἐντολή, *summa eorum, quae nobis praecepit*, i. e. religionis. Unitatis numero utitur, quia alterum praeceptum ex altero sequitur. Qui igitur in Iesum credit, et omnes alios diligit, is obtemperat religioni, et est Deo gratus, Vs. 22.

24. Καὶ ὁ τηρῶν—αὐτὸς ἐν αὐτῷ) *Qui servat praecepta eius, is vere Deum amat, et favore eius fruitur.* Deus et ipse inter se amore sunt coniunctissimi. καὶ ἐν τούτῳ—ἔδωκεν) *Est autem certissimum argumentum, nos favore Dei frui, quod nobis dedit de spiritu suo*, quo certe nihil maius in hac vita nobis dari poterat. Πνεῦμα, dona Spiritus sancti, cognitio per religionem effecta, studium et vis virtutis exercendae, certa felicitatis futurae spes. Qui nobis haec dedit, is hoc signo declaravit, se favere et benefacere nobis. Cf. Eph. I, 14. 2 Cor. I, 22.

CAP. IV.

1. Μὴ παντὶ πνεύματι πιστεύετε) *Nolite fidem habere cuivis doctori*, qui dicit, se esse a Deo edoctum. Quod Ioannes c. III, 24. de πνεύματι dixerat, peperisse videtur digressionem, quae nunc sequitur, de his, qui vera vel falsa docerent, vere vel falso se habere πνεῦμα, dicerent. Πνεῦμα h. l. est *Doctor, impulsu Spiritus se loqui perhibens*, ut 1 Tim. IV, 1. 1 Cor. XII, 10. Nam *profiteri* (Vs. 2.) est hominis, conce-

dentis aliquid vel negantis. Intelligitur itaque doctor, qui vel habeat, aut qui prae se ferat et iactitet πνεῦμα. Ἀλλὰ δοκιμάζετε — θεοῦ ἐστιν) *Sed examinate doctores, an revera a Deo sint edocti.* Ἐκ τοῦ θεοῦ εἶναι h. l. non est *natum e Deo, Dei similem esse;* non enim hic est sermo de virtute docentium, sed de doctrina quam proponunt, examinanda. Ergo ἐκ τοῦ θεοῦ εἶναι h. l. dicitur is, *qui adeptus est divinam de religione institutionem, edoctus a Deo.* ὅτι — κόσμον) i. e. *Prodeunt*, publice se ostendunt; hoc enim est *exire in mundum;* vel: quoniam multi falsi doctores in genere humano prodierunt.

2. Ἐκ τούτῳ—θεοῦ) *Ex eo cognoscitis Spiritum Dei*, i. e. hominem, qui inspirationes Spiritus sancti iactat, agi Spiritu sancto, et vera loqui; vel simpliciter: *esse verum doctorem.* Dat igitur Apostolus notam, qua doctor ψεύπνευστος; ab impostore quovis dignosci queat. πᾶν πνεῦμα—ἐκ τοῦ θεοῦ ἐστι) *Quisquis docet, Iesum qui vitam humilem in his terris egit, esse Messiam, is est revera edoctus a Deo.* Sensus est: is est verus Doctor, qui confitetur, Iesum Nazarenum esse Messiam, Dei filium. Vel est propositio inversa: Quivis a Deo inspiratus Doctor docet etc. Tales propositiones in Evangelio Ioannis haud raro occurrunt. Ἐν σαρκὶ, *in conditione humili et abiecta.* Nam σάρξ significat *vitae conditionem tenuem et miseram*, statum humilem, in quo Christus vixit, Hebr. V, 7. *Venire* autem dicuntur legati divini, inprimisque doctores, si in medium prodeunt, seu publice se conspiciendos praebent. Status Iesu humilis fuit caussa, cur eum multi pro Messia non haberent,

quia nempe non venerat cum pompa regia et armis ad cogendos refractarios. Vult ergo Apostolus, neminem esse verum doctorem, nisi profiteatur, eundem ipsum Iesum Nazarenum, despectum, reiectum a Iudaeis, esse verum Messiam.

3. Καὶ πᾶν—οὐκ ἔστι) *Sed qui negat, Iesum qui humilem vitam in his terris egit, Messiam esse, huius doctrina auctorem non habet Deum.* De lectione λύει pro μὴ ὁμολογεῖ vid. *Mori* excursus ad hunc versum, pag. 48. Verba Χριστὸν ἐν σαρκὶ ἐληλυθότα desunt in codicibus, versionibus et Patribus haud paucis; et recte abesse possunt, quia ex versu praecedenti intelligitur, de hoc esse sermonem. Vide tamen quae Carpzovius pro recepta lectione attulit. καὶ τοῦτο—ἤδη) *Et hoc est negotium adversarii doctrinae Christi, quod audivistis futurum, et iam exserit se illud. Iam est in mundo*, i. e. iam ostendunt se tales falsi doctores in variis locis. Cf. supra II, 18.

4. Ὑμεῖς — νενικήκατε αὐτούς) *Vos intelligentes estis religionis, Dilectissimi, et vincere potestis eos.* Ἐκ τοῦ Θεοῦ εἶναι h. l. sumitur ut Vs. 1. et significat *intelligentem esse religionis, Dei rerumque divinarum cognitione imbutum*, θεοδίδακτον, ideoque verum Christianum esse. Interdum nominatim significat verum doctorem. *Vincere potestis eos*, ne vos in perniciosos errores suos trahant. Didicistis tantum, ut ille error vobis nocere nequeat. *Vincere* haud dubie dicitur de iis, qui superiores hostibus discedunt, incolumes sunt, quibus illi nocere nihil possunt. Vincunt igitur *falsos doctores*, qui iis non cedunt, non fallunt

fidem Christo datam. ὅτι μείζων — κόσμῳ) Sensus est: *Verum, a Deo profectum, quod vos estis amplexi, superat falsorum illorum doctorum errores.* Sic *Morus* παραφράζει. Ὁ ἐν ὑμῖν est *Deus*, in tantum scilicet, in quantum vos meliori cognitione instruit. Contextus postulare videtur, ut ita intelligamus, et τὸν ἐν τῷ κόσμῳ *inscium, errori et ignorantiae deditum;* ut sensus sit: Dei doctrina, quae est inter vos, valet satis ad refutandos illos, qui dediti sunt errori. *Verum est maius, potentius falso, praeponderat falso. Wahrheit besiegt doch endlich den Irrthum.* Alii: *Nam qui in vobis est*, scil. Deus, Dei Spiritus, et qui in vobis manet (III, 24.), *maior*, i. e. potentior *est eo, qui in mundo est*, scil. ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου, ὁ πονηρός, cuius τέκνα sunt οἱ ἀντίχριστοι, coll. 1 Cor. XV, 57. Eph. VI, 10 — 17.

5. Αὐτοὶ ἐκ τοῦ κόσμου εἰσί) *Isti e profanorum hominum numero sunt*, alieni a religione, inscii. Potest hic locus explicari ex Io. III, 31. sqq., ubi Christus dicitur εἶναι ἐπάνω πάντων, quia eius doctrina omnium aliorum doctrinam et sapientiam superat; Ioannes autem seipsum dicit *esse* ἐκ τῆς γῆς, (quod nostro loco est εἶναι ἐκ τοῦ κόσμου) i. e. humilem, inscium, minus sapientem. διὰ τοῦτο — λαλοῦσι) *Ideo docent perversa*, mundi affectibus congruentia, ea, quae maiori hominum parti placent. Vel: docent ea, ex quibus inscitia eorum cognosci potest. καὶ — ἀκούει) *Et perversi adhaerent eis*, sectantur eos, eisque morem gerunt. Solet ἀκούειν dici de discipulis, ut apud Laërtium aliquoties. Vel: Homines inscii approbant illorum doctrinam.

6. Ἡμεῖς ἐκ τοῦ Θεοῦ ἐσμὲν) *Nos vera Dei cognitione imbuti sumus.* Sumenda sunt haec verba eodem sensu, quo modo habuimus Vs. 5. 1. Sic cohaeret oratio cum sequentibus: Ὁ γινώσκων — οὐκ ἀκούει ἡμῶν) *Qui vere Deum cognoscit, is adhaeret nobis, qui non est imbutus vera Dei cognitione, is non sectatur nos.* Ἐκ τούτου — τῆς πλάνης) *Exinde cognoscimus, quis sit doctor verus, quis falsus.* Πνεῦμα, ut supra Vs. 1. Ἀκούει ἡμῶν, nos Apostolos sectatur. Ἐκ τοῦ Θεοῦ εἶναι, et γινώσκειν τὸν Θεὸν, *a Deo edoctum esse*, eodem fere recidunt. Οὐκ ἀκούει ἡμῶν, alios quaerit doctores. Redit nunc Ioannes ad locum de amandis aliis, III, 23.

7. Ὅτι ἡ ἀγάπη ἐκ τοῦ θεοῦ ἐστι) i. e. *Nam bonitas Deo placet, amor est coelestis, divinae originis.* Deus est fons, parens charitatis, adeoque summo amore praeditus. Quivis nempe nomine Dei optimum quid intelligit. Ex hoc principio dixit Cicero in *Somnio*: nihil esse illi principi Deo, quod quidem in terris fiat acceptius, quam consilia coetusque hominum iure sociatos. καὶ πᾶς — τὸν θεὸν) *Quisquis charitate praeditus est, ostendit se esse filium Dei, et Deum nosse*, sicut oportet. Filiorum est, imitari Patrem. Quisquis igitur amore in alios praeditus est, is filius est Dei, quia eum imitatur.

8. Ὁ μὴ — τὸν Θεὸν) *Qui non diligit alios, is non cognoscit Deum* vere; non imitatur Deum; contrarius est Deo. ὅτι ὁ θεὸς ἀγάπη ἐστίν) *Nam Deus est optimus*, benignissimus, plenus dilectione. Abstractum pro concreto, et quidem in Superlativo. Tale

illud: *Tu quantus quantus nil nisi sapientia es.* Qui hoc cognoscit, Deum esse optimum, benignissimum, is eum imitabitur, quoniam optimo nonnisi bonus placere potest.

9. Ἐν τούτῳ—ζήσωμεν δι' αὐτοῦ) *Hoc modo Deus declaravit amorem suum erga nos etc.* Est sententia eadem quae Io. III, 16. Ἐν ἡμῖν, pro εἰς ἡμᾶς. Ἵνα ζήσωμεν, ut felices, et beati reddamur. Hoc accipiendum est amplissimo sensu; qua scientiam, virtutem, animi tranquillitatem, spem felicitatis, eiusdemque possessionem. Eodem sensu amplo Iesus infra Vs. 14. dicitur σωτὴρ τοῦ κόσμου.

10. Ἐν τούτῳ ἐστὶν ἡ ἀγάπη) i. e. *In hoc adparet admirabilis illa dilectio.* Quod generalius dixerat, id specialius explicat. οὐχ ὅτι—ἠγάπησεν ἡμᾶς) Οὐχ ὅτι pro ὅτι οὐχ. *Quod quamvis nos non amavissemus Deum, ille tamen amaret nos.* Maxime admirabilis est amor erga infestos. Rom. V, 6. 7. καὶ ἀπέστειλε—ἁμαρτιῶν ἡμῶν) *Et misit Filium suum ut expiaret peccata nostra.* Hac re declaravit Deus, et testatum fecit, se velle condonare, se propitio esse animo erga peccatores. Voluit nobis certissimum dare pignus remissionis peccatorum et felicitatis aeternae.

11. Ἀγαπητοὶ—ἀγαπᾶν) *Dilectissimi, quodsi tantopere Deus dilexit nos, decet etiam nos invicem diligere.* Decet nos eo magis imitari Dei exemplum, quod natura nobis coniuncti sumus, et alii aliorum auxilio et officiis indigemus.

12. Θεὸν οὐδεὶς πώποτε τεθέαται) Praeteritum pro quovis tempore, more hebraeo. *Deum nemo vidit*, interdum est: nemo Deum novit; nemo eius consilia de salute hominum perspecta habet. Sed haec propositio hoc quidem loco non convenit cum orationis serie. Erit igitur: *Nemo cum Deo versatur, ut homines cum hominibus versantur.* Ostendit nempe, etsi non sit talis cum Deo consuetudo, tamen constare nobis posse certo, nos eum amare, nosque ab eo amari, si nimirum alios amemus. Ἐὰν ἀγαπῶμεν—μένει) *Si nos invicem amamus, Deus nobis coniunctus manet*, favet nobis, et nos felices reddit. καὶ ἀγάπη—ἐν ἡμῖν) *Et noster in eum amor sincerus est.* Τελειοῦσθαι ἐν ἀγάπῃ significat sincerum esse in amore. Apud Ioannem τὸ τέλειον, *sincerum*, opponitur *simulato*.

13. Ἐν τούτῳ—δέδωκεν ἡμῖν) Est idem sensus, qui supra III, 24., nisi quod hic additur: ὅτι ἐν αὐτῷ μένομεν. Commemorat Apostolus his verbis aliud documentum, nos cum Deo esse coniunctissimos. Quanquam nempe Deus nobis non est praesens adspectabili modo, fruimur tamen eius beneficiis, quae nobis exhibet, atque ita cognoscimus, nos cum eo esse coniunctos. Πνεῦμα h. l. complectitur omnes illas dotes, de quibus supra ad III, 24. diximus.

14. Καὶ ἡμεῖς—τοῦ κόσμου) Ἀπέσταλκε σωτῆρα, i. e. misit ut esset Servator. Hoc vult Apostolus: Quod dixi missum a Deo Filium ad liberandos homines, *atque adeo summum divini in nos amoris documentum esse datum*, de eo dubitare nemo debet; sumus enim nos huius rei testes oculati. Vidimus Ie-

sum mortuum, vidimus et resuscitatum. Dixerat autem, se moriturum ad redimendum genus humanum, Matth. XX, 28. XXVI, 28. Neque Iesum Deus a mortuis excitasset, si is Iesus decipere voluisset genus humanum. De nomine σωτῆρος vide Luc. II, 11. et supra Vs. 9.

15. Ὃς ἂν — τοῦ θεοῦ) *Quisquis profitebitur, Iesum esse Filium Dei*, missum, ut esset nobis Servator, *is vere cum Deo coniunctus est;* amat Deum, et vicissim ab eo amatur. Fieri enim non potest, quin eiusmodi homo doctrinam Christi sincere amplectatur, ac proinde Deum et proximum sincere diligat, diligaturque vicissim ab eo.

16. Καὶ ἡμεῖς — ἐν ἡμῖν) *Ergo nos novimus et persuasi sumus de amore, quem erga nos habet. Nos,* Apostoli nempe, qui Iesum, quem Servatorem hominum misit, contemplati sumus oculis, et inde cognovimus, quantus Dei in nos sit amor. Cf. Vs. 14. ὁ θεὸς — ἐν αὐτῷ) Supra Vs. 8. 12. III, 24. Amat Ioannes, quae valde vult haerere auditorum animis, non semel sed saepius dicere.

17. Ἐν τούτῳ — τῆς κρίσεως) *Ex hoc intelligimus, amorem nostrum perfectum*, i. e. *sincerum esse, adeo ut etiam cum bona fiducia in illo die iudicii apparere possimus.* Μεθ' ἡμῶν, *in nobis,* vel apud nos. Alii hoc explicant de amore Dei erga nos, et ἐν τούτῳ connectunt cum illo ὅτι καθώς etc., non cum ἵνα, ut sensus sit: Hic est summus gradus dilectionis Dei erga nos, si, qualis in hoc mundo Christus

fuit, i. e. mundi odiis, et propterea malis plurimis expositus, tales et nos simus. Sed quamvis ἐν τούτῳ τετελείωται omnino coniungendum sit cum ὅτι etc., non tamen amor Dei erga nos hic intelligi potest, quia Apostolus statim addit, metum servilem non posse consistere cum vero erga Deum amore, Vs. 18. Verto igitur ἵνα, *adeo ut*. Veritas mutui inter Deum et nos amoris hac re sentitur et agnoscitur, si persuasi sumus, nihil nobis ab eo esse metuendum. ὅτι — τούτῳ) *Si, sicut ille* (Deus) *animatus est* (erga nos homines) *ita et nos in hoc mundo simus animati* (erga alios), i. e. si nos, qui vivimus in hoc mundo, ingenio et bonitate referamus Patrem nostrum in coelis. Si ingenium nostrum conforme est ingenio Patris coelestis, tuto credere possumus, nos non iri ab eo damnatum. *Carpzovius* vertit: *Hoc indicio intelligimus nos amore sincero esse, quoniam tranquillo animo sumus die iudicii*, et non metuimus, *sumus enim tales in mundo hoc, qualis ipse est.* Tum ἵνα ponitur pro ὅταν.

18. Φόβος—βάλλει τὸν φόβον) *Formido* (poenarum) *non congruit amori, sed verus amor propellit formidinem.* Φόβος h. l. non est timor Dei, metuens ne Deum peccatis offendat, sed formido malorum ex mala conscientia. Ἡ τελεία ἀγάπη, ut supra Vs. 12. est *vera* et *sincera* caritas, quae simulata non est, et quantum fieri potest in hac vita, omni studio tendit ad perfectionem. Haec igitur vera caritas *eiicit metum*, nec ei apud se locum relinquit. ὅτι ὁ φόβος κόλασιν ἔχει) *Nam metus cruciat* et angit animum. Sensus timoris plane contrarius est sensui amoris. Mutuus

amor parit laetitiam, et habet sensus iucundos. Timor autem angit animum. ὁ δὲ—ἀγάπη) Δὲ, *igitur*; nam est confirmatio eius, quod antea dictum erat. *Si quis ergo timet, non sincere amat.* Mutuus enim amor non parit sensus iniucundos, non angit animum, sed laetum reddit atque tranquillum.

19. Ἡμεῖς ἀγαπῶμεν — ἠγάπησεν ἡμᾶς) Ἀγαπῶμεν, in Subiunctivo: *Diligamus.* Quod enim additur ἡμεῖς, id non est signum certum Indicativi; siquidem adiecit Ioannes pronomen ἡμεῖς, ut magis conspicua sit oppositio: αὐτὸς ἠγάπησεν ἡμᾶς. Πρῶτος pro πρότερος.

20. Ἐάν τις—ψεύστης ἐστίν) Ratio est in promtu. Nam is demum Deum vere amat, qui eum imitatur, eique similis fieri studet ingenio et moribus. Iam vero Deus summo amore in omnes homines est praeditus. Quisquis ergo alios homines odit, is adversatur Deo eiusque consiliis. ὁ γὰρ μὴ — ἀγαπῶν) Eadem fere argumentandi ratio est apud Philonem de Decal. p. 761. D. ἀμήχανον εὐσεβεῖσθαι τὸν ἀόρατον ὑπὸ τῶν εἰς τοὺς ἐμφανεῖς καὶ ἐγγὺς ἀσεβούντων, *fieri non potest, ut pius sit erga invisibilem, qui erga conspicuos est impius.* Aliorum hominum bona aut incommoda *videmus.* Bonis et virtutibus eorum, quos conspicimus, commoveri possumus ad ipsos amandum; incommodis vero, quibus premuntur, excitatur in nobis misericordiae sensus, ut iis succurramus, atque ita amoris nostri documenta exhibeamus. Sed Deum oculis non cernimus; incommoda in eum non cadunt; cogitando tantum excitandus est amor in eum. Facilius

est amare eum, quem oculis videmus, quam invisibilem. Iam, qui id non facit, quod minus et facilius est, quomodo faciet id quod maius et difficilius est?

21. Καὶ ταύτην — ἀδελφὸν αὐτοῦ) *Et hoc praeceptum accepimus ab eo* (Christo) *ut amator Dei sincerus etiam fratrem suum amet.* Ἐντολὴ h. l. idem est, quod c. III, 11. ἀγγελία sive ἐπαγγελία, *doctrina religionis a Christo tradita* et saepius inculcata. Ὁ ἀγαπῶν τὸν Θεὸν, *verus Dei amator et cultor*, qui fatetur Deum a se diligi toto animo. Qui has suas partes implet, is etiam alios amabit, alioqui falso iactitat, se colere Deum. Augustinus: *Si fratrem non diligis, quomodo Eum diligis, cuius mandatum contemnis?*

CAP. V.

1. Πᾶς ὁ πιστεύων — γεγέννηται) *Quisquis credit, Iesum esse Messiam, ascitus est in numerum filiorum Dei.* Non commode incipit novum caput; quae enim hic dicuntur, arcte cohaerent cum praecedentibus. Ὁ πιστεύων, nempe ex animo, et se credere id ostendit, profitendo, sperando ab ipso res promissas, et sub ea spe praecepta eius sequendo. Ἐκ τοῦ Θεοῦ γεγέννηται, i. e. *Dei est filius*, a Deo pro filio agnoscitur, carus est Deo, et ab eo beneficiis ornatur, ut supra III, 9. IV, 7. καὶ πᾶς — ἐξ αὐτοῦ) *Quisquis autem patrem amat, is etiam liberos eius amat.* Hoc probatione non indiget, quia sensu communi patet. Graecorum dictum est: Πατρὶ φίλτατον τέκνον. Intelli-

gendi sunt autem fratres, quibuscum communem parentem habemus. Singularis pro plurali. De Christo, filio Dei, hic non esse sermonem, ex sequentibus verbis patet.

2. Ἐν τούτῳ — τηρῶμεν) Connectuntur haec cum praecedentibus ita, ut Apostolus a generali ad speciale argumentetur. Quum universim verum sit, quod Vs. 1. dictum erat, idem etiam de amore Dei valet. Verto ita: *Ex eo, quod filios Dei amamus, cognoscere possumus, nos amare Deum, et praecepta eius servare velle.* Permutantur igitur h. l. significationes particularum ὅτι et ὅταν, quod contextus necessario postulat. Grotius traiectionem suadet, hoc modo: ἐν τούτῳ γινώσκομεν ὅτι τὸν Θεὸν ἀγαπῶμεν, ὅταν ἀγαπῶμεν τὰ τέκνα αὐτοῦ, καὶ τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ τηρῶμεν. Nec sic quidem male. *Carpzovius* nexum perspici putat, si ἀγαπῶμεν in Futuro 2., particulam autem ὅταν verterimus *quamdiu*, ut Io. IX, 5. Sensus esset: *Hoc indicio intelligemus nos amaturos esse Dei filios, quamdiu Deum amaverimus, illiusque praeceptis obtemperaverimus. Morus* priora verba vertit: *Sic ergo intelligimus, caros Deo a nobis esse amandos, dass wir sie lieben sollen* (cf. c. IV, 21.); post θεοῦ punctum ponendum esse censet, et posteriora verba vertit: *Si vero Deus est amandus, eius quoque praecepta servemus.*

3. Αὕτη γὰρ — τηρῶμεν) *Nam in eo noster erga Deum amor cernitur* etc. In ἀγάπης voce est metonymia. Significatur enim ostensio eius dilectionis, qua in Deum ferimur. καὶ — οὐκ εἰσὶν) i. e. *non ar-*

duum est observare, nempe amantibus, per sese, et propter opem divinam. Confer Matth. XI, 30. et quae iam sequentur. Particula connectendi ὅτι Vs. 4. subiicit *caussam*, *quare* praecepta divina non sint onerosa ac difficilia. Caussa est haec: *Omnia vincit amor erga Deum.*

4. Ὅτι πᾶν—κόσμου) *Quisquis enim in numerum filiorum Dei adscitus est, potest resistere malis hominum exemplis et pravis cupiditatibus*, ne ab obsequio erga Deum abducatur. Πᾶν, neutrum pro masculino. Certamen nobis quidem est cum mundo, i. e. cum illecebris, malis exemplis, periculis, et malis e mundo ingruentibus; haec omnia enim sub nomine τοῦ κόσμου comprehenduntur. Sed qui a Deo per doctrinam Christi renatus, novus quasi homo factus, pro filio Dei declaratus, et particeps felicitatis aeternae redditus est, non vincitur malis exemplis et mundi illecebris. Deo quippe carus, possidet meliora bona, et sperat etiam in posterum bona longe meliora; quare facile contemnit opinata et minora bona, quae ad tempus tantum blandiuntur. καὶ αὕτη—ἡ πίστις ἡμῶν) i. e. *Id quod nos idoneos reddit ad hanc victoriam, est religionis nostrae ingenua professio*, inprimis autem fides promissis Christi habita. Qui enim firmiter persuasus est, sibi expectandam esse maximam et aeternam felicitatem, sub conditione obsequii praeceptis divinis praestandi, is omnia alia posthabebit. In voce νίκη est Metonymia effecti pro efficiente. Νικήσασα est aoristus pro omni tempore, quomodo accepere Syrus et Latinus.

5. Τίς ἐστὶν — τοῦ θεοῦ;) Interrogatio vehementer affirmans, qualis supra II, 22. Si talis homo, qui Iesum pro filio Dei agnoscit, non potest vincere mundum, nullus alius poterit. Credere, Iesum esse filium Dei, est, non tantum credere quod sit divinae naturae, sed etiam, quod sit ille, quem Pater salutis nostrae caussa misit (cf. Vs. 6.). Qui credit, sui caussa missum esse filium Dei, is facile poterit vincere cupiditates. Cf. Vs. 10. 11. Nexus cum sequentibus est hic: Caussa, cur is, qui credit, Iesum esse Filium Dei, malas cupiditates vincere queat, est haec, quia omnia, quae a Messia exspectata sunt, praestitit Iesus. Nempe et *baptisma* instituit, et profuso *sanguine* suo nos expiavit. Accedit gravissimum ipsius *Dei testimonium*. Tria haec, quum idem illud confirment, omnem eximunt dubitationem.

6. Οὗτός ἐστιν — ὁ Χριστὸς) *Hic* (Iesus) *est ille, qui non tantum per baptisma, sed et profusione sanguinis sui declaravit, se esse Messiam.* Verba posita sunt hoc sensu: ἦλθε βαπτίζων καὶ ἐκχέων τὸ αἷμα αὐτοῦ. Verbum ἔρχεσθαι saepe de muneris functione usurpari, notum est. Sermonem vero esse de re, non praesenti, sed praeterita, docet participium. ὁ ἐλθών, aoristo tempore, praeteriti vim habente. Διὰ, *cum*, pro quo statim occurrit ἐν. *Aquam* hic esse *baptisma*, mihi non videtur esse dubium. Sed difficilior est quaestio *quale* baptisma intelligatur? *Zachariae* explicat de baptismate Christi, quo peracto, voce coelesti declaratus est filius Dei, Matth. III, 17. et adversus falsos Doctores, praecipue Cerinthianos hoc dictum esse putat, qui statuebant Iesum fuisse merum hominem; *in eum post baptisma descendisse aeona*

Christum, figura columbae — in fine (vitae) *autem revolasse iterum Christum de Iesu, et Iesum passum esse, et resurrexisse: Christum autem impassibilem perseverasse, existentem spiritualem,* ut docet Irenaeus L. I, c. 25. Hunc Cerinthi errorem iam a Nicolaitis multo prius propagatum esse idem Irenaeus testatur. Ex hac hypothesi Ioannes istum errorem corrigere voluit, et sensus est: *Hic* Iesus *non modo tum, quum baptizatus esset, fuit filius Dei, (vel Messias,) sed et tum, quum passus est, fuit idem.* Etiam is, qui mortuus est, habendus est pro filio Dei; inde enim amor Dei, qui filium suum pro nobis morti tradidit, demonstratur. — *Bengelius:* „*Aquam* dicit baptisma, quod primum administravit Ioannes, inde Baptista cognominatus, et ideo in aqua baptizare missus, ut Iesus manifestaretur tanquam Filius Dei, Io. I, 33. 34. Porro baptisma etiam per discipulos Iesu administratum est, Io. IV, 1. sq. Act. II, 38. etc.“ *Beza aquae* appellatione intelligit *sanctificationem*, i. e. *regenerationem* nostram, cuius symbola erant purificationes illae sub lege usurpatae, et cuius quoque peculiaris nunc est tessera Baptisma; *sanguinis* appellatione intelligit *iustitiam* nostram, quae in duabus partibus consistit, nempe peccatorum expiatione, et obedientiae Christi expiatione, habito veterum sacrificiorum, ac praesertim aspersionis illius solennis respectu, cuius Hebr. IX. fit mentio. In eadem sententia est *Moldenhawerus*, sensum huius loci hunc esse existimans: *Iesum esse mundi Servatorem, cognosci potest ex regeneratione, quam in nobis efficit, et ex peccatorum remissione, quam ipsi debemus.* Per πνεῦμα idem intelligit Apostolos, et alios doctores

divinitus missos. *Grotius: Venit*, i. e. apparuit, id quod erat Filius Dei, *per aquam et sanguinem*, i. e. per vitam purissimam, quae per aquam significari solet, ut Ezech. XXXVI, 25., sive per lotionem, quod aquae est opus, ut Ies. I, 16. etc. — Deinde apparuit Dei filius, eo quod in testimonium eius professionis, qua se Christum, sive Dei Filium dixit, mortem cruentam non recusavit, Io. XVIII, 37. 1 Tim. VI, 13. Haec *Grotius*. Rectius ii, qui per τὸ ὕδωρ intelligunt *baptisma*, quod alibi etiam τὸ ὕδωρ appellatur, velut Act. X, 47. Eph. V, 26. Io. III, 5. coll. Tit. III, 5., nominatim baptisma, quod Iesus Ioanne baptista ministrante suscepit, in quo editum est illud ipsum testimonium, Iesum esse Dei filium, Matth. III, 13. sq. cf. Io. I, 30—34. Sed venit Christus etiam δι' αἵματος, *cum sanguine*, i. e. *passus est mortem cruentam*, cui debetur peccatorum venia: quique baptismate ad Christi sacra initiantur, in eos hoc beneficium confertur. Rom. VI, 3. Col. II, 12. Cf. supra c. I, 7. Adde ex Evangelio c. VI, 53—56. et Apoc. I, 5. V, 9. VII, 14. XII, 11. οὐκ ἐν—τῷ αἵματι) Ostendit Apostolus, verba proxime antecedentia plane considerate esse posita. Nonnulli existimant, Ioannem respexisse ad c. XIX, 30. Evangelii; quod tamen dubium est. καὶ τὸ πνεῦμα—ἡ ἀλήθεια) Sensus esse videtur: *Praeterea spiritus* (qui hanc doctrinam de Iesu, servatore illo promisso, Apostolos et Christianos docuit) *idem illud testatur; nam spiritus ille est veridicus*. Hoc illustrari potest ex Ioan. XV, 26. XVI, 7. sqq., ubi huius spiritus negotium esse dicitur, docere Apostolos, et per eos etiam alios, Iesum esse verum Messiam. Ὅτι τὸ πνεῦμά ἐστιν ἡ ἀλήθεια, *quia spiritus ille veritas*, i. e. *veridicus*

est. Quod referendum esse videtur ad locos illos Evangelii Ioannis, ubi πνεῦμα τῆς ἀληθείας commemoratur. Alii vertunt: *Et numen ipsum testatur, quippe ipsa veritas.* Nam πνεῦμα saepe est πνεῦμα θεοῦ, πν. ἅγιον, *ipsum numen divinum*, ut Luc. I, 35. coll. Matth. I, 18. aliisque locis. Qui ita explicant, perspici arbitrantur e versu 9. *testimanium Dei* intelligi, *quod ille dixerit de filio suo;* et in his verbis declarationem inesse sententiae superioris (Vs. 6.): καὶ τὸ πνεῦμά ἐστι τὸ μαρτυροῦν. Et testatus est Deus, *Iesum esse filium suum* miraculis, auctoritate divina a Iesu patratis, revocatione eius in vitam, interna doctrinae praestantia etc. Cf. Io. V, 32. 19. 37. VIII, 18. 54. X, 25. 37. 38. Ἀλήθειαν hic referri ad αὐθεντίαν vel ἀξιοπιστίαν testimonii divini; et ὅτι respondere h. l. Hebraeorum כִּי, *siquidem, namque, quippe*, ut itaque ratio reddatur, cur Spiritus testimonio credendum sit, nempe propterea, quod Deus nec fallere possit, nec falli, sed sit *ipsa veritas.* Alii vertunt: *Etiam doctrina divina testatur* (Iesum esse Filium Dei; vel etiam: Filium Dei vixisse in terris,) *nam haec doctrina perfecte vera est*, ut πνεῦμα eodem sensu hic accipiatur, quo Io. VI, 63., sicuti etiam Paulus haud raro σάρκα et πνεῦμα opponit. Alii duplici sensu sumunt vocem πνεύματος, ut nempe prius illud πνεῦμα significet *miracula*, a Christo et Apostolis edita, alterum vero *doctrinam Christi*, ut sensus sit: Etiam miracula testantur, doctrinam Evangelii esse veram. Alii aliter explicant. Conferri potest *Morus*, imprimis vero *Lueckius* ad h. l.

7. 8. Ὅτι τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῷ οὐρανῷ, ὁ πατὴρ—ἐν τῇ γῇ) Verba haec non esse genuina, ple-

rorumque Criticorum hodie est sententia. Integrum librum de hoc loco scripsit *Io. Sal. Semler*, sub titulo: *Historische und kritische Sammlungen über die sogenannten Beweisstellen der Dogmatik. Erstes Stück über* 1 Ioh. V, 7. Halae et Helmst. 1764. 8., ubi alii etiam nominantur, qui de h. l. scripserunt. Accurate, et prolixe de eo disputat etiam *Griesbachius* in editione sua N. T. Nos praecipua tantum momenta excerpemus, ablegantes rei criticae studiosos ad ipsam Viri doctissimi disquisitionem. Exstant igitur verba ista in *codice graeco nullo*, praeter 34. illum Dublinensem s. Monfortii, s. britannicum, ad quem Erasmus iam provocavit, sed recentissimum, sec. XV. aut XVI. scriptum. Cf. *Pauli Iac. Bruns*, observ. in Repertorio litteraturae orient. et bibl. Tom. III. p. 258. sqq. Praeterea in codice Rauiano, qui in bibliotheca Regia Berolinensi asservatur, ita ut in editione Complutensi, legitur: ὅτι τρεῖς οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῷ οὐρανῷ, ὁ πατὴρ καὶ ὁ λόγος καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα, καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσιν. καὶ τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες ἐπὶ τῆς γῆς, τὸ πνεῦμα καὶ τὸ ὕδωρ καὶ τὸ αἷμα. Sed viri docti dudum viderunt, codicem hunc non esse nisi apographum editionis Complutensis, quae vero omittit commate octavo καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσι. Ex *versionibus* omittunt Syra utraque, arabica polygl. et Erp. Copt. Aeth. Sclavonica, nec non Armenica. Omittunt *Patres graeci* omnes, quamvis antecedentia et consequentia excitent, argumenta pro trinitate et divinitate Filii ac Spiritus S. corradant, imo versum 8. ad Trinitatem applicent, aut Spiritum S. Deum esse ex antecedentibus aut consequentibus probent. Primum *graece* prolatus est locus in translatione graeca Acto-

rum Concilii Lateranensis anno 1215. habiti. Maior est numerus eorum *codicum latinorum*, qui versum 7. legunt, numero eorum qui non legunt; sed codices ante Seculum X. scripti plane non habent. *A patribus latinis* non citatur, ubi vel maxime ad rem pertineret, atque omnino exspectari posset. Vigilius Tapsensis primus fuisse videtur, qui finiente Seculo V. *clare* ad testes coelestes provocarit; sed plane non convenit Vigilii allegatio cum textu nostro, nec in verbis nec in sensu. Praeterea Latini in scribendo et allegando hoc dicto valde variant, nam antiquiores fere anteponunt comma octavum septimo; permulti post testes terrestres omittunt: *et hi tres unum sunt;* alii non solum legunt: et hi tres unum sunt, sed addunt praeterea: *in Christo Iesu;* alii aliis utuntur verbis atque formulis. Haec et alia contra γνησιότητα huius commatis pugnant. Qui eam defendunt, provocant ad argumenta, quorum potiora sunt haec: 1) Nexus cum antecedentibus et consequentibus. 2) Omissio facilis ob ὁμοιοτέλευτον. Speciosum argumentum, nisi obstarent verba ἐν τῇ γῇ, et ἐν τῷ οὐρανῷ, quae una cum ceteris desunt in codicibus omnibus, versionibus etc. 3) Eraserunt periocham Ariani 4) Disciplina arcani multos induxit, ut initio a codicibus publicae lectioni destinatis dictum removeretur, qui ceteros codices brevi tempore absorpserunt. 5) Ex historia dicti elucet θεῖον quoddam. 6) Invenientur fortasse futuris temporibus codices dictum hoc habentes. Novis rationibus ἀνθενρίαν huius loci vindicare tentavit *Hezelius* in libro, quem *Schriftforscher* inscripsit. Rationes eius examinavit, ab ipso Hezelio rogatus *Griesbachius* in libello: *Bemerkungen über des Herrn*

Geheimen Regierungsraths Hezel Vertheidigung der Aechtheit der Stelle 1 *Ioh.* 5. 7. *Drei sind die da zeugen im Himmel etc. mit Anmerkungen und einem Anhange von Hezel* (Giessae 1794. 8.). Acquievit Hezelius in eius responsione, et omnes rei criticae periti acquiescent. Si vel maxime genuina essent haec verba, non tamen video, quomodo ex iis doctrina de unitate essentiae Patris, Filii et Spiritus probari possit. Nam ἓν εἶναι de consensu voluntatis quidem dicitur, si de personis sermo est, ut Io. XVII, 11. 21. 23., nuspiam vero de unitate essentiae. Nec haec interpretatio, si admitti posset, cum contextu et consilio Apostoli posset conciliari, quod iam nonnulli Veterum perspexerunt. In margine ediionis Complutensis narratur, Ioachimum abbatem negasse, quod verba commatis 7. *hi tres unum sunt*, ad unitatem personarum spectent: traxisse eum haec verba ad unitatem consensus, atque provocasse ad comma 8. ubi in quibusdam libris de spiritu, aqua et sanguine eadem verba, *hi tres unum sunt*, habeantur. Sed posteriori hoc loco verba, hi tres unum sunt, ab haereticis Arianis apposita esse, nec in veris exemplaribus haberi. Videntur haec verba orta esse ex mysticis interpretationibus versus octavi, et sensim ex glossa irrepsisse in textum. Totus igitur locus ita legendus: ὅτι τρεῖς εἰσιν οἱ μαρτυροῦντες, τὸ πνεῦμα, καὶ τὸ ὕδωρ, καὶ τὸ αἷμα καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσιν. Numerat Ioannes testes, quorum com. 6. meminerat et optime eos consentire, vel in unum conspirare, asserit. Non est, quod masculino genere tribus substantivis neutrius generis iuncto offendamur; nam solet vox *testis* etiam de rebus *inanimis* dici, ut Gen. XXXI, 48. 51. Ioh. XXII,

27. XXIV, 27. ac saepe, si personae inducuntur, *σύνθεσις* locum habet, quae sensum magis respicit, quam verba. Cf. Io. XVI, 13. 14. XVII, 2. Ioannes autem vocabulum *πνεῦμα*, quod Vs. 6. postremum erat, hoc loco (Vs. 8.) ceteris substantivis *anteposuit*, tum quod huius testimonii summa est auctoritas, tum ut apertius significaret, etiam *τὸ αἷμα* et *τὸ ὕδωρ* hic personarum vice fungi. Sensus verborum: *καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσι*, sine dubio est: *hi tres idem testantur, idem confirmant*, in eo consentiunt, *Iesum esse Messiam*. Nam in iudicanda testium auctoritate *consensio* inprimis spectatur, et phrasis *ἓν εἶναι* eodem sensu in Evangelio Ioannis usurpatur, e. c. Io. XVII, 21. 22.

9. *Εἰ τὴν μαρτυρίαν—ἐστίν*) *Λαμβάνειν* est testimonium *iudicio suo approbare*. Nempe ex lege Deut. XVII, 6. XIX, 15. duorum vel trium testimonium recipiendum erat. Cf. Matth. XVIII, 16. 2 Cor. XIII, 1. Hebr. X, 28. Dei autem testimonium multis hominum testimoniis praeponderat. Divinum testimonium vocat id ipsum, de quo com. 6. dixerat. Quare statim addit: *ὅτι αὕτη—υἱοῦ αὐτοῦ*) *Nam istud pro ipsius Dei testimonio habendum est, quod testatur de filio suo*. Patet ex his testimoniis, in unum conspirantibus Iesum ab ipso Deo declaratum esse pro ipsius Filio.

10. *Ὁ πιστεύων—ἐν ἑαυτῷ*) *Qui fiduciam suam in Filium Dei reponit, is recipit Dei testimonium. Ἔχειν ἐν ἑαυτῷ, in se habere*, i. e. *recipere*, quia qui recipit aliquid, is id in se, id est secum habet. *ὁ μὴ — πεποίηκεν αὐτὸν*) Nempe Deum, de quo sermo praecedit. *Eum facit mendacem*, i. e. ita agit, quasi

Deus mendax esset, ut supra I, 10. Πεποίηκεν, Praeteritum pro quovis tempore, more hebraeo. ὅτι οὐ — τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ) Θεὸς pro αὐτὸς, nomen pro pronomine, more hebraeo. Μαρτυρίαν μαρτυρεῖν, ut servitutem servire, mortem mori; quae locutio frequens Hebraeis, Graecis et Latinis.

11. Καὶ αὕτη—αὐτοῦ ἐστιν) *Summa autem huius testimonii est, quod felicitatem aeternam nobis promisit Deus, et quod haec felicitas per filium eius nobis contingit.* Αὕτη ἐστὶν ἡ μαρτυρία, ut Io. I, 19. Ἐδωκεν, *promisit.* Ἐν τῷ υἱῷ αὐτοῦ, *per* filium eius. Ἐστι, pro *contingit.* Addidit haec Ioannes, ut ostenderet, doctrinam illam de Iesu Dei filio maximi momenti esse ad vitam beatam. Nam per filium parta est salus: per Filium viam ad beatitatem sempiternam Pater aperuit. Itaque in eo summa est totius Evangelii, ut *Iesum* agnoscamus *Christum*, seu *Dei filium.* Cf. Io. XVII, 3. Matth. XVI, 16.

12. Ὁ ἔχων — ζωήν) *Qui agnoscit Filium Dei pro filio Dei, is sperare potest felicitatem.* Ὁ ἔχων τὸν υἱὸν, elliptice, pro: ὁ ἔχων τὸν υἱὸν ὡς υἱὸν, ut Matth. XIV, 5. ὡς προφήτην αὐτὸν εἶχον. *Habet vitam*, i. e. sperare potest felicitatem. ὁ μὴ—οὐκ ἔχει) Oppositio, qualem saepe habuimus. Intelligendum autem de iis, ad quos Evangelium pervenit.

13. Ταῦτα—τοῦ Θεοῦ) *Carpzovius* hoc comma ita vertit: *Haec scribo vobis credentibus in Filium Dei, ut cognoscatis, vos, dummodo perseveretis ei confidere, vitam aeternam obtenturos esse.* Quem-

admodum enim πιστεύειν interdum significat *recipere et ampleti primum fidem christianam*, v. c. Rom. XIII, 11., ita in hoc loco indicare videtur *incrementum, confirmationem, constantiam* in professione religionis christianae. Cf. Io. II, 11. Ceterum verba τοῖς πιστεύουσιν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ υἱοῦ desunt in cod. Alex. Vaticano et iunioribus nonnullis, in Syra utraque, arab. Erpenii, copt. aeth. arm. vulgata. Verbis ἵνα εἰδῆτε — αἰώνιον addunt οἱ πιστεύοντες iidem, excepta arm.

14. Καὶ αὕτη — πρὸς αὐτὸν) *Atque hac re* (quod scimus, nos posse certo expectare felicitatem futuram,) *nititur nostra erga Deum fiducia.* Παῤῥησία, ut supra c. III, 21. ὅτι ἐάν τι — ἀκούει ἡμῶν) *Eum nos exauditurum esse, si quid petamus secundum voluntatem eius*, i. e. talia bona, quae nobis promisit, quae nobis dari sit Deo gloriosum, nobisque salutare. Inest inprimis hoc, ut omnia relinquamus divinae voluntati, iuxta quam totum regitur universum, ad exemplum Christi, rogantis, ut, si fieri possit, eum liberet a malis perferendis, addentis tamen: *at non mea, sed tua voluntas fiat.*

15. Καὶ ἐὰν οἴδαμεν — παρ' αὐτοῦ) *Morus* vertit: *Et si hoc est verum, eum nos exaudire, verum est et hoc: nos habere res petitas ab illo*, nosque eas illi debere acceptas referre. Αἰτήματα h. l. *res, quas precando nobis expetimus.* Si petita accepimus, sequitur, Deum pro eorum auctore esse agnoscendum; habemus illa bona παρ' αὐτοῦ, *ab illo: wir haben das Gebetene ihm zu danken.*

16. Perdifficilis est hic locus propter phrases ἁμαρτία μὴ πρὸς θάνατον, et ἁμαρτία πρὸς θάνατον. De differentia utriusque peccati variae sunt interpretum sententiae. Per ἁμαρτίαν πρὸς θάνατον intelligunt nonnulli *peccatum in Spiritum Sanctum*, alii *quodvis peccatum gravius*, e. g. idololatriam, homicidium, adulterium; alii *peccatum, cui in lege Mosis constituta est mortis poena;* alii *peccatum, quod excommunicatione, et morbis a Deo immissis, vel etiam ipsa morte puniebatur.* Hi postremi totum locum explicant ex vetustissima ecclesiae disciplina, quae aetate Apostolorum viguit. Quia nempe magistratus deerant ecclesiae, ideo Deus prodigiosam puniendi potestatem attribuit Apostolis. Exempla habemus Act. V, 1. sqq. 1 Cor. V, 5. Esset igitur ἁμαρτία μὴ πρὸς θάνατον peccatum, quod gravibus morbis, non autem morte puniebatur; ἁμαρτία πρὸς θάνατον, quod morte a Deo miraculose immissa, puniebatur. *Sam. Werenfelsio* (in Sylloge dissertationum Theolog.) *phrasis* ἁμαρτία πρὸς θάνατόν petita videbatur ex Num. XVIII, 22. חֵטְא לָמוּת. *Schoettgenius* in horis hebr. et post eum *Carpzovius* suspicati sunt has formulas transsumtas esse ex Synagoga Iudaeorum, in quibus distinguebant inter חטאה למותה et inter לא חטאה למותה. Esset igitur ἁμαρτία πρὸς θάνατον crimen, cui poena mortis statuta sit. Sed in definienda huius peccati natura iterum dissentiunt interpretes. *Schoettgenius* enim illud intelligit peccatum, cui lege Mosaica poena mortis statuta sit, quale v. c. est *idololatria, incestus* etc *Carpzovius* vero arbitratur, primos doctores Christianorum per *peccatum ad mortem*, i. e. *mortiferum, exitiale*, intellexisse doctrinas

religioni Christianorum perniciosas, praecipue doctrinas eorum, qui ex Gentilibus susceperant Christianismum, deinceps relapsi ad *Idola*, oppugnabant doctrinas, quas ante audiverant, et negabant Filium Dei in carne adfuisse, Iesumque esse Filium Dei atque Redemtorem generis humani. Haec patere videntur ex huius ep. cap. II, 18—23. IV, 3. Huiusmodi Apostatae delinquebant ex comtumacia, et nulla supererat spes redeundi ad frugem, ut qui in via tendebant ad perniciem. In communi vita saepe commemorantur peccata mortifera eo sensu, ut *gravia* intelligantur *peccata;* in scholis autem mortiferum peccatum esse dicunt, *quod homini non remittitur*, et *mortiferis peccatis* opponi solent *peccata venialia*, quae remittuntur. Sed haec definitio his verbis subiecta est per merum arbitrium. Mihi haec quaestio: quid sit ἁμαρτία πρὸς θάνατον vix dirimi posse videtur, nisi antea definiatur, cohaereantne commata 16. 17. 18. cum superioribus: an potius commate 16. inchoetur nova sententia, non cohaerens cum praecedentibus? Prius omnes, quos novi interpretes statuunt, et verba: αἰτήσει, καὶ δώσει αὐτῷ ζωήν, itemque: οὐ περὶ ἐκείνης λέγω ἵνα ἐρωτήσῃ, explicant de deprecationibus *apud Deum*, ut Ioannes hoc velit: preces pro eo, qui non commiserit ἁμαρτ. πρ. θάν. faciendas esse, cum fiducia, eas a Deo iri exauditum; pro eo qui tale peccatum commiserit, non esse precandum. Sed non cogitari potest ulla caussa, cur Ioannes pro huiusmodi peccatore apud Deum intercedere prohibuerit? Quodsi enim per peccatorem ad mortem intelligas eum, cui mortis poena lege definita est, non apparet, cur Apostolus pro tali homine preces ad Deum fieri nolit, quum poena secu-

laris promerita et inflicta non prohibeat, quo minus aliquis remissionis peccati sui, siquidem ratione a Deo praescripta quaeratur, particeps fieri possit. Si vero per peccatorem *πρὸς θάνατον* intelligas eum qui peccato miserum se reddidit, vel excommunicatione dignus est, vel a Christianismo defecit, et salutis iacturam fecit, iterum non apparet, cur pro tali preces non sint faciendae, quum nemo hominum facile scire possit, an peccator aliquis eo delapsus sit, ut prorsus nulla sit spes redeundi ad frugem. — Itaque ego suspicor, tria haec commata (16—18.) non cohaerere cum praecedentibus, et pro iis, qui peccatum ad mortem commiserunt, prohiberi deprecationem non apud Deum, sed apud magistratus, penes quos est ius pro delictis gravioribus infligendi mortis poenam. Mihi igitur *ἁμαρτία πρὸς θάνατον* videtur esse *crimen capitale* quodvis. *Ἀδελφὸς* non est homo ullus aliquis, sed *Christianus*. Pro eo Christiano, qui tale crimen commiserit, non vult Apostolus intercessiones fieri apud magistratus, quibus ius vitae et necis competebat; ne pagani in suspicionem adducerentur, talia crimina apud Christianos parvi fieri. *Ἁμαρτία μὴ πρὸς θάνατον* videtur esse levior culpa transgressione legis alicuius civilis contracta, quam, a Christiano admissam facile ita exaggerare poterant magistratus pagani, ut supplicii reum pronunciarent eum, qui mitiori poena affectus dimitti potuisset. Pro eiusmodi peccatore deprecari poterat frater christianus, ut vita ei donaretur: *αἰτήσει, καὶ δώσει αὐτῷ ζωήν*, *petere potest* (a magistratu) *ac precibus impetrare ei vitam*. Haec coniectura, a me olim proposita, *Moro* etiam placuit. *Lueckius*, per *ἁμαρτίαν πρὸς θάνατον* intelligit eiusmodi peccata, qui-

bus *animi mors* necessario contrahitur, i. e. eiusmodi, quibus, secundum leges τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ, aut τῆς κοινωνίας μετὰ τοῦ πατρὸς καὶ μετὰ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ, facultas ad christianam ζωὴν tollitur christianaque salus deperditur. Talia peccata sunt: peccatum in Spiritum sanctum, blasphemia, defectus tandem a Christianismo et idololatria.

17. Πᾶσα ἀδικία ἁμαρτία ἐστί) *Quodvis peccatum est poena dignum.* Nulla culpa est tam levis, ut sit negligenda. Ἁμαρτία per meton. verti potest: *poena dignum;* vel etiam: *aberratio a praescripta norma.* καὶ ἔστιν—θάνατον) *Sed datur tamen peccatum, quod non est crimen capitale.* Vid. *Lueckium* ad h. l. (p. 230. sqq.), cuius sententiam perquam probabilem modo paucis commemoravimus.

18. Οἴδαμεν — οὐχ ἁμαρτάνει) Potest subintelligi πρὸς θάνατον. Nihil tamen refert, si vox ἁμαρτάνειν sumatur generaliter, *male vivere.* Ὁ γεγεννημένος ἐκ τοῦ θεοῦ, *filius Dei.* Οὐχ ἁμαρτάνει, non *committit facinora capitalia.* Merito hoc addidit Apostolus, ne qui putarent, se et filios Dei esse posse, et interim illa peccata, quae sunt ad mortem, committere. Ideo admonet eos sui nominis ut eius memores erigant alios labentes, nec eorum exemplo labantur. τηρεῖ ἑαυτὸν) *Sollicite sibi cavet a talibus peccatis.* Sic ἄσπιλον ἑαυτὸν τηρεῖν Iac. I, 27. καὶ ὁ πονηρὸς — αὐτοῦ) *Ita ut malus ille laedere eum non possit.* Ἅπτεσθαι, *laedere, perdere, nocere,* ut Ios. IX, 19. pro hebr. נָגַע. Vere emendatus non committet delictum gravius. Ὁ πονηρὸς, *Satanas,* cuius

potestati quasi subiiciuntur ii, qui peccant πρὸς θάνατον, 1 Cor. V, 5.

19. Οἴδαμεν — ἐσμεν) Conscii nobis sumus, nos divina quadam praeditos esse indole, quare mirum non est, si mores nostri alieni sunt ab aliorum moribus. καὶ ὁ κόσμος—κεῖται) *Sed homines improbi omnes in vitiis quasi immersi et sepulti sunt.* Illud ἐν τῷ πονηρῷ aut neutro aut masculino genere sumi potest. At quanquam πονηρὸς in masculino praecessit, satius est hic sumi in Neutro, cum allusione tamen ad Masculinum illud. Itaque κεῖσθαι ἐν τῷ πονηρῷ est, *sub mali* (i. e. vitiorum) *potestate teneri*, vel *in malo quasi immergi, et sepeliri.* Seneca Epist. 59. *Diu in istis vitiis iacuimus*: ubi *iacere* est quod hic κεῖσθαι. Verbum κεῖσθαι semper ἐπὶ κακοῦ poni nos docet Hesychius; unde et ἐν κακοῖς κεῖσθαι in Euripidis Andromache. Sic in Terentii Adelphis: *Ctesipho in amore est totus.* Plautus in mercatore: *in fermento iacet.* Et in casina: *nunc in fermento tota est, ita turget mihi;* de foemina irata et inflata.

20. Οἴδαμεν δὲ — διάνοιαν) *Scimus porro, filium Dei venisse, nobisque hanc intelligentiam largitum esse, ut cognosceremus verum Deum. Itaque coniuncti sumus cum vero* (Deo), *per filium eius Iesum Christum. Hic*, (quocum coniuncti sumus per filium eius) *est verus Deus idemque auctor felicitatis aeternae.* Haec verba, ut *Morus* recte monuit, non cohaerent cum superioribus, sed videntur continere admonitionem, per se cogitandam, eoque spectantem, ut in unius veri Dei cultu persisterent ii, qui ad religionem christianam accesserant. Id inprimis e versu sequenti, ultimo apparet. Ἥκει per enallagen pro

Praeterito ἦκε, ut Syrus et Arabs legisse videntur. Διάνοιαν, *vera sapientia*. Δέδωκεν τὴν διάνοιαν, nempe docendo. ἵνα γινώσκωμεν τὸν ἀληθινόν) Sc. θεόν quod addunt multi codices, Patres et versiones. *Verum Deum*, i. e. summum, aeternum, optimum, auctorem rerum omnium, et visibilium et invisibilium. Simul autem cogitandum est: *colere Deum*. Per religionem filii Dei eo venimus, ut idolis relictis, eum colamus, qui verus Deus est (Vs. 21.). καὶ ἐσμεν — Ἰησοῦ Χριστῷ) *Ideo coniunctissimi sumus illi vero Deo per filium eius Iesum Christum*. Ἐν, h. l. valet *per*. Ista coniunctio facta est per Filium Dei veri illius. οὗτός ἐστιν — αἰώνιος) Non Photiniani tantum, sed et orthodoxi multi haec verba referunt non ad proxime praecedens, sed ad remotius, nempe Deum Patrem; recte. Nam initio commatis discernitur Pater a filio. Quodsi vero verba ἐσμὲν ἐν ἀληθινῷ, οὗτός ἐστιν ὁ ἀληθινὸς θεὸς explicantur de filio, ut sensus sit: *coniunctum esse cum filio, qui sit verus Deus*, non amplius discernuntur. Videtur igitur ab interpretibus per merum arbitrium distingui filius a Deo, et deinde tamen filius dici ille Deus, a quo antea discernebatur filius. Idem hic traditur, quod Io. XVII, 3.

21. Φυλάξατε — εἰδώλων) *Cavete vobis a falsis Diis*, sc. colendis; qui Dii a Iudaeis graece loquentibus dicebantur εἴδωλα, quia per simulacra repraesentabantur, et in illis simulacris colebantur. Alii εἴδωλα interpretantur de vitiis, quibus idololatrae maxime dediti erant, quos imitatae sunt Gnosticorum nonnullae sectae. Φυλάσσειν ἑαυτόν, sibi cavere a re aliqua.

SCHOLIA

IN

EPISTOLAM IOANNIS SECUNDAM.

Auctoritas huius Epistolae, ut et eius, quae sequitur, in dubium olim vocata est. Nam inter ἀντιλεγόμενα eas refert Eusebius Hist. Eccl. III, 25. Nec translatio Syra vetus eas habet; nam quae nunc leguntur harum epistolarum versiones Syriacae, sunt recentioris auctoris, et in libros editos receptae. Quia nempe brevis est, et uni tantum familiae inscripta, ideo non statim recepta est ab ecclesiis, nec in earum notitiam pervenit. Sed stilus et sententiae videntur esse Ioannis. Plura vid. in *Lueckii* Prolegg. ad sec. et tert. Ioannis Epistolam, l. c. p. 245. sqq. Cur Πρεσβύτερον se vocaverit Ioannes, in notis ad ipsam Epistolam dicemus.

CAPUT UNICUM.

1. Ὁ πρεσβύτερος ἐκλεκτῇ κυρίᾳ) Ὁ πρεσβύτερος saepe est nomen dignitatis. Quare nonnulli non Apostolum, sed alium Ioannem, Presbyterum Ephesinum, Apostoli Ioannis discipulum Auctorem huius Epistolae

fuisse perhibuerunt. Eum commemoravit Papias apud Eusebium Hist. Eccles. III, 29. Sed πρεσβύτερος dici potest etiam is, *qui muneri et negotio docendi operam dat*, et pari iure dici potest presbyter, ut alii doctores presbyteri appellantur; atque est hoc idem, ac si Ioannes διδάσκαλον se dixisset. Potest etiam ὁ πρεσβύτερος h. l. verti *Senior*, *grandaevus;* nam Ioannes omnes doctores tum viventes aetate longe superavit. Tum vero post ὁ πρεσβύτερος subintelligendum ὁ Ἀπόστολος, *Apostolus senex*, *senior*, Apostolus ille, qui post mortem reliquorum Apostolorum adhuc superstes fuit. Io. XXI, 22. Omnes ecclesiae Christianorum, si audiebant πρεσβύτερον vocari, etsi nomen Ioannis non adderetur, tamen agnoscebant statim Ioannem intelligi. Vid. Carpzovii doctas observationes ad h. l. Ἐκλεκτὴν κυρίαν non esse ecclesiam, sed personam, patet ex com. 13. Sed hic in diversas partes abeunt interpretes, dum alii ἐκλεκτὴν, alii κυρίαν huius matronae nomen proprium fuisse putant. Alii vertunt: *Christianae matronae*, *der christlichen Frau*. Sicut nempe viri quilibet appellabantur Κύριοι, ita foeminae Κυρίαι, ut videre est etiam in Enchiridio Epicteti 62. et apud Chrysostomum contra συνεισάκτους, et alibi. Assentior iis, quibus κυρία est nomen feminae proprium. In Gruteri Inscriptionibus, nec raro in Martyrologiis occurrit nomen Graecum κυρία; in Gorii Inscriptionibus nomen Latinum *Cyria;* in libris aliis multis *Cyrilla*. Quae fuerit illa *Cyria*, ad quam haec epistola data est, ignotum est. Non inepta est Carpzovii coniectura, quum nomen Syriacum ܡܪܬܐ, *Martha* sit idem quod κυρία, intelligi posse Lazari et Mariae sororem, amicam Iesu et Ioannis. Elogium (ἐκλεκτὴ)

Cyriae datum, non videtur impositum ex fidei doctrina, sed potius ex Hebraismo vertendum *eximia*, *carissima*; nam בחור est *optimus*, ut Luc. XXIII, 35. 1 Tim. V, 21. *Optimae Cyriae.* καὶ τοῖς τέκνοις — ἐν ἀληθείᾳ) *Et liberis eius, quos sincere amo.* Οὕς in Masculino ponitur pro ἅ in Neutro, τὰ τέκνα: nam Syntaxis refertur ad sensum, non semper ad genus. Exempla sunt Matth. XXVIII, 19. Act. XV, 17. Gal. III, 16. 1 Io. V, 21. Ergo non audiendi sunt, qui e genere Masculino οὕς colligunt, liberos matronae unice *masculos* fuisse. Τὰ τέκνα sunt liberi utriusque sexus, *filii* et *filiae*, 1 Petr. III, 6. ἐν ἀληθείᾳ) *Sincere, vere*, ut hebr. באמת. οἱ ἐγνωκότες τὴν ἀλήθειαν) *Christianam religionem profitentes.* Ἀλήθεια, *vera religio.* Describuntur his verbis ii, qui Ephesi et in vicinis locis erant Christiani.

2. Διὰ τὴν — εἰς τὸν αἰῶνα) Connectitur hic versus cum praecedente. Ego et Christiani alii amamus vos *propter veram religionem, in qua perseveramus et semper perseverabimus.* Sed ἀλήθεια h. l. etiam significare potest *animi integritatem*, ut sensus sit: *propter animi integritatem, quae in nobis est constans, nec unquam nos deseret.*

3. Ἔσται — θεοῦ πατρὸς) *Largiatur vobis omnis generis bona, et maximam felicitatem Deus Pater* etc. Ἔσται, futur. pro optativo, hebr. more. Ἔσται μεθ' ὑμῶν, *contingat vobis.* Χάρις, *beneficium*; quo sensu etiam ἔλεος hic sumitur per metonymiam causae pro effectu. ἐν ἀληθείᾳ καὶ ἀγάπῃ) i. e. *Per cognitionem veri et dilectionem mutuam.* Nam per

haec in nos Dei beneficia provocamus, conservamus, augemus.

4. Ὅτι εὕρηκα—ἐν ἀληθείᾳ) *Quod vidi nonnullos liberos tuos, ex praeceptis religionis instituentes vitam.* Ἐκ τῶν τέκνων σου, sc. τινάς. *Inveni*, i. e. *vidi.* Flii quidam eius matronae Ephesum, ut credibile est, venerant negotiorum caussa. Περιπατεῖν, *vitam instituere.* καθὼς—πατρὸς) *Sicut a Deo praeceptum accepimus*, nempe per Christum.

5. Καὶ νῦν — ἀπ' ἀρχῆς) Ἐρωτῶ, *precor*, more Graecorum, Latinos imitantium. Ἀπ' ἀρχῆς, *ab initio*, nempe Evangelii, vel: ex quo Christiani estis. Statim a Christo accepimus hoc praeceptum.

6. Καὶ αὕτη ἐστὶν ἡ ἀγάπη) *In eo apparet dilectio*, nostra nempe erga Deum. αὕτη — περιπατῆτε) Καθὼς, i. e. ἦν. *Hoc est praeceptum, quod percepistis ab initio* etc. Sensus verborum redit eo: Praecepit autem Deus, quod ab initio audivistis (nimirum *ut amemus nos invicem)*, et vult ut ei praecepto obsequamini.

7. Ὅτι πολλοὶ—ἐρχόμενον ἐν σαρκὶ) Ὅτι aut πλεονάζει, sicut hebraicum כִּי, aut vertendum *quia*, et connectendum cum Vs. 8. Nam hic sensus novus incipit. Πλάνοι, *impostores, seductores.* Pro εἰσῆλθον legunt ἐξῆλθόν codices quidam, ex versionibus Syr. Erp. Vulg. et ex Patribus Irenaeus. Ἐρχόμενον, pro praet. ἐληλυθότα. Ἐν σαρκὶ, *humana indutum natura;* vel potius: in humilitate; qui non con-

fitentur, Iesum, qui humilis in his terris vixit, esse Messiam. Eosdem designat Pseudo-prophetas, quos in prima Epistola notaverat. οὗτός ἐστιν — ὁ ἀντίχριστος) Post plurale infertur singulare, sicut 1 Io. V, 16. plurale post singulare, quia in talibus valet locutio utraque. Potest etiam οὗτος accipi pro πᾶς τοιοῦτος. Sensus est: *Qui talia docet, est impostor, et adversarius Christi.*

8. Βλέπετε — ἀπολάβωμεν) Βλέπετε hic idem est quod φυλάσσετε. *Cavete vobis* Si quem audiveritis hoc negantem, cavete hunc. Pro ἀπολέσωμεν, ἃ εἰργασάμεθα in multis codicibus, versionibus et Patribus est: ἀπολέσητε ἃ εἰργάσασθε, quod melius cohaeret cum eo quod praecessit. Praeferenda tamen videtur recepta, utpote difficilior lectio. Nec Profanis inusitata est transitio a numero ad numerum, et a persona ad personam. *Ne amittamus quae acquisivimus*, metonymice, pro: ne amittamus fructum bonorum operum. Μισθὸν πλήρη, *praemium magnum.* Μισθὸς non tam *merces* est, quam *praemium*, sensu scripturae, *fructus*, *utilitas.* Μισθὸς πλήρης est μισθὸς πολύς, magna et uberrima felicitas in coelis obtinenda.

9. Πᾶς ὁ παραβαίνων — υἱὸν ἔχει) Ὁ παραβαίνων, *qui contemnit religionem*; nam παραβαίνειν eximie dicitur, qui legem Dei contemnit, ut Hebr. II, 2. Supplendum est: τὴν διδαχήν. Ioannes sine dubio respicit eos, quos modo Vs. 7. notaverat, qui negabant Iesum esse Messiam, sed alium, bellipotentem exspectandum esse docebant. Hi enim religionem chri-

stianam contemnebant, et ab ea defecerant. Μένειν ἐν τῇ διδαχῇ τοῦ Χριστοῦ, *perseverare in doctrina Christi.* Μένειν pro διαμένειν. Θεὸν οὐκ ἔχει, i. e. *Deum non colit: Dei favore non fruitur.* Nam est idem, quod alias apud Nostram: Ἐν τῇ κοινωνίᾳ Θεοῦ οὐ μένειν, *non vere cognoscere, non recte colere Deum, nec eius frui favore.* Cf. notata ad 1 Io. II, 23.

10. Εἴ τις — μὴ λέγετε) Εἴ τις ἔρχεται πρὸς ὑμᾶς, *si quis se insinuare velit in vestras ecclesias.* Καὶ ταύτην τὴν διδαχὴν οὐ φέρει, et non afferat doctrinam illam, quae est in Evangelio. Μὴ λαμβάνετε αὐτὸν εἰς οἰκίαν, i. e. *eum hospitio non excipite.* Videtur matrona, ad quam Ioannes scripsit, fuisse Diaconissa, quae excipiebat peregrinantes Christianos nomine et sumtibus ecclesiae. Vetat igitur Ioannes in domum recipere falsos doctores, vel impostores, quia tales in communionem ecclesiae recipi sine maximo damno Christianorum non poterant. Χαίρειν μὴ λέγειν h. l. significat, talium familiaritatem devitandam; idem quod παραιτεῖσθαι Tit. III, 10. Cf. etiam 1 Tim. VI, 5.

11. Ὁ γὰρ—πονηροῖς) Qui enim cum eiusmodi homine amicitiam colit, aet saepe cum eo sermonem serit nisi desiderio et spe eum ad rectam viam reducendi, videtur tacite approbare improbitatem: qui approbat autem, in culpae communionem venit.

12. Οὐκ ἠβουλήθην—μέλανος) sc. γράψαι. Ἠβουλήθην, attice pro ἐβουλήθην. Ὁ χάρτης, vox

latina, *charta*, occurrit etiam apud Hesychium in verbo Τόμος. Nec aliter in Glossario. ἐλπίζω γὰρ—πεπληρωμένη) Πρὸς ὑμᾶς, in eam urbem, ubi vos estis. Στόμα πρὸς στόμα, *coram*. Accusativus prior graeco more positus, pro quo Latini ponerent ablativum. Inest etiam Hebraismus: פֶּה אֶל־פֶּה, ut Num. XII, 8. et aliis locis. Πεπληρωμένη, *perfecta*. Dictum hoc est comparate; quia plenius gaudium ex conspectu mutuo, quam ex commercio literarum.

SCHOLIA

IN

III. IOANNIS EPISTOLAM.

CAPUT UNICUM.

1. Ὁ πρεσβύτερος—ἐν ἀληθείᾳ) De voce πρεσβύτερος vide initium Epistolae praecedentis. Γαΐος est nomen Romanum *Caius*. Mentio fit *Caii* Corinthii Rom. XVI, 23. 1 Cor. I, 14. et *Caii* Derbai, nati in Macedonia, Act. XIV, 29. XX, 4. Ad Corinthium scriptam esse hanc Epistolam nonnulli putant; aliis autem secus videtur, quia ille Corinthius Caius a *Paulo* ad fidem perductus est, 1 Cor. I, 14., hunc vero nostrum fuisse discipulum Ioannis ex Vs. 4. huius Epistolae apparet. Suspicantur nonnulli, fuisse eum ecclesiae cuiusdam Diaconum et hospitem, maritum Cyriae (quod tamen sine idonea ratione sumitur), ad quam secunda Epistola scripta est. Ἐν ἀληθείᾳ, *sincere*, ut in Epistola praecedente com. 1.

2. Περὶ πάντων—ἡ ψυχή) Sensus: *Ut animo tuo* (per religionem) *bene est: sic etiam corpori tuo et rebus externis semper bene esse cupio.* Περὶ πάν-

τῶν aut cum εὔχομαι, aut cum εὐοδοῦσθαι coniungi potest. Priori modo περὶ positum esset pro ὑπὲρ, *prae omnibus, ante omnia.* Posteriori modo περὶ πάντων etc. est ἐν πᾶσιν εὐοδοῦσθαι, *in omnibus rebus prospere agere.* Ἐν πᾶσιν autem apud Ioannem est, in omnibus quae extra rectum animi statum, (quem iam ante eum possedisse non dubitat,) conducunt ad felicem vitam efficiendam. Horum inter praecipua est sanitas, quam ideo et seorsim nominat. Καθὼς εὐοδοῦταί σου ἡ ψυχὴ, *sicut animo tuo bene est;* nam ψυχὴ hic pro toto animo ponitur. Precatur hic Caio suo paucis verbis Ioannes supremum terrenae felicitatis gradum, qui quum commoda externa non deficiunt, inprimis autem animus corpusque recte habent, videtur attingi.

3. Ἐχάρην—περιπατεῖς) Ἐρχομένων ἀδελφῶν, quum Christiani quidam venere ex vestris partibus. Praesens pro praeterito. Καὶ μαρτυρούντων σου τῇ ἀληθείᾳ, *et laudarunt religionem tuam*, vel tuam veram probitatem, *deine Rechtschaffenheit.* Μαρτυρεῖν, *laudare.* Καθὼς σὺ ἐν ἀληθείᾳ περιπατεῖς, i. e. quomodo tu sincere vitam omnem instituas, nempe ut decet Christianum, re, non nomine.

4. Μειζοτέραν — περιπατοῦντα) *Maius gaudium non habeo, quam hoc, si audio, discipulos meos agere vitam religioni congruam.* Μειζοτέραν pro μείζονα non est barbarum; nam χειριστοτέρη est apud Hippocratem de decent. ornat. c. II.; ἐσχατώτερον apud Aristotelem metaphys. X, c. 4: Τούτων, sc. ἔργων s. πραγμάτων. Quidam codices habent ταύ-

τῆς. Ἵνα, pro ἢ ἵνα. Ἐμὰ τέκνα, i. e. eos, quos ego institui. 1 Tim. I, 2. 18. 2 Tim. I, 2. II, 1.

5. Πιστὸν ποιεῖς) i. e. πιστοῦ ἔργον, vel ἔργον πιστοῦ ἄξιον, *opus Christiano homine dignum.* οἱ πιστοὶ enim sunt οἱ πιστεύοντες, Christiani. Libanius: οὐχ ἑλληνικὴν τοῦτο ποιεῖς, *non facis Graeco homine dignum.* ὃ ἐὰν — ξένους) *Quod officiosus es erga Christianos, et peregrinos.* Pro καὶ εἰς τοὺς ξένους alii legunt, καὶ τοῦτο εἰς ξένους, *et quidem peregrinantes.* Ὃ ἐὰν, *si quid.* Diaconorum erat hospitio excipere peregrinantes Christianos, sed ecclesiae sumtibus. Hic vero Caius de suo beneficia praestitit Christianis.

6. Οἳ ἐμαρτύρησαν — ἐκκλησίας) *Qui laudarunt beneficentiam tuam in publico Christianorum conventu.* Μαρτυρεῖν, ut Vs. 3. Ἐνάπιον ἐκκλησίας, coram ecclesia, nempe Ephesina. οὓς καλῶς—τοῦ Θεοῦ) *Recte facies, si eosdem viatico instruas, congruenter amori tuo in Deum,* vel ages praeclare, et ut par est agere eos, qui Deo inserviunt, si eos viatico instruas. Construendum est in hunc modum: οὓς προπέμψας, ποιήσεις καλῶς, (καὶ) ἀξίως τοῦ Θεοῦ. Προπέμπειν hic est cum viatico dimittere, ut Tit. III, 13. Ἀξίως τοῦ θεοῦ, *ut decet Dei cultores.* Similis locutio Coloss. I, 10. et 1 Thess. II, 12.

7. Ὑπὲρ γὰρ τοῦ ὀνόματος ἐξῆλθον — ἐθνῶν) *Nam Christianae religionis caussa, nihil suarum rerum secum auferentes, bona sua deseruerunt.* Post ὀνόματος editiones addunt αὐτοῦ, *ob nomen Dei.* Ὀνο-

μα interdum κατ' ἐξοχήν ponitur pro *Christo*, ut Iac. II, 7. Hoc autem loco intelligitur *Christiana religio*. Ceterum haec verba varie explicantur. Nonnulli verba μηδὲν λαμβάνοντες coniungunt cum sequentibus ἀπὸ τῶν ἐθνῶν, et vertunt: *Evangelii docendi caussa exierunt, non autem mercedem acceperunt a Gentibus.* Putant eos, de quibus loquitur Ioannes, profectos esse ad praedicandum Evangelium Gentibus, et nihil mercedis ab ipsis accepisse. Alii ἐξῆλθον construunt cum ἀπὸ τῶν ἐθνῶν, ut sensus sit: *exierunt*, i. e. expulsi sunt *a gentilibus*, *et omnia sua reliquerunt.* Tum μηδὲν λαμβάνοντες reddendum est, *nihil secum sumserunt; rebus suis omnibus derelictis.* Et omnino λαμβάνειν interdum significat *auferre, sumere*, ut Matth. V, 40. XV, 26.

8. Ἡμεῖς οὖν — τῇ ἀληθείᾳ) Pro ἀπολαμβάνειν codices nonnulli et Oecumenius legunt ὑπολαμβάνειν, i. e. excipere hospitio, et curare ne quid desit ad vitae necessitatem. Ἵνα συνεργοὶ γινώμεθα τῇ ἀληθείᾳ, i. e. ut quantum in nobis est propagationi religionis inserviamus.

9. Ἔγραψα τῇ ἐκκλησίᾳ) Intelligitur ecclesia, in qua erat Caius. Huic ecclesiae scripserat Ioannes, ad commendandos fratres, de quibus in praecedentibus fuerat sermo. Alii legunt: ἔγραψα ἄν, *scripsissem*, nisi scilicet operam meam fore inanem praevidissem. Ὁ φιλοπρωτεύων αὐτῶν pro αὐτῆς, *qui in ea* (ecclesia) *sibi primos honores poscit, gestit primas tenere partes in omnibus.* Singulari collectivo subiungitur plurale, ut saepe. Quis hic Diotrephes fuerit,

an Presbyter sive Diaconus, definiri haud potest. Videtur autem fuisse ex eorum numero, quos propter errores notat Apostolus in prima Epistola. Grotius putat, ex gentili factum Christianum, et ex illo fuisse hominum genere, qui Iudaeos, quanquam Christum professos, nisi legis ritus observarent, ad suos coetus non admittebant. Οὐκ ἐπιδέχεται ἡμᾶς, *non admittit nos*, i. e. monita nostra, vel συστατικὰς *nostras*. Opponit se omnibus, quae a me dicuntur et suadentur.

10. Ὑπομνήσω — φλυαρῶν ἡμᾶς) *Graviter reprehendam facta eius, quod malignis sermonibus incessit nos.* Ὑπομιμνήσκειν proprie est *in memoriam reducere;* sed per translationem quandam sumitur pro *quovis modo monere.* Φλυαρεῖν, *nugari, falsa dicere.* καὶ μὴ ἀρκούμενος — κωλύει) Μὴ ἀρκούμενος ἐπὶ τούτοις, *his non contentus, id non satis habens.* Τοὺς βουλομένους, sc. αὐτοὺς ἐπιδέχεσθαι. Neque ipse hospitio excipit Christianos exules, nec permittit ut alii officio satisfaciant. καὶ ἐκ τῆς ἐκκλησίας ἐκβάλλει) i. e. cogit eos discedere ex ecclesia; eiicit eos, dum non patitur ut excipiantur hospitio. Si enim peregrini, si egeni et exules hospitio nullo excipiuntur; si victu et eleemosyna non instruuntur, discedere debent, et vel nolentes abire coguntur. De excommunicatione hoc vix intelligi potest.

11. Μὴ μιμοῦ — ἀγαθόν) Noli illius Diotrephis et similium duritiem imitari, sed bonorum lenitatem. ὁ κακοποιῶν — τὸν θεὸν) *Qui impie agit, non recte novit Deum.* Ὁρᾶν, pro *nosse;* nosse vero pro nosse ut oportet, et id rebus ostendere. Phrases ipsas iam explicavimus. Vid. 1 Io. II, 29. III, 6.

12. Δημητρίῳ — ἀληθείας) Demetrius videtur fuisse unus ex praecipuis eorum, quos Ioannes commendaverat Caio. Μεμαρτύρηται ὑπὸ πάντων *magna laus ipsi tribuitur ab omnibus*, qui nempe eum norunt. Καὶ ὑπ' αὐτῆς τῆς ἀληθείας, *a re et facto*. Ipsa res et facta eum laudant. Non hominum tantum, sed et veritatis ipsius testimonio ornatur: non solum dicitur esse, sed et est bonus. καὶ ἡμεῖς δὲ μαρτυροῦμεν) Sc. αὐτῷ. Nos quoque probitatis ac pietatis testimonium ei reddimus. Nos, i. e. ego et alii, qui Ephesi sumus. Vel est Pluralis pro Singulari. καὶ οἴδατε — ἀληθής ἐστι) Ἀληθής, *fide dignum*. Non adulamur; nullius personae aut dignitati veritatem gratificamur.

13. Εἰρήνη — ὄνομα) Εἰρήνη σοι, *vale*. Hebraeo more שלום לך. Οἱ φίλοι, qui Ephesi sunt, et te norunt. Κατ' ὄνομα, *singulos*.

SCHOLIA

IN

EPISTOLAM IUDAE.

Auctor huius Epistolae videtur esse *Iudas* Apostolus, cognomine *Thaddaeus* et *Lebbaeus*, qui patrem habuit Alphaeum, fratres autem Iacobum minorem, Iosen et Simonem, Matth. X, 3. coll. Luc. VI, 16. Matth. XIII, 55. Nam alium *Iudam*, fratrem Iesu germanum esse auctorem, nec est credibile, nec certis testimoniis confirmari potest. Grotius putavit hanc Epistolam esse *Iudae* episcopi Hierosolymitani, qui fuit Hadriani temporibus, paullo ante Barchochebam, refragantibus testimoniis Veterum, qui eam Iudae Apostolo, nunquam Episcopo Hierosolymitano tribuunt. Inter ἀντιλεγόμενα eam refert Eusebius hist. eccles. III, 25. VI, 14. Citatur autem a *Clemente Alexandrino* in Paedag. L. III. p. 175. et Strom. L. III. pag. 314. edit. Sylburg. *Origines* Comment. in Matth. p. 223. his verbis hanc Epistolam laudat: Ἰούδας ἔγραψεν ἐπιστολὴν, ὀλιγόστιχον μὲν, πεπληρωμένην δὲ τῶν τῆς οὐρανίου χάριτος ἐῤῥωμένων λόγων. *Tertullianus* ipsum Enochi effatum eam ob causam, quod Iudas Apostolus eo usus sit, pro divino habuit; (*de cultu foeminar.* Lib. I. c. 3.).

Alios Graecos et Latinos, qui huius epistolae auctoritatem agnovernnt, nominat *Henr. Car. Alex. Haenlein*, Theologus Erlangensis, in introductione in hanc epistolam, quam edidit sub titulo: *Epistola Iudae, graece, Commentario critico et annotatione perpetua illustrata.* Praemissa est commentatio in vaticinia Habacuc. Editio nova et emendata. Erlangae 1804. 8. Uberius etiam exponitur in hoc libro de epistolae auctore; quo tempore et quibus lectoribus, qua occasione et quo consilio Iudas hanc epistolam scripserit? de fontibus, unde sententias et verba singula hauserit? Tanta est convenientia sententiarum huius epistolae cum Petri secunda, ut fere epitome eius esse videatur. Idem igitur consilium in scribenda hac Epistola propositum fuisse Iudae, res ipsa docet. Cf. quae praemisimus Scholiis in Epist. Iacobi et Petri. Vid. etiam *Adami Iessien de αὐθεντίᾳ epistolae Iudae Commentat. crit.* Lips. 1821., qui Iudam, huius Epistolae auctorem, neutiquam *Apostolum* fuisse existimat, sed alium Iudam, Iesu cognatum, et Apostoli Iacobi, filii Alphaei, fratrem.

CAPUT UNICUM.

1. Ἀδελφὸς δὲ Ἰακώβου) Mentionem facit Iacobi, fratris sui, quia huius auctoritas magna fuit apud Christianos ex Iudaeis. τοῖς ἐν τῷ θεῷ—κλητοῖς) *Per Deum Patrem coetui Dei cultorum adductis, et Iesu Christo asservatis Christianis.* Κλητοὶ, *Christiani.* Qui ἡγιασμένοι ἐν τῷ θεῷ πατρὶ hic dicuntur, iidem 1 Cor. I, 2. nominantur ἡγιασμένοι ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ,

quem locum confer. Pro ἡγιασμένοις nonnulli codices, cum versionibus et Patribus haud paucis habent ἠγαπημένοις. Si haec lectio praefertur, sensus est: *propter Deum sibi dilectis.* Salutem dico vobis, quos propter Deum diligo. *Christo asservari* dicuntur ii, quibus a Christo parata est felicitas. Sic asservari praemiis dicitur, qui asservatur ut praemiis afficiatur; vel, quod magis placet, intelliguntur ii, qui in fide christiana permanserunt, et sibi ab insidiis seductorum, qui in hac epistola notantur, caverunt.

2. Ἔλεος—πληθυνθείη) i. e. *Opto ut omne genus felicitatis vobis contingat, et amor mutuus augeatur.* Ἔλεος et εἰρήνη per meton. *beneficia* Dei, omnis generis felicitas. Ἀγάπη, amor erga alios. Πληθυνθείη 1 Petr. I, 2.

3. Ἀγαπητοὶ—τοῖς ἁγίοις πίστει) *Dilectissimi, quum omnem operam darem ut de communi salute ad vos scriberem, necessarium duxi vos cohortari, ut religionem, Christianis ab initio traditam conservetis.* Πᾶσαν σπουδὴν ποιεῖν, *omnem operam dare.* Quum ad scribendum vobis de communi salute me semper incitatum senserim, tum hoc maxime tempore necesse habebam illud facere, exhortaturus vos etc. Cf. Vs. 4. Περὶ τῆς κοινῆς σωτηρίας, *de iis quae pertinent ad communem salutem.* Κοινὴ σωτηρία, salus, quae mihi et vobis communis est. Ἀνάγκην ἔσχον, i. e. ἀναγκαῖον ἡγησάμην, *necessarium duxi;* nihil potius habui, quod scriberem, quam etc. Ἀνάγκην ἔσχον — πίστει) Quasi scriptum esset: ἀναγκαῖον ἡγησάμην, γράψας ὑμῖν παρακαλεῖν εἰς τὸ ἐπαγ.

τ. πίστει, *iuvabat, scribendo vos adhortari, ut pro religione vera decertetis,* ut doctrinam sinceram conservetis, et contra adversariorum depravationes tueamini. Hoc igitur erat consilium Iudae. *Pricaeus* interpunctionem tollendam putat post σωτηρίας, ponendamque post prius illud ὑμῖν, nempe hac sententia: *Quum studium summum adhiberem ut ad vos scriberem, necessarium inprimis duxi scribere de re omnium maxima, nempe communi salute.* Ἐπαγωνίζεσθαι τῇ πίστει firmiter tenere, bene tueri religionem, defendere eam a falsis doctoribus. Haec religionis doctrina dicitur Christianis tradita ἅπαξ, *semel*, quia de ea nihil immutandum. Nisi potius ἅπαξ positum sit pro *olim, iam olim, iam ante, ab initio,* ut Vs. 5. Cf. Luc. I, 2.

4. Παρεισέδυσαν — ἀσεβεῖς) *Subrepserunt enim nonnulli impii, dudum damnati ad poenam.* Παρεισέδυσαν, *latenter irrepsere*, hoc est et graece, et cum elegantia dictum. Ex *Pricaei* sententia illud τινὲς construendum non cum proxime sequente voce ἄνθρωποι, sed cum remotiore illa ἀσεβεῖς, quae sequitur: et intermedia omnia, quae per epexegesin apponuntur, per parenthesin legenda, ideoque particulam οἱ, ex fine ut videtur, proxime praecedentis vocis male insertam, posse, et forte debere abesse. Ἄνθρωποι οἱ πάλαι προγεγραμμένοι εἰς τοῦτο τὸ κρίμα, *homines, in quos Deus pridem decrevit similem poenam.* Κρίμα hic est pro κατάκριμα, *poena,* ut nempe sibi ipsis per falsas doctrinas, et flagitiosam vitam arcessant summam etiam apud nos Christianos infamiam. Voce προγράφεσθαι alludi-

tur ad morem iudicum, qui per tabellam, in qua sententias suas scribebant, reos poenae addicebant. Προγεγραμμένοι, *proscripti, destinati.* Προγράφεσθαι aliis locis est *praedicere*, h. l. autem, ex usu linguae graecae exquisitiore est *proscribere*, publico loco affigere, e. g. proscribere nomen accusatorum. Sic 2 Petr. II, 3. οἷς τὸ κρῖμα ἔκπαλαι οὐκ ἀργεῖ etc. Illud τοῦτο hic idem esse videtur quod ὅμοιον, παραπλήσιον, *consimile*, et respicit ad exempla sequentia. Cf. Vs. 8. Iudas id sibi vult: Poena, quae olim *Israelitas*, aut *angelos rebelles*, aut *Sodomorum urbes* manserat, (Vs. 5. 6. 7.) τοῦτο τὸ κρῖμα, *similis poena*, expectat illos. Vox πάλαι non referenda est ad aliquam Christi, vel Petri, vel Prophetarum praedictionem de his impostoribus, sed significat intervallum temporis antecedentis indefinitum. τὴν τοῦ θεοῦ — ἀσέλγειαν) *Qui religionem christianam vertunt in occasionem lasciviae.* Cf. 1 Petr. II, 16. Ἡ τοῦ θεοῦ χάρις, *beneficium Dei*, i. e. *religio christiana*, quam Theophylactus ad Io. I. ideo χάριν dici affirmat, quia per eam ἐχαρίσατο ἡμῖν ὁ θεὸς οὐ μόνον τὴν ἄφεσιν τῶν ἁμαρτιῶν, ἀλλὰ καὶ τὴν υἱοθεσίαν. Μετατίθεσθαι saepe simpliciter est *mutare.* Religionem mutare in lasciviam est: facere eam instrumentum lasciviae, vel religione abuti ad lasciviam. Abutebantur nempe religione ad rem veneream, ad convivia, ad compotationes assiduas. Apuleius de pistoris cuiusdam uxore, et, ut videtur Christiana: *Mentita sacrilega praesumtione Dei quem praedicaret unicum, matutino mero et continuo stupro corpus manciparat.* Manifestum est, falsos doctores, adversus quos scribit Iudas, eosdem fuisse, contra quos Petrus etiam

et Ioannes scripserunt. Nolo igitur repetere, quae de his impostoribus, eorumque erroribus perniciosis iam dicta sunt. καὶ τὸν μόνον — ἀρνούμενον) Cf. 2 Io. 7. et Tit. I, 16. inprimis autem notata ad 2 Petr. II, 1. Ἀρνεῖσθαι in hoc Iudae loco tam facta quam verba comprehendit. Θεὸν deest in codicibus multis, Versionibus et Patribus. Videtur addita esse haec vox a librariis, qui explicare volebant, quisnam esse μόνος δεσπότης.

5. Ὑπομνῆσαι — ἅπαξ τοῦτο) Disputatur hic de significatu vocis ἅπαξ, quem alii alium constituunt. Nonnulli referunt ad vocem εἰδότας, et per *omnino* interpretantur, *licet sciatis omnino hoc.* Alii τὸ ἅπαξ ad sequens σώσας per hyperbaton pertinere censent, ut sic opponatur sequenti δεύτερον, hoc sensu, quod Deus semel quidem populum suum ex Aegypto eduxerit, postea vero incredulos perdiderit. Ita τὸ δεύτερον quod statim sequitur, non carebit antitheto suo. Denique etiam, quod magis placet, verba ἅπαξ τοῦτο cum verbo ὑπομνῆσαι connecti possunt: hoc modo: ὑπομνῆσαι δὲ ὑμᾶς βούλομαι ἅπαξ τοῦτο, καίπερ εἰδότας ὑμᾶς, *semel adhuc* (dum sc. adhuc sum in vivis) *vobis in memoriam revocare volo, etsi iam sciatis. Carpzovius: Revoco autem vobis in memoriam, quod iam aliquando audivistis.* Ex eius sententia ἅπαξ non est *prima vice*, nec opponitur τῷ δεύτερον *secunda vice:* sed δεύτερον est *postea, deinceps*, et ἅπαξ vertendum est *iam pridem, dudum*, referturque ad εἰδότας. Ab ineunte aetate vobis cognitae fuerunt historiae istae; iam recordamini earum rursus. ὅτι ὁ κύριος — ἀπώλεσεν) Ὁ κύριος hic,

ut in libris Veteris Testamenti est יהוה, quod Graeci vertunt κύριος. Τὸ δεύτερον, adverbialiter, *deinde*. Μὴ πιστεύσαντας pro ἀπειθήσαντας, quia qui non obediunt, ostendunt, se non credere, aut non credere, ut oportet. Ἀπώλεσεν, *perdidit*, nempe per serpentes, per morbos, per angelum, per manus Levitarum. Tacite innuit, Deum interitui daturum et istos qui post professam iam religionem Dominum Christum abnegabant.

6. Ἀγγέλους — ἀρχὴν) Τὴν ἑαυτῶν ἀρχήν, *initium suum, principium suum*, i. e. statum, in quo a principio fuerunt. Licet etiam ἀρχήν vertere *principatum, dignitatem, Würde, Vorzüge*. ἀλλὰ — οἰκητήριον) Coelum; nam ibi domicilium habuerunt ante casum. Relicto lucis supernae domicilio, ad fuscas prope terram regiones descenderunt. εἰς κρίσιν — τετήρηκεν) *Ad poenam illo magno die exsequendam custodit eos vinculis aeternis in tenebris*, i. e. in carcere quasi tenebricoso. Idem sensus et similia verba 2 Petr. II, 4. Τηρεῖσθαι, ut et Φυλάττεσθαι non ineleganter poni solent, ut apud Latinos *reservari*, et *custodiri*, ubi de iudicio subeundo, aut de poenis infligendis agitur, ut Actor XXV, 21. Κρίσις μεγάλης ἡμέρας, *poena magno die infligenda*, vel per hypallagen, pro εἰς ἡμέραν κρίσεως. Sic enim vocatur 2 Petr. II, 9. III, 7. item 1 Io. IV, 17. Δεσμοὶ, *vincula*, sunt Decretum Dei, quod eos quasi vinculis coërcet. Ἀϊδίους intellige ἀῤῥήκτους, quae abrumpi non possunt, quo sensu *aeternas pedicas* Apuleius dixit. Ὑπὸ ζόφον volunt esse interpretes regiones aëris terrae viciniores, quae superioribus collatae sunt

ζοφώθεις, imo nil lucis habent ab iis non derivatum. Sed videtur potius esse Simile, desumtum a tenebricoso carcere, in quo facinorosi custodiuntur. Hesychius, ad Homericum illud ζόφον ἠερόεντα. Τὸν ἀΐδην τόπον καὶ ὁμιχλώδη. Seneca Epist. 82. de Poëtis loquens: *Descriptus est carcer infernus, ac perpetua nocte oppressa regio.* Inest igitur hoc: *Versantur in summa aeternaque miseria. Herderus (Briefe zweier Brüder Iesu in unserm Kanon)* et *Hassius* (der Brief Iudae übersetzt und erläutert aus einer neu eröffneten morgenländischen Quelle, 1786. 8.) hunc locum et reliquos huic similes in nostra epistola et in altera Petrina explicare voluerunt ex placitis philosophiae Zoroastricae, cuius varia dogmata ab *Hassio* ex libro *Zent-Avesta* afferuntur et uberrime explicantur. Vide, quae contra horum sententiam monuit *Haenlein* ad h. l., qui haec ex libris apocryphis et mythologia Iudaica hausta esse arbitratur. Huius mythologiae et daemonologiae singula capita nec confirmat nec refellit Apostolus, sed utitur iis apud Iudaeos tanquam exemplis, ad demonstrandos errorum ac vitiorum effectus lugubres apud homines eiusmodi maxime efficacibus.

7. Ὡς Σόδομα — ἐκπορνεύσασαι) Αἱ περὶ αὐτὰς πόλεις, *ipsis vicinae urbes*, Adama, Zeboim et Zoar, et πόλεις dixit pro hominibus. In verbis τὸν ὅμοιον τούτοις τρόπον ἐκπορνεύσασαι, illud τούτοις referendum est ad falsos illos doctores, de quibus in hac epistola est sermo. Alii referunt ad voces Σόδομα καὶ Γόμορρα, quae et plurali numero, et neutro genere efferuntur, ut *Hierosolyma*, et plurium

aliarum civitatum nomina. Τὸ ἐκ in ἐκπορνεύσασαι, ut in ἐκζητεῖν et similibus, mere intensivum est. καὶ ἀπελθοῦσαι ὀπίσω σαρκὸς ἑτέρας) *Ire post carnem alienam*, sequi corpus alienum, i. e. rem habere cum aliis. Vir et uxor una caro sunt. Alia caro est uxor alterius; item vir alius, sive mas, si quis turpia cum eo patret: quo nomine pessime audiebant Sodomitae. Unde Sodomia hodieque dicitur, quando quis rem habet et consuetudinem cum sexu masculino. πρόκεινται —ὑπέχουσαι) *Velut ob oculos positae sunt exemplum* posteris seculis, *poenam ignis perpetuo quasi fumantis sustinentes.* Post δεῖγμα supple: *posteris seculis*, vel ex 2 Petr. II, 6. τῶν μελλόντων ἀσεβεῖν. Δεῖγμα hic est παράδειγμα. In oratione Simonis ad Deum, 3 Maccabaico: σὺ—Σοδομίτας—πυρὶ καὶ θείῳ κατέφλευξας, παράδειγμα τοῖς ἐπιγινομένοις κατατήσας. Δίκην ὑπέχειν h. l. est *poenas dare, puniri.* Πῦρ αἰώνιον possumus accipere pro igne internecino, igne nempe qui penitus eos vastavit, atque ad nihilum redegit. Possumus vero etiam intelligere ignem perpetuo fumantem. Philo de vita Mosis Lib. II. p. 662. A. καὶ μέχρι τοῦ νῦν μνημεῖα τοῦ συμβεβηκότος ἀλέκτου πάθους δείκνυται κατὰ Συρίαν ἐρείπια, καὶ τέφρα, καὶ θεῖον, καὶ καπνὸς, καὶ ἢ ἔτι ἀναδιδομένη φλόξ ἀμαυρὰ, καθάπερ διασμυχομένου πυρός. Alii volunt, eas urbes incensas proponi tanquam imaginem damnationis aeternae. Scriptores, qui de Sodomae finitimarumque urbium subversione, et illius incendii vestigiis fumantibus exposuerunt, laudat Haenlein p. 108. et p. 112.

8. Ὁμοίως—ἐνυπνιαζόμενοι) *Pari modo etiam isti insanientes* punientur, supplendum enim esse videtur:

οὐκ ἐπιφέρονται ἔνδικον μισθαποδοσίαν, vel simile quid. Iudas recordari iusserat contumacium, graviter punitorum. Iam sequitur apodosis cum supplenda ellipsi hac: Pari modo ἐνυπνιαζόμενοι, nimirum *punientur*. Codex Alex. habet ὅμως μέν τοι, *nihilominus*, quamvis tanta exempla habeant ante se. Ἐνυπνιαζόμενοι, *qui vigilantes somniant*, ut loquitur Apuleius. Tam vana erant dogmata istorum hominum, tam stultae cogitationes eorum, quam nihili et futilia sunt insomnia dormientium. Rectius tamen cum *Carpzovio* intelligas illos, qui habent πνεῦμα κατανύξεως, Ies. XXIX, 10. Rom. XI, 8. *sopitos* et *securos*, quasi quodam lethargo ac veterno oppressos et obduratos. σάρκα μὲν μιαίνουσι) *Corpus polluunt*, i. e. corrumpunt mares et foeminas, 2 Petr. II, 10. κυριότητα δὲ ἀθετοῦσι) Κυριότητα καταφρονοῦντες, 2 Petr. II, 10. unde videmus, ἀθετεῖν hic esse *contemnere*, ut 1 Thess. IV, 8. Sic vivunt, ut si nullus esset magistratus. δόξας δὲ βλασφημοῦσιν) Δόξας, i. e. τοὺς ἐν δόξῃ διάγοντας, *qui in summis sunt honoribus*. Quintilianus de similibus Declam. XI. *Adversus superiora rabiem de sui vilitate sumunt, genusque libertatis putant odisse maiores.*

9. Ὁ δὲ Μιχαὴλ — κύριος) Sumsisse videtur Iudas ex libro apocrypho cui titulus ἀνάβασις τοῦ Μωυσέως, cuius meminit Origenes περὶ ἀρχῶν Lib. III, c. 2. *Et primo quidem* (inquit) *in Genesi serpens Evam seduxisse describitur, de quo in Ascensione Mosis, cuius libelli meminit in epistola sua Apostolus Iudas, Michael archangelus, cum diabolo disputans de corpore Moysi ait: a diabolo inspiratum serpen-*

tem caussam extitisse praevaricationis Adae et Evae. Recentior foetus est liber Rabbinicus de vita et morte Mosis, quam Gilbertus Gaulmyn, Molinensis a. 1629. edidit, latina interpretatione et notis illustravit. *Oecumenius* Commentar. in Epist. Iudae: ἡ δὲ περὶ τοῦ Μωυσέως σώματος κρίσις ἐστὶν αὕτη· λέγεται, τὸν Μιχαὴλ τὸν ἀρχάγγελον τῇ τοῦ Μωυσέως ταφῇ διηκονηκέναι. Τοῦ δὲ διαβόλου τοῦτο μὴ καταδεχομένου, ἀλλ' ἐπιφέροντος ἔγκλημα διὰ τὸν τοῦ Αἰγυπτίου φόνον, ὡς διὰ τοῦτο ἐνόχου ὄντος Μωυσέως, καὶ μὴ συγχωρεῖσθαι τυχεῖν τῆς ἐντίμου ταφῆς, etc. Μιχαὴλ, nomen compositum ex hebraicis vocibus מִי כָּאֵל, *quis est sicut Deus?* Ὁ ἀρχάγγελος non est filius Dei, sed *princeps angelorum. Targum Cant. VIII*, 9. *Michael princeps Israelis.* Ὅτε τῷ διαβόλῳ διακρινόμενος διελέγετο περὶ τοῦ Μωυσέως σώματος, *quum in lite cum Diabolo contenderet de corpore Mosis*, nempe sepeliendo vel non sepeliendo, ut modo ex Oecumenio didicimus; nam de corpore Mosis mortuo, non de populo Israelitico, vel doctrina et lege Mosis explicandum esse σῶμα Μωυσέως, res ipsa docet. Διακρίνεσθαί τινι, *disceptare, iudicio contendere cum aliquo.* Οὐκ ἐτόλμησε κρίσιν ἐπενεγκεῖν βλασφημίας, *non ausus est illi*, licet turpissimo daemoni, *palam dicere convitium*, vel duram ferre sententiam. Βλάσφημον κρίσιν habet Petrus 2 Epist. II, 11. Dictum contra eos, de quibus comm. antecedente: κυριότητα ἀθετοῦσι, δόξας βλασφημοῦσιν. Si Michaeli religio fuit maledicere diabolo, qui et ipse, quamquam impius, potestatem quandam a Deo in hunc mundum accepit, quanto intolerabilius faciunt, qui magistratibus humanis, vel angelis

bonis non verentur maledicere? Ἐπιτιμήσαι σοι Κύριος, *coercebit te Iova*, puniet te Iova. Ἐπιτιμᾷν hic videtur esse *punire*, vel *ulcisci:* certe Hesychio ἐπιτίμητος est τιμωρὸς, ἔνδικος. Verba desumta ex Zachar. III, 2., ubi vero de re plane alia agitur. *Kidduschin* f. 81. 2. *remedium, quo diabolus ipse revelavit se coerceri posse, si nimirum quis dicat: Misericors increpet te, Satan.* Zach. III, 2. 2 Sam. XXII, 16. Iob. XXVI, 11. *Schemoth R.* XVIII. Dixit R. Iose: „Michael et Samael similes sunt συνηγόρω et κατηγόρω, stantibus in iudicio; ille loquitur, et hic loquitur: ille absolvit sermonem suum, et hic suum. Συνήγορος noverat se victurum, incepit laudare iudicem, qui ἀπόφασιν edit: κατήγορος quaesivit addere verbum. Dixit illi συνήγορος: Tace, et audiemus a iudice. Ita Michael et Samael stant coram Deo. Satanas accusat, Michael vero enarrat merita Israelis. Satan venit ad loquendum; Michael silentium ei imponit.“ Iudas Apostolus disceptationem illam inter Michaelem et Diabolum de Mosis corpore, ex libro quodam Apocrypho desumtam, quam parabolam esse probe intellexerat, minime comprobavit tanquam veram historiam, sed Iudaeos ex libris, quos ipsi valde amabant, argumento ad hominem usus, erudire voluit. Elegans extat Oratio, ad hunc versum, cui titulus: *Consecratio Mosis* (in Sylloge Commentatt. theoll. edita a *Pottio*, Vol. VI. p. 170. sq.). Ex anonymi auctoris sententia Iudas aut quisquis est auctor libri ἀναβάσεως Μωυσέως, Mosis ad superos translationem aut consecrationem, mythicis figuris expressit, dum Michaelem (angelum vitae, resurrectionis autorem) et Diabolum narrat inter se de corpore Mosis contendisse, Michaelem vero e

pugna superiorem discessisse, servatoque corpore Mosen adseruisse sedibus immortalibus.

10. Οὗτοι δὲ—βλασφημοῦσιν) *At isti adeo, quae non intelligunt, convitiantur.* Cf. 2 Petr. II, 12. Si κυριότης et δόξαι Vs. 8. sunt magistratus politici, sensus est: *Convitiis sectantur quorum usum et utilitatem* (nempe legum, magistratuum etc.) *non intelligunt.* Gnostici vero etiam angelos vituperabant, quorum naturam non intelligebant. Sed ne coniungenda quidem esse videntur haec verba cum re et historia antecedente; occasio potius eorum afferendorum sumitur a proximo verbo βλασφημεῖν. Particula δὲ verti potest *immo vero, adeo.* Ascendit oratio: Reprehendunt et damnant magistratus; ne bonus quidem angelus damnavit diabolum; immo vero, quae ne intelligunt quidem, isti damnant. ὅσα—φθείρονται) *Per ea vero, quae naturali instinctu sicut animalia bruta sentiunt, se ipsos perdunt.* Φυσικῶς, *per instinctus naturales.* Φυσικῶς ἐπίστασθαι hic idem est, quod Ciceronis illud: *Bestiae nil sentiunt nisi voluptatem.* Quae natura docuit omnia animalia, ea solummodo intelligunt. Nihil sciunt nisi quo φυσικῶς ut bruta feruntur. Voluptatis huius duo sunt genera; alterum in Venerem ferri, quod supra comm. 8. σάρκα μιαίνειν, alterum, gulae operam dare, quod infra com. 13. ἑαυτὸν ποιμαίνειν. Φθείρονται, *perdunt se*, ad perniciem suam abutuntur instinctibus naturalibus. Passivum pro verbo reciproco.

11. Οὐαὶ—ἐπορεύθησαν) Οὐαὶ, est vox conditionem eorum deplorans. Πορεύεσθαι ὁδῷ, הלך בדרך,

est *facta alicuius imitari.* Oderunt nempe et insectantur fratres. Omnis autem eiusmodi est ἀνθρωποκτόνος, 1 Ioh. III, 15. καὶ τῇ πλάνῃ—ἐξεχύθησαν) *Et effuso impetu ruunt in errorem Baalamiticae mercedis*, i. e. in peccatum, quod Balaam mercedis caussa commisit, incitans populum ad scortationes et adulteria cum Moabitis. Iudith. XV, 2. ἐκχυθέντες ἔφευγον. Plinius Lib. VI. epist. 20. *Proripit se, effusoque cursu periculo aufertur.* Sic et illi mercedis caussa ad turpes libidines alliciunt alios. Alii vertunt: *Deceptione mercedis, qua deceptus fuit Balaam, effusi sunt*, i. e. effusi ruerunt. καὶ τῇ ἀντιλογίᾳ — ἀπώλοντο) i. e. καὶ ὡς ὁ Κορὲ ἀντιλέξας ἀπώλοντο, *peribunt sicut Core propter seditionem extinctus est.* Ἀπώλοντο, est Aoristus pro futuro, aut pro praesenti, ut *pereunt* sumamus pro *ruunt in exitium.* Illa Corae seditio erat contra Mosen; haec falsorum doctorum contra Christum. Ἀντιλέγειν hic sumitur eodem sensu quo Luc. II, 34. Rom. X, 21. et aliis locis.

12. Οὗτοί εἰσιν σπιλάδες) *Hi sunt in agapis vestris scopuli.* Alii vertunt: *maculae.* Sed σπῖλος significat *maculam*, non autem σπιλάς. Σπιλάδες ex usu graecae linguae sunt *scopuli marini*, vel *saxa sub aquis latentia.* Si hanc significationem hic retinemus, sensus erit: Ut illa saxa improvisa perniciem navigantibus afferunt, sic isti convescentium simpliciorum animabus latenter insidiantur. Nec inepte isti nebulones vocantur *scopuli.* Simili modo Florus IV, 9. 1. *quum scopulus, et nodus, et mora publicae securitatis superesset Antonius.* Aliis videtur

Iudas more Hellenistarum esse locutus, eosdemque indicasse, qui 2 Petr. II, 13. vocantur σπῖλοι καὶ μῶμοι. Pro ἀγάπαις nonnulli codd. habent ἀπάταις. Ex Wetstenii sententia Iudas et ἀπάταις vocem, quam in Epistola Petri legerat, eleganter inflexit in ἀγάπας, et pro σπίλοις scripsit σπιλάδες, significatione quidem mutata, sed ita ut et haec appellatio Gnosticis egregie conveniret. De agapis vid. 2 Petr. II, 13. συνευωχούμενοι—ποιμαίνοντας) Illa συνευωχούμενοι ὑμῶν vulgo coniunguntur cum proxime praecedentibus, quum idem tamen videatur dictum in verbis ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν. Ergo melius forsan, suadente *Pricaeo* connectas sequentibus, modo non ποιμαίνοντες legeris, sed ποιμαίνουσι, vel pro ποιμαίνουσι, accipias illud Participium Ἀφόβως ad sequentia non ad praecedentia pertinet. Optime vertas: *secure se pascentes*, i. e. animos in patinis habentes, de nulla alia re cogitantes. νεφέλαι—παραφερόμεναι) Sic enim legendum videtur pro παραφερόμενοι, plurimis consentientibus codicibus. Quad ad sensum attinet confer quae ad 2 Petr. III, 17. annotavimus. Inter *nebulas* et *nubes* hoc interest, ut Apuleius περὶ κοσμουργίας dicit: *nebulae sunt exhalationes vaporatae, et humore viduatae, aëre crassiores, nubibus subtiliores; nubium crassitudo aquarum foetu gravidatur.* Inservit autem aqua nubium irrigandae terrae. Ergo *nubes aqua carentes* vocat Iudas ψευδοδιδασκάλους istos, quia speciem doctorum Evangelicae veritatis prae se ferentes, reipsa nil praestabant tali titulo congruens. Ut nubes aqua vacuae speciose circumferuntur tantum, at nullo interim imbre foecundant terram; sic isti iactatores obambulant, multa et magna pollicentes, at in-

ficientes potius quam irrigantes fidelium animas. δένδρα—ἐκριζωθέντα) Δένδρα φθινοπωρινὰ, *arbores autumnales*, i. e. sine foliis, quales autumno extremo, versus hyemem solent esse arbores; sive potius arbores quae producunt *marcidos et corruptos fructus*, ἀπὸ τοῦ φθίνεσθαι τὰς αὐτῶν ἐπώρας. Haeretici et Seductores arroduntur, (ut poma a verme,) conscientia mala et vitiositate, computrescunt et pereunt. Ἄκαρπα, *steriles*. Δὶς ἀποθανόντα, i. e. *prorsus emortuae*. Ita Horatius: *Pro qua bis patiar mori*. Alii ita dictos esse volunt, quia ἄκαρποι erant, et quia ut arbores infoecundae videbantur ad ignem destinari, vel, quia corpus eorum in sagina iacebat, mens autem in habitibus vitiosis et iugi corruptione. Mihi verior videtur ea expositio, quam priore loco proposui. Ἐκριζωθέντα, i. e. ἐκ ῥιζῶν ἐξηρᾶμμένοι. Non magis licet sperare, illos iterum bonum fructum producturos, quam eradicatas arbores iterum germina proiecturas. Alii sumunt Aoristum pro futuro: *eradicabuntur*, i. e. funditus peribunt; ne nomen quidem sectae erit reliquum.

13. Κύματα—αἰσχύνας) *Fluctus maris saevi, despumantes sua dedecora*, i. e. *similes fluctibus maris, despumantes ea, quorum eos pudere deberet*. Ἄγρια κύματα dixit Sapientiae Scriptor c. XIV, 1. Vox ἀγρίου a feris fructibus et animantibus ad omnia dura transfertur. In Glossario: ἄγριος, *immanis*. *Despumantes*, i. e. cum iactantia effutientes, et tanquam laudi sibi ducentes, quae reipsa dedecori erant, sicut fluctus sordes ex imo maris eructant. Evomebant autem sive despumabant ista dedecora sua, praesertim

obscoenitates (*αἰσχύνας* enim hic commodissime exponere licet *αἰσχρολογίας*), in circulis confabulantium, praecipue vero in conviviis, Vs. 12. *ἀστέρες — τετήρηται*) *Stellae errantes; quibus densissima, eaque aeterna caligo asservatur.* In Glossario: Πλανῆτες, *erratici. Erraticos* dum Iudas vocat istos homines, videtur notare eorum circumforaneam vivendi rationem, iugemque gulae ac deliciarum caussa discursationem. Gellius 9. 2. *Erraticum esse hominem, et nullius rei.* Sequentia verba desumta sunt ex 2 Petr. II, 17. ubi dicta vide.

14. Προεφήτευσε — Ἐνώχ) Hoc et sequens comma Parenthesi videtur includendum esse; comparatio enim Vs. 12. 13. instituta continuatur Vs. 16. Interiiciuntur autem haec de *Enocho* propterea, quia dictum fuerat, poenam gravem instare improbis. Dicitur Enoch septimus ab Adam, i. e. Patriarcharum septimus, si Adam primus numeretur. *Vaiikra* R. XXIX. Dilectus est numerus septenarius supra — in terris — in generationibus. Adam, Seth, Enos, Kainan, Mahaleel, Iored, Enoch. De *libro Enoch* vide Suiceri Thes. P. I. col. 1131. Origenes eum aliquoties citat, ut Lib. I. *περὶ ἀρχῶν* cap. III. et lib. IV. in *ἀνακεφαλαιώσει*. Sed Lib. V. contra Celsum, p. 267. edit. Spenc. ait: *ἐν ταῖς ἐκκλησίαις οὐ πάνυ φέρεται ὡς θεῖα τὰ ἐπιγεγραμμένα τοῦ Ἐνώχ βιβλία.* Tertullianus etiam Lib. de habitu muliebri cap. III. dicit: *Scio scripturam Enoch non recipi a quibusdam, quia nec in armarium Iudaicum admittitur.* Ipse vero cum multis aliis Patribus huius libri auctoritatem defendit. *Accedit*, inquit, *quod Enoch apud Iudam Apostolum te-*

stimonium possidet. Fortassis hic ipse locus Judae Christiano cuidam, sive sciolus ille, sive haereticus fuerit, occasionem dedit confingendi librum Enoch. De libro Enoch aethiopice scripto disseruit post alios *A. J. Silvestre de Sacy* in libello, cui titulus: *Nachricht das Buch Henoch betreffend. Nach dem Französischen bearbeitet, und mit Anmerkungen versehen, von Frid. Theod. Rink* etc. Königsberg, 1801. 8. *De Sacy* excerpta ex illo libro dedit. Ceterum προφητεύειν h. l. ut saepe est *docere*, et verba: προεφήτευσε καὶ τούτοις, vertenda sunt: *Eveniet etiam illis, quae olim Enochus docuit.* Non quasi Enochus praedixisset de improbis aetate solius Judae. Praedixit de omnibus improbis *tum* suae aetatis, et proxime de puniendis diluvio tempore Noachi; *tum* etiam de aliis, et de his tempore Judae. Docuerat autem haec ex natura et iustitia Dei, quam ratio et lex naturae docet, mentibus insita. Cf. Carpzov. ad h. l. ἦλθε — αὐτοῦ) Ἦλθε, Aoristus pro Futuro. Ἁγίους hic vocat *angelos.* Ἐν ἁγίαις μυριάσιν recte verti potest *cum denis millibus sanctorum* (i. e. angelorum) *suorum.*

15. Ποιῆσαι — πάντων) Ποιεῖν κρίσιν, *iudicium et poenam exercere.* καὶ ἐξελέγξαι — ἀμαρτωλοὶ ἀσεβεῖς) Ἐξελέγξαι, vel ut alii habent ἐλέγξαι, *castigare, ulcisci, punire.* Ἔργα ἀσεβείας hic sunt ἔργα ἀσεβῆ. Περὶ πάντων τῶν σκληρῶν, *de omnibus duris.*

16. Οὗτοί εἰσι — ὠφελείας χάριν) *Hi sunt isti frementes, inique queruli, cupiditatibus suis pravis*

mancipati, qui proloquuntur fastuosa, et quaestus caussa aliis adulantur. Post interiectam Vs. 14. et 15. parenthesin Iudas ulterius describit seductores. Γογγυστὰς plerique interpretantur *murmurantes*, et intelligunt hos, qui superioribus obtrectant. *Carpzovius* intelligit frementes, qui fortunatas res aliorum indigne ferunt, invidia flagrant, et sub dentibus mussitant intra se, quasi imminueretur felicitas propria ex fortuna aliorum. Nam γογγυσταὶ proprie sunt *grunnientes*, quasi porci saginati, et γογγύζειν est γρυλλίζειν. Μεμψίμοιρος, *querulus*. Hesychius: Φιλεγκλήμων, Φιλαίτιος. Intelliguntur igitur homines, *qui non contenti sunt modicis; tristes, omnia deplorantes, quibus nulla non caussa in querelas placet*, ut locutus Seneca Lib. de animi tranquil. c. 7. Ὑπέρογκα, sc. ῥήματα, ut 2 Petr. II, 18. Fuisse tum temporis plures inter Iudaeos sorte sua parum contentos, et falsa spe regni terrestris Messiae ad vanas querelas de iniquitate Dei abreptos, historiae motuum et seditionum, a Iudaeis coeptarum, teste Iosepho et Suetonio, docent. Θαυμάζειν πρόσωπα, *adulari hominibus divitibus, vel honoratis.* Nam πρόσωπα hic sunt, quae Italis *personaggi*, homines divitiis aut honoribus conspicui. Θαυμάζειν pro τιμᾶν, *colere, suspicere*, occurrit etiam Sirac. VII, 29. et saepe apud graecos Scriptores. Θαυμάζειν πρόσωπον δυνάστου, Lev. XIX, 15. est *iudicium gratificari ei, qui potentior est.* Ὠφελείας χάριν, *utilitatis gratia.* Adulabantur divitibus, vel dignitate conspicuis qui in ecclesia erant, vitiis eorum favendo, idque ut ex eorum largitionibus quaestum facerent.

17. Μνήσθητε — Χριστοῦ) Maxime a Petro, Paulo, Ioanne. Intellige autem non tantum, quae scriptis mandata, sed et quae voce dicta per manus tradebantur. Cf. 2 Petr. III, 2.

18. Ὅτι ἔλεγον—τῶν ἀσεβειῶν) Ἐν ἐσχάτῳ χρόνῳ, *tempore ultimo*, esse potest: *sequenti tempore, paullo post.* Ceterum istae Apostolorum praedictiones non commemorantur a Iuda tanquam vaticinia proprie sic dicta. Apostoli enim facile praevidebant ex indiciis praesentibus, futurum, ut post *discessum eorum*, ἐν ἐσχάτῳ χρόνῳ, invaderent perversa docentes, qui discipulos ad *se* sequendos abducerent, Act. XX, 29. ἔσχατος χρόνος vero significare etiam potest tempus adventus seu apparitionis Christi ad iudicium. Locus huic nostro similis est 2 Petr. III, 3. Ἐπιθυμίαι τῶν ἀσεβειῶν hic pro ἐπιθυμίαι ἀσεβεῖς.

19. Οὗτοί εἰσιν — ἔχοντες) Οἱ ἀποδιορίζοντες ἑαυτούς, sc. ἀπὸ τῶν ἄλλων. Separant sive distinguunt semet a ceteris, quasi multo sapientiores ac peritiores essent aliis, cum magno contemtu aliorum, quum tamen longissime absint ab eo, quod inprimis se habere iactant. Videtur tamen ἑαυτούς non esse genuinum. Tum sensus est: Separant Christianos. Ψυχικοί, quales sint, vide ad 1 Cor. II, 14. Additur ab Apostolo: πνεῦμα μὴ ἔχοντες, *qui non habent Spiritum*, i. e. nec voluntatem, nec propositum, nec studium habent sentiendi agendique convenienter dictamini divino: destituti morali perfectione, ad quam Deus per auxilium τοῦ πνεύματος (religionis) adducit. Πνεῦμα saepe est ipsa *religio christiana*, ut saepe

monuimus, per consequens est etiam omne *rectum* et *bonum*.

20. Τῇ ἁγιωτάτῃ πίστει ἐποικοδομοῦντες ἑαυτούς, i. e. *praestantissimae religionis fundamento innixi crescite in omni bono*. Πίστις est religio *christiana ipsa*, quae sanctissima, i. e. praestantissima vocatur, quoniam divinitus data est, et ad cultum Dei pertinet. Cf. 1 Petr. II, 21. De metaphorica significatione vocis οἰκοδομεῖν et ἐποικοδομεῖν vide 1 Cor. III, 10. sqq. Ἐν πνεύματι ἁγίῳ nonnulli referunt ad praecedentia, alii autem rectius ad sequentia. Ἐν πνεύματι ἁγίῳ προσεύχεσθαι *instinctu Spiritus sancti precari*.

21. Ἑαυτοὺς—τηρήσατε) i. e. Date operam ut vosmet conservetis in dilectione erga Deum; perseverate in amore Dei, quod fit tum per preces, tum per actus pios. Ἀγάπη τοῦ θεοῦ h. l. est amor quo nos diligimus Deum. προσδεχόμενοι—αἰώνιον) Ἔλεος, חֶסֶד, *beneficium*. Εἰς h. l. finem indicat. Quae beneficia vobis contingunt, ut consequi possitis felicitatem aeternam.

22. Καὶ οὓς μὲν ἐλεεῖτε διακρινόμενοι) *Et alios delectu habito tractate benignius*. Multi codices, quos et sequuntur versiones nonnullae; habent: καὶ οὓς μὲν ἐλέγχετε διακρινομένους, quod Grotius vertit: *Reprehendite illos, qui se ceteris praeferunt*. Sed communis lectio videtur praeferenda esse. Ἐλεεῖν est ἀγαπᾷν, *benignius et mansuetius tractare*. Διακρινόμενοι, i. e. διακρίνοντες. Supplendum

autem μεταξὺ αὐτῶν καὶ τῶν ἄλλων. *Prudenter inter eos, aliosque discrimen facientes.* Sunt gradus peccatorum, inquit, imo et habituum vitiosorum: vos singulis, prout usus tulerit, medicinam adhibete. Erant inter impostores in hac epistola descriptos non tantopere depravati, et fortasse sanabiles; hi benignius dicuntur tractandi.

23. Οὓς δὲ ἐν φόβῳ σώζετε) i. e. Qui gravius autem et contumacius peccant, iniecto vindictae divinae metu terrete. Φόβος, minae. Seneca de ira II, 14. *Aliquando incutiendus est his metus, apud quos ratio non proficit.* Vel, ἐν φόβῳ σώζετε, *festinantes et trepidantes;* eorum ritu qui aliquid ex flamma rapiunt, *salvate eos.* ἐκ τοῦ πυρὸς ἁρπάζοντες) *Periculo eos eripientes.* Proverbiale est, de ereptione rei alias certo periturae: inde per similitudinem de personis dicitur. Quintilian. VIII. ex Cic. pro Clod. *quo ex iudicio velut ex incendio nudus effugit.* Artemidorus Oneirocrit. I, 50. Θᾶττον, καὶ ὡς εἰπεῖν, ἐκ πυρὸς ἁρπάζουσιν. μισοῦντες — χιτῶνα) *Fugite omnem impuritatis speciem.* Locutio hyperbolica, monens quam longissime a talium hominum impuritatibus recedendum. Ita Apuleius: *Formidans, ac procul perhorrescens etiam ipsam domum eius;* ac si diceret: non tantum abhorrens convivium ad quod vocabatur, sed et aedes ipsas in quibus illud convivium faciendum erat. Athenaeus XI. ἔσχατον τὸν τῆς ὀξυῆς χιτῶνα ἐν τῷ θανάτῳ αὐτῷ ἀποδυόμεθα.

24. Τῷ δὲ δυναμένῳ — ἀγαλλιάσει) *Ei vero, qui vos a lapsu immunes praestare, et efficere potest ut*

olim laeti stare possitis coram maiestate ipsius. Ἀπταίστους, *immunes a lapsu.* Στῆσαι, *sistere.* Κατενώπιον τῆς δόξης αὐτοῦ, *coram maiestate ipsius*, vel *throno suo.* Ἐν ἀγαλλιάσει, *in laetitia.*

25. Μόνῳ σοφῷ — αἰῶνας) Σοφῷ deest in multis codicibus et versionibus; omittitur etiam ab Ephraemo, Euthalio et Fulgentio. Σωτῆρος nomen non semper Christo, sed interdum et Deo datur, tanquam caussae principi salutis nostrae, ut 1 Tim. II, 3. Tit. I, 3. III, 4. Post σωτῆρι ἡμῶν codices et versiones cum Ephraemo, Euthalio et Fulgentio addunt: διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ κυρίου ἡμῶν. Δόξα, *gloria*, sc. competit. Μεγαλωσύνη, *maiestas.* Κράτος, ἰσχύς, *dominium*, *imperium*, ut saepe in N. T. ut et apud Iosephum et Philonem. Κράτος καὶ ἐξουσία ab Hesychio recte explicatur: ἐπικρατεῖ, ἐξουσιάζει. Καὶ νῦν καὶ εἰς πάντας τοὺς αἰῶνας, i. e. sicut ea habuit ante omne tempus, sic et nunc habet, et habebit semper.

SCHOLIA

IN

APOCALYPSIN IOANNIS.

Ioannem Apostolum Apocalypseos esse auctorem, multi veteres et recentiores negarunt. Historiam controversiae enarrare, huius loci non est, Adeat, qui velit *Acta Historico-Ecclesiastica nostri temporis* Vol. I. p. 485. sqq. *Neueste Religions-Geschichte unter der Aufsicht Christian Wilh. Franz Walchs* etc. Tom. VII, p. 257. sqq. His adde *Io. Dav. Michaelis Apologie der Apocalypse wider falschen Tadel und falsches Lob. Erster Theil.* Chemnitz. 1781. Tribuunt Apostolo ex veteribus *Irenaeus*, *Iustinus Martyr*, *Clemens Alexandrinus*, *Tertullianus*, aliique, quorum loca collegit Wetstenius. Sed hi fere fuerunt Chiliasmi fautores, ut ex eorum Scriptis apparet. *Eusebii* tempore divisae erant sententiae de libri huius auctoritate et auctore. Hist. Eccl. L. III, c. 24. τῆς δ' ἀποκαλύψεως ἐφ' ἑκάτερον ἔτι νῦν παρὰ τοῖς πολλοῖς περιέλκεται ἡ δόξα. C. 25. de eadem Apocalypsi: τινὲς ἀθετοῦσιν, ἕτεροι δὲ ἐγκρίνουσι τοῖς ὁμολογουμένοις. *Cerinthum* esse huius libri auctorem asseruit *Caius*, Presbyter Rom. Sec. II., teste Eusebio Hist. Eccles.

L. III, 28. Γαΐος inquit Eusebius, *ταῦτα περὶ αὐτοῦ* (de Cerintho nempe) *γράφει. Ἀλλὰ καὶ Κήρινθος ὁ δι' ἀποκαλύψεων ὡς ὑπὸ ἀποστόλου μεγάλου γεγραμμένων, τερατολογίας ἡμῖν ὡς δι' ἀγγέλων αὐτῷ δεδειγμένας ψευδόμενος, ἐπεισάγει* etc. Varie quidem explicatur hic Caii locus a recentioribus; sed multos veteres in eadem fuisse opinione, Cerinthum huius libri auctorem fuisse, expressius dicit *Dionysius*, eodem referente Eusebio H. E. Lib. VII, c. 28. tot. Ipse Dionysius non plane quidem reiicit librum, sed alium Ioannem auctorem esse putat, l. c. Eusebio ipsi *Ioannes Presbyter* Auctor Apocalypseos fuisse visus est. Nam H. E. L. III, c. 39. ex ore Papiae refert, duos in Asia vixisse Ioannes, unum Apostolum, Presbyterum alterum, et addit: *εἰκός—τὸν δεύτερον, εἰ μή τις ἐθέλοι τὸν πρῶτον, τὴν ἐπ' ὀνόματος φερομένης Ἰωάννου ἀποκάλυψιν ἑωρακέναι. Origenes* Ioannis Apostoli esse opus non dubitavit, ut discimus ex Euseb. H. E. VI, 25. *ἔγραψε δὲ καὶ τὴν ἀποκάλυψιν, κελευσθεὶς σιωπῆσαι, καὶ μὴ γράψαι τὰς τῶν ἑπτὰ βροντῶν φωνάς. Hieronymus* c. Iovin. I. Ep. ad Dard. 129. *Quod si epistolam ad Hebraeos Latinorum consuetudo non recipit inter scripturas Canonicas: nec Graecorum quidem ecclesiae Apocalypsin Ioannis eadem libertate suscipiunt: et tamen nos utraque suscipimus.* Alia testimonia vide in libris supra citatis. Speciosa, saltim examine digna est sententia *Dupuisii*, qui hominem e secta Montanistarum, qui etiam Phryges, Pepuzitae, Priscillianistae dicti sunt, auctorem Apocalypseos fuisse existimat. Sententiam suam exposuit simulque novam Apocalypseos interpretationem dedit in libro: *Origine de tous les cultes; ou religion universelle. Par Du-*

puis, Citoyen François. Première Partie du Tome sixieme. A Paris, L' an III. de la Republique une et indivisible. 8. Praecipuum argumentum, quo utitur, historicum, (vid. inprimis p. 114. sq.) desumtum est ex loco *Epiphanii*, Haeres. 51., ubi refert, Alogos Apocalypsin reiecisse eam ob caussam, quod cap. II. epistola ad ecclesiam Thyatirensem scripta legitur, quum tamen tempore Ioannis Apostoli nulla ecclesia Thyatiris extiterit. Quanquam enim Epiphanii responsio ad hanc Alogorum obiectionem est obscura, concedere tamen videtur, nullam tempore Ioannis ecclesiam *Apostolicam* Thyatiris fuisse, sed *Phrygum* (Montanistarum) *sectam ibi floruisse;* at vero eo ipso constare, Apocalypsin esse librum Propheticum, quod auctor Ioannes ad talem scripserit ecclesiam, *quam olim futuram cognosceret.* Hic verus sensus loci huius obscuri esse videtur; nam alia explicatio, quam *Ferd. Stosch* in *dissertat. de ecclesiae Thyatirensis tempore Ioannis Apostoli existentia* (Praes. *P. E. Iablonski)* post *Lampium* proposuit, nimis est coacta, quam ut probari possit. Quicquid sit, *Dupuisius* arripit illam Epiphanii de secta Phrygum Thyatiris florente relationem, indeque colligit, sex etiam reliquas Asiae ecclesias, ad quas epistolae scriptae leguntur, eidem Thyatirensium, i. e. Montanistarum sectae fuisse addictas, adeoque earum Hierophantem, quisquis ille fuerit, pro earum epistolarum, et totius Apocalypseos auctore esse habendum; quam sententiam aliis etiam argumentis confirmare conatur. Huic vero sententiae obstare videtur, quod Epiphanius l. c. nomine Iezabalis (Apoc. II, 20.) *Priscillam*, *Maximillam* et *Quintillam*, Montanistarum Prophetissas significari statuit,

quas auctor epistolae profecto non potuisset increpare, si ipse fuisset e Montanistarum secta. Sed in eo erravit Epiphanius. Mihi verisimilis est sententia *P. E. Iablonski*, statuentis Iezabelem fuisse mulierem christianam e secta Gnosticorum. (Dissert. *de Iezabele Thyatirenorum Pseudo-Prophetissa ad Apocal. II*, 20. Francof. ad Viadr. 1739. 4.) Sed illam *Dupuisii* hypothesin aliis diiudicandam et examinandam relinquo. Scriptorem Apocalypseos regularum Grammaticarum non semper habuisse rationem, res ipsa docet. Wetsterius opinatur, Ioannem dedita opera et consulto Apocalypsin ita scripsisse, et quidem ideo, ut a gentilibus nec legeretur nec intelligeretur. Nam Imperatorum, qui tum vivebant, et paullo post regnaturi erant, flagitia, tyrannidem, impietatem atque interitum praedicere eum voluisse, et omnino fuisse verendum, ne, si apertius rem egisset, maiestatis accusaretur.

Utrum iste liber ante eversionem Hierosolymorum, an vero post eam sit scriptus, valde dubium est. Plerique ad ultima Domitiani tempora eum reiiciunt. Eusebius H. L. III, 13. Irenaei testimonium affert ex libro V, c. 30. Verba haec sunt: *ταῦτα περὶ τοῦ Ἰωάννου φησίν· εἰ δὲ ἔδει ἀναφανδὸν ἐν τῷ νῦν καιρῷ κηρύττεσθαι τοὔνομα αὐτοῦ* (Antichristi), *δι' ἐκείνου ἂν ἐῤῥήθη τοῦ καὶ τὴν ἀποκάλυψιν ἑωρακότος· οὐδὲ γὰρ πρὸ πολλοῦ ἑωράθη, ἀλλὰ σχεδὸν ἐπὶ τῆς ἡμετέρας γενεᾶς, πρὸς τῷ τέλει τῆς Δομετιανοῦ ἀρχῆς.* Sed, ut recte monet Wetstenius, nihil quidem cogit *ἑωράθη* interpretari de Apocalypsi visa, aut cum Latino Interprete Irenaei de nomine viso, quum commodissime de ipso Ioanne dici possit, eum sub exitum imperii Domitiani

conspectum fuisse; quod et Iranaeus alibi repetit V, 33. 3. II, 22. 5. III, 3. 4. Alii statuunt, Apocalypsin ante bellum Iudaicum fuisse scriptam. Epiphanius Haer. L. I, 12. *μετὰ τὴν αὐτοῦ ἀπὸ τῆς Πάτμου ἐπάνοδον, τὴν ἐπὶ* Κλαυδίου *γενομένην Καίσαρος.* 35. *αὐτοῦ δὲ προφητεύσαντος ἐν χρόνοις* Κλαυδίου *Καίσαρος ἀνωτάτω, ὅτε εἰς τὴν Πάτμον νῆσον ὑπῆρξε. Inscriptio Apocalypseos in versione Syra:* Revelatio facta Ioanni Evangelistae a Deo in Patmo insula, in quam a Nerone Caesare relegatus erat. *Andreas* in Apoc. VI, 16. *ταῦτα τινὲς εἰς τὴν ἐπὶ Οὐεσπασιανοῦ πολιορκίαν ἐξέλαβον ἅπαντα — ἡμῖν δὲ φαίνεται π. τ. λ.* Haec quaestio non levis momenti est, quum vera Apocalypseos interpretatio maximam partem inde pendeat; si enim scripta est ante bellum Iudaicum et bella civilia in Italia, nullo modo probabile est, tantam rerum conversionem, cui similis in orbe condito nulla contigit, omnino praeteriri atque negligi potuisse. Sin autem post motus illos compositos scripta est, probabilior erit eorum sententia, qui eventus in Apocalypsi praedictos in seculorum sequentium historia quaerendos esse existimant.

Quam varie omnibus temporibus intellectus sit et expositus hic liber, omnibus satis est notum. Notandae sunt autem inprimis tres hypotheses: 1) eorum, qui nil in Apocalypsi reperiunt, nisi descriptionem propheticam eversionis Hierosolymorum, belli Iudaici et civilis Romani. 2) Veterum Patrum inde ab *Irenaei* aetate, qui praedictiones de vexationibus, quas Christiani sub imperatoribus ethnicis passi sunt, de interitu Romani imperii, et laetioribus fatis Christianorum sub christianis Imperatoribus, in hoc libro contineri existi-

maverunt. 3) eorum, qui Papae Romani tyrannidem et eversionem imperii antichristi in hoc libro depingi volunt. Inter eos, qui Pontifices Romanos in Apocalypsi reperiisse sibi visi sunt, *Ioachimus Abbas* Sec. XIII. videtur fuisse omnium primus. Secuti sunt eum permulti ex *S. Francisci* familia, et omnes fere ab eo tempore, qui Paparum Romanorum saevitiam experti sunt. Cf. *Io. Matthiae Schroeckhii* christliche Kirchengeschichte, Tom. II, pag. 287. sqq. Inter recentissimos Apocalypseos interpretes celebratur *Herder*, qui a 1779. sine nominis sui mentione librum edidit, cui fecit titulum: Μαραν αθα. Das Buch von der Zukunft des Herrn, des neuen Testamentes Siegel etc., in quo multa egregie dista et explicata reperiuntur. Nec contemnendus est libellus, cui titulus: *Die Offenbarung Iohannis, oder der Sieg des Christenthums über das Iuden- und Heidenthum. Flensb.* et Lips. 1788. Auctor est *Nicolaus Iohannsen*, Pastor primarius Flensburgensis. Laudatur etiam *Io. Sim. Herrenschneideri Apocalypseos a capite IV. ad finem illustrandae tentamen* (Argentor. 1786. 4.). Omnibus vero palmam praeripit *Io. Gotofr. Eichhorn*, qui *Commentarium in Apocalypsin Ioannis* scripsit. Prodiit Goettingae, 1791. 8. Addi potest *Sam. Gottl. Lange*, qui edidit: *die Schriften Iohannis, des vertrauten Schülers Iesu, übersezt und erklärt.* Tom. I. Neustrelitz, 1795. 8. Elegantem versionem metricam post Lavaterum et alios dedit *Frid. Münter*, sub titulo: *Die Offenbarung Iohannis metrisch übersezt.* Kopenhagen 1806. Cf. etiam *Steudelii* Commentat. *über die richtige Anffassungsweise der Apoka-*

lypse, in *Bengelii Archiv für die Theol. und ihre neueste Litt.* T. VIII. p. 285. sqq. (Tub. 1826.)

Novam, ingeniosam quidem, sed firmis rationibus destitutam interpretetionem Apocalypseos proposuit, quem supra commemoravi *Dupuisius* l. c. Ex eius sententia Apocalypsis est opus mysticum, ex principiis Astrologicis explicandum, continens multas ideas cabbalisticas. Accedit ex Philosophia Orientali inprimis Persica dogma de duobus principiis, luce et tenebris, et de geniis duobus alterutri subordinatis. Describitur boni principii de malo victoria, quae finire debet veterem ordinem rerum, et regenerare hoc universum. Vid. inprimis pag. 46. sqq. Hanc Apocalypseos interpretationem auctori suo relinquendam esse puto. Recte tamen observat (p. 523. sq.), auctorem Apocalypseos a cap. IV. perpetuum esse Prophetae Ezechielis, Danielis etiam imitatorem, quod ex collatione locorum similium facile patet. Sed pleraque illa loca in ipsis Scholiis notavimus. Ceterum Apocalypsis in quibusdam libris inscribitur Ἰωάννου Θεολόγου, i. e. *rerum divinarum consulti.* Hoc nomine vocatur a Veteribus Ioannes, quod de Divinitate Filii nemo unquam hominum apertius aut divinius scripserit. Sed titulus iste non ab ipso Ioanne, sed a veteribus appositus est.

Conspectus totius Apocalypseos: Ioanne fata ecclesiae a sua aetate usque ad mundi consummationem in tabula quasi depicta Lectoribus ob oculos ponere videtur. Thema igitur est: *Certamen Christi cum hostibus suis, et in eosdem victoria.* 1 Cor. XV, 25. Matth. XXIV. Marc. XIII. Luc. XXI. Quae in his

locis brevius dicuntur, ea in Apocalypsi representantur sub variis imaginibus, hoc plerumque ordine, ut 1) decretum providentiae divinae de eo, quod eventurum sit, declaretur; 2) quomodo hoc decretum executioni datum sit, vivis coloribus depingatur; 3) denique laudes Dei, summi omnium rerum moderatoris in coelo celebratas esse, poëtice fingatur. Post exordium, et Epistolas ad septem Ecclesiarum in minore Asia praecipuarum Episcopos, quibus liber quasi est dedicatus (c. I. II. III.), scena visionum aperitur in coelo, maiestatis plena, et promittitur Ioanni revelatio rerum futurarum ad statum ecclesiae Christi pertinentium, c. IV. V. Hostes regni Christi, qui tum temporis maxime metuendi erant Christianis, et interitum minari videbantur religioni, erant Iudaei, Ethnici, et falsi doctores. Hos omnes vincit Christus, et de iis gloriose triumphat. Primo omnium poena decernitur adversariis et hostibus regni Christi vel verae religionis, et conservatio piorum Christianorum in calamitatibus illis maximis, intermixtis hymnis et plausibus coelicolarum, omniumque sanctorum homiuum, c. VI — X. Fata christianae religionis describuntur c. XI — XIV, 5. Vexantur nempe Christiani, praecipue vero doctores: a) *a Iudaeis;* sed salvae manent res eorum, quin magis augentur et crescunt, c. XI. Vexantur porro Christiani: b) *ab Ethnicis.* Verum nec hi possunt evertere regnum Christi. Non manet intra limites Iudaeae cultus religionis christianae, sed inter gravissima pericula, refragantibus idololatris, late se diffundit in ipso Romano Imperio, et providentiae divinae decreto portenditur ethnicae superstitioni grave exitium. c. XII. XIII, 1 — 10. Adversantur regno Christi c) *falsi do-*

ctores et impostores varii generis, nomine quidem Christiani, sed revera hostes crucis Christi, omnibus flagitiis dediti, et magis promovendae idololatriae quam verae religioni intenti, c. XIII, 11—18. His omnibus tamen non obstantibus latius propagatur religio christiana, et pii in fide confirmantur, c. XIV, 1—5. Iam denuo poena decernitur nominis christiani hostibus, Iudaeis pariter ac Ethnicis. Praedicuntur mala, quae evenire debebant Iudaeis, antequam penitus everteretur eorum urbs et respublica c. XIV. XV. Praedicuntur etiam calamitates, quas durante bello Iudaico, atque civili Romanorum ab Othone et Vitellio gesto, sentire debebant Romani, c. XVI, 1—16., qui ante Hierosolymorum expugnationem magnas dant poenas suae in Christianos crudelitatis, cap. XVII. Iam actum est de Iudaeorum rebus, urbe eorum et republica funditus eversa, c. XVIII. Laudibus celebrant coelicolae iustitiam et bonitatem Dei, gratulantes Christo Regi victoriam de hostibus, et feliciorem propagationem religionis, c. XIX, 1—10. Interim res nondum est confecta. Idololatria subinde erigit caput. Sparguntur novi errores; seminantur superstitiones; sed Christus se ostendit victorem, c. XIX, 11—21. Denique Diabolus, qui diu per falsorum Deorum cultum, errores, superstitiones et flagitia regnaverat, vi sua et potestate tantum non omni privatur, et laetissima religionis Christianae fata succedunt, c. XX, 1—6. Insurgunt quidem extremis mundi temporibus novi hostes, piis Christi cultoribus exitium minantes. Sed vana sine viribus ira. Deus praesentissimo auxilio adest Suis, et omnes eorum hostes gravissims poenis afficit, c. XX, 6—10. Sequitur iudicium extremum, Vs. 11—15. Puniuntur

omnes mali, et poenis aeternis ita coërcentur, ut piis Dei cultoribus amplius nocere non possint. Christiani, qui in fide religionis perseverarunt, aeternis gaudiis fruuntur, et ab omnibus calamitatibus liberi, felicissimam agunt vitam, aeternum duraturam, cap. XXI. XXII.

Hunc Apocalypseos conspectum in secunda et tertia Scholiorum editione dederam. Non valde diversa de huius libri argumento est *Eichhornii* sententia, cuius summam brevem exhibere liceat. Sumit nempe auctorem apocalypseos apud animum suum habuisse constitutum, Iesu Christi oracula de disciplinae suae triumpho, quem aliquando de Iudaismo et Ethnicismo habitura sit, ad actum revocare, et *dramatica arte* oculis in theatro obiicere. Partes totius libri sunt: *Titulus*, cap. I, 1 — 3. *Prologus*, c. 1, 4 — IV, 22., in quo declaratur, ad Christianos dramatis argumentum pertinere, additis epistolis ad ecclesias, quae in stilo carminis symbolico ad septenarium numerum revocantur. Sequitur *drama ipsum*, cuius partes sunt: *Prolusio*, cap IV, 1 — VIII, 5., in qua *scena adornatur*. *Actus primus* cap. VIII, 6 — XII, 17. Hierosolyma expugnantur, s. Iudaismus vincitur a religione christiana. *Actus secundus* c. XII, 18 — cap. XX, 10. Roma expugnatur, sive Gentilitas vincitur a religione christiana. *Actus tertius* c. XX, 11 — XXII, 5. Hierosolyma coelestia de coelo descendunt, sive futurae vitae felicitas aeternum duratura describitur. *Epilogus* c. XXII, 6 — 11. — Porro exponit *Eichhornius*, qua arte et quo ingenio, qua cura, diligentia et doctrina, et quo iudicio elaboratum sit et expolitum argumen-

tum carminis; unde intelligitur, poëtam praeditum fuisse ingenio varia doctrina subacto, nutrito et expolito, omniumque temporum et plurium gentium spoliis ditato et oxornato: et ob sapientissimum harum copiarum usum hominis ingeniosissimi laudem iure ei meritoque vindicari. Sed eos, qui plura desiderant, ad ipsum Eichhornii librum delegamus. Hypothesi eius de forma dramatica libri argumenta non contemnenda opposuit *Langius* in Introductione pag. 24. sqq. — Novissima huius libri enarratio ortum debet Viro S. V. *Ge. Henr. Aug. Ewald (Commentar. in Apocalypsin Iohannis exegeticus et criticus*, Lips. 1828.). Huic V. D. summum Apocalypseos argumentum hoc est, ut *Christianos tum temporis maximis malis oppressos* et *a gentilium furore coeco vexatos adventu Christi vindicis* pios remunerantis, impios, gentiles imprimis punientis, *vivide describendo consoletur* et ne metu fidem deserant adhortetur minis immixtis. — *Quatuor* statuit libri partes: *inscriptionem* et introitum I, 1 — 8.; *visionem breviorem cum septem epistolis* I, 9 — III, 22.; *longam visionum connexarum seriem* IV, 1. — XXII, 5. et *conclusionem* XXII, 6 — 21. De hisce libri partibus earumque *nexu artificioso* pluribus agit in Prolegg. pag. 15. sqq. Librum hunc versus Galbae imperii finem, seu potius, cum auctor Roma procul abesset, paullo serius post Galbae caedem a. 69. scriptum censet. Ioannem, Apocalypseos auctorem, diversum esse ab Apostolo, firmissime sibi persuasum habet, ductus potissimum indiciis internis, a *dictione* et *sermone internaque* operis *indole* petitis. „Habemus igitur (ait p. 78.) Ioannem quidem auctorem, sed eum ab Apostolo diversum, eumque

aliunde haud notum; qui enim Ioannes Act. XV, 37. 39. *Marci* cognomen gerit, is cum ipse Marcus, evangelii scriptor, sermone graeco a nostro auctore satis alienus videatur, non minus huc pertinere videtur quam Ioannes synedrii assessor Act. IV, 6., quem quis forsan Christi fidem postea amplexum esse putet. Maneat unum hoc, Ioannem hunc prophetam Hierosolymis, ut videtur, in Iudaeorum scholis educatum et serius in Asiae regiones delapsum opus edidisse. Quod quidem opus quam facile seculo secundo Ioanni apostolo clarioris nominis tribui potuerit, satis apparet." Nihil tamen iustae libri auctoritati detrahendum existimat. „Nam (pergit p. 79.), cum omnino libri cuiusdam sacri gravitas non ab auctore, sed ab argumento totaque indole sua proba sui ipsa patrocinium sustinente pendeat, nil omnino libro huic inest, quod plurimos aevi illius Christianos non idem sensisse putes; quaeque ad miseros coaevos solandos affert, ea ipsa qua depicta sunt forma tum quidem plurimam vim habuisse patet. Et quanquam nostris temporibus paucas tantum ex hoc libro ideas in vulgi usum adhiberi posse plurimi iure forsan statuant, at gratulemur literis his, unum saltem huius generis ex antiquitate christiana summa scriptum superesse idque tantis virtutibus ornatum, ut maiore etiam, quam Danielis liber, iure in canone servatum esse fatendum sit." Plura vid. in ipso *Ewaldi* libro.

CAP. I.

1. More veterum Prophetarum titulum carmini suo praemittit auctor, simulque oraculum suum ab argu-

menti gravitate et utilitate commendat, Vs. 1 — 3. Ἀποκάλυψις Ἰησοῦ Χριστοῦ) i. e. *Haec est revelatio arcanarum rerum, facta per Iesum Christum.* Ante ἀποκάλυψις supple ἥ δὲ ἐστὶν. Ἀποκαλύπτειν est aliquid tectum et velatum, ablato desuper operimento ostendere, et proferre in lucem. Est igitur h. l. ἀποκάλυψις praedictio futurorum, per se incognitorum, nisi manifestentur divino munere. ἣν ἔδωκεν αὐτῷ ὁ θεὸς) *Quam* (revelationem) *tradiderat ei Deus*, quam et ipse olim a Deo edoctus erat. Quicquid enim Christus in his terris agens docuit, id a Patre acceperat. Io. VII, 16. VIII, 28. 38. XII, 49. XIV, 10. δεῖξαι — ἐν τάχει) *Ut nominis sui cultoribus significaret per visa, quae ex decreto divino certissime eventura sint.* Sic *Eichhornius* vertit. Δεῖξαι, הַרְאוֹת, *res futuras significare per visa.* Δεῖ refertur ad *decretum divinum*, ut Luc. XXIV, 26. Act. IV, 12. Ex verbis ἐν τάχει, *celeriter, brevi tempore*, concludunt nonnulli, vaticinia huius libri dudum esse impleta. Alii tantum de completionis initio accipiunt. *Eichhornius* explicat *certistime*, quia vates magnas rerum conversiones *maturas* declarare solent, ut earum *certitudinem* exprimant, Ies. XXVI, 20. LIV, 8. Mal. III, 1. 2. Hagg. II, 6. Sic Ies. X, 22. 23. כָּלָיוֹן חָרוּץ *interitus festinans* est *certissimus.* καὶ ἐσήμανεν — Ἰωάννῃ) *Et significavit per angelum servo suo Ioanni.* Ἀποστείλας, sc. αὐτήν. Post ἐσήμανεν pone comma, et construe hoc verbum cum τῷ δούλῳ αὐτοῦ Ἰωάννῃ. διὰ τοῦ ἀγγέλου) Angelum intellige praecipuum quendam angelorum. Ewaldus: Mirum hic videri possit, *unum* tantum angelum memorari,

quanquam infra XVII, 1. XXI, 9. aliorum etiam Ioannem de signis docentium mentio fit. Res sic cogitanda. Unus tantum angelus et ab initio Ioanni appareat in coelum eum vocans IV, 1., et per singulas visiones eum comitatur, quanquam raro mentio eius ibi iniicitur, et tandem conspectis omnibus eum dimittit XXII, 6—17.; possunt tamen et alii interpretis munere subinde fungi, imprimis rerum repraesentandarum, quas ipsi gerunt, gnarissimi; et hi quidem suis muneribus et nominibus distinguuntur, ut XVII, 1. XXI, 9. illius nomen in visionum serie, utpote ab initio noti, reticetur (cf. λέγει XIX, 9. XXI, 5. εἶπε XXII, 6.).

2. Ὃς ἐμαρτύρησε—τοῦ θεοῦ) *Qui docuit religionem divinam.* Μαρτυρεῖν plerumque Dativum regit: at hic Accusativum, quia ponitur pro κηρύσσειν sive ἀναγγέλλειν. καὶ τὴν μαρτυρίαν—εἶδε) *Et res gestas Iesu Christi, quas vidit.* Per μαρτυρίαν metonymice intelliguntur res ipsae, de quibus fertur testimonium; ea quae fecit Christus, ut sequentia ostendunt: καὶ ἅτινά εἰσι, καὶ ἃ χρὴ γενέσθαι μετὰ ταῦτα. Videntur haec verba, quae codd. et verss. multae addunt, ex comm. 19. huc irrepsisse.

3. Μακάριος — προφητείας) i. e. ταύτης προφητείας, ut bene Vulgatus intellexit. Beatos praedicat legentes haec vaticinia, quia Christianis ubique vexatis magnum solatium afferre poterant praesignificatae Dei ultionis in Iudaeos et Romanos. Οἱ ἀκούοντες etc. additur, quia liber hic non statim ad omnes erat perventurus, sed qui eum nacti erant, aliis ea, quae legerant,

bona fide erant recitaturi. καὶ τηροῦντες — ἐγγὺς) Τηροῦντες, *memori animo retinentes*, ut nempe praedictiones cum eventibus comparent. Ὁ γὰρ καιρὸς ἐγγύς, ut Vs. 1. ἐν τάχει.

4. Ἰωάννης — Ἀσίᾳ) *Prologus* docet oraculi argumentum ad Christianos pertinere. Et primo quidem introitu epistolico salutantur ecclesiae, Vs. 4 — 8. Ἰωάννης, sc. ἐπιστέλλει ταῦτα. In Asia proprie sic dicta. Istae septem ecclesiae infra nominantur. χάρις — ὁ ἐρχόμενος) *Omnis generis felicitas vobis contingat ab eo, qui est, et erat, et erit*, i. e. a Iehovah. Articulus τοῦ post ἀπὸ deest in nonnullis codicibus, sed omnino supplendus est, et pertinet ad complexum eorum quae sequuntur, ut si quis dicat: ἀπὸ τοῦ ὀνόματος ὁ ὤν etc. Nam *qui est, qui erat, et qui venturus est*, explicatio est nominis tetragrammati, quod vocant *Iod, He, Vau, He*. Quum id indeclinabile sit, non mirum si eius interpretamentum etiam indeclinabile. *Maimonides* More Nevochim: *Scito nomen Dei effusum esse super* τὸ *ipse fuit, est, et erit.* καὶ ἀπὸ τῶν — θρόνου αὐτοῦ) Πνεύματα sine dubio hic sunt *angeli*. *Septem* autem angelos esse, qui ministrant coram Deo, vetus est Iudaeorum opinio. Formant nempe Hebraei aulam Dei ad magnificentissimam aulam Persarum Regis, cui septem principes adstabant. Tob. XII, 15. Ἐγώ εἰμι Ῥαφαὴλ, εἷς ἐκ τῶν ἑπτὰ ἁγίων ἀγγέλων, οἱ προσαναφέρουσι τὰς προσευχὰς τῶν ἁγίων, καὶ εἰσπορεύονται ἐνώπιον τῆς δόξης τοῦ ἁγίου. *Targum Ionathan* in Gen. XI, 7. *Dixit Deus septem angelis, qui stant coram illo: venite nunc. Pirke Elieser* 4. et VII. *angeli, qui creati sunt primi, ministrant coram eo extra ve-*

lum, *quod vocatur paragauda.* Plura loca habet Wetstenius. Quomodo *Spiritus sanctus* hic possit intelligi, quum expresse *septem Spiritus* nominentur, equidem non video. Nec Spiritus S. *coram throno Dei* esse, dici potest, quod est ministrorum. Qui tamen argumenta pro hac interpretatione nosse velit, inveniet apud *Moldenhawerum* in h. l. Repugnare quidem videtur, quod Ioannes ecclesiis precatur salutem a septem spiritibus, quum a Deo solo petenda sit salus. Sed commode intelligi potest locus de ministerio angelorum, quo Deus uti solet ad impertienda varii generis bona hominibus piis. Non multum differt *Grotii* expositio, qui denotari existimat septem illa velut membra providentiae divinae, quae nominantur infra cap. V, 12. et VII, 12. Nam angeli ex opinione Iudaeorum sunt ministri providentiae divinae. Durior, si verba et mentem Scriptoris spectes, esse videtur *Eichhornii* explicatio, cui τὰ ἑπτὰ πνεύματα sunt *ipsa Dei natura perfectissima.* Optime hanc rem tractans, *Ewaldus* observat haec: „Vim divinam in terra se exserentem (τὸ πνεῦμα) antiquitus Hebraei unam semper eandemque habuere Ies. XI, 2. Serius paullatim, imprimis exteris Chaldaeorum Persarumque philosophematibus admixtis, non tantum τὸ πνεῦμα ut substantia a Deo segregata et Dei ministra, mundum permeans, cogitari coepit 1 Reg. XXII, 21.; sed etiam singulae Dei vires et virtutes magis magisque separatae et quasi divisae substantiarum a Deo diversarum speciem induebant; solebantque a Iudaeis simul ad *numerum* quendam sacrum, ut *ternarium*, *septenarium* (male id ex Ies. XI, 2. derivavere), *denarium* revocari.“

5. Καὶ ἀπὸ Ἰησοῦ — αἵματι αὐτοῦ) Ante ὁ μάρτυς nonnulli supplent ὃς ἐστὶ, *qui est fidus ille testis.* Sed frequens est in hoc libro appositio, casu obliquo et recto. Ὁ μάρτυς h. l. est *doctor*, ut μαρτυρεῖν supra Vs. 2. *docere*, et Christus dicitur *doctor fidelissimus*, summa fide dignus, ὁ μάρτυς ὁ πιστὸς, quia in omnibus, quae Dei nomine ad nos pertulit, dignissimus est cui credatur. Ὁ πρωτότοκος ἐκ τῶν νεκρῶν, i. e. *qui mortuorum primus resuscitatus est ad vitam immortalem.* Vide 1 Cor. XV, 20. Col. I, 18. et ibi dicta. Ὁ ἄρχων τῶν βασιλέων τῆς γῆς, *princeps regum terrenorum*, cuius tanta est potentia, ut omnes, qui vobis adversantur, ubi volet, sit destructurus, aut sibi subiecturus. Τῷ ἀγαπῶντι (alii legunt ἀγαπήσαντι) ἡμᾶς. Novus hic incipit sensus, et connectuntur Dativi hi cum eo quod sequitur: αὐτῷ ἡ δόξα. Λούσαντι — αἵματι αὐτοῦ, *qui purgavit nos a peccatis nostris morte sua cruenta.*

6. Καὶ ἐποίησεν — πατρὶ αὐτοῦ) Sensus est: *Qui effecit, ut ipso Deo iudice, summo, qui hominibus contingere potest, honore fruamur.* Copula cum verbo hic est loco Participii; recta enim locutio fuerat ποιήσαντι. Βασιλεῖς, vel ut alii rectius legunt βασιλείαν, quod ipsum tamen positum est pro βασιλεῖς, sicut ἱεράτευμα pro ἱερεῖς, 1 Petr. II, 5. 9. Nulla inter homines dignitas maior cogitari potest dignitate regia et sacerdotali. Cum hac igitur comparatur dignitas Christianorum, qui vitiis purgati, mundi et sancti sunt, adeoque cultores Dei omnibus virtutibus ornati. Illud καὶ ante πατρὶ est ἐξηγητικὸν, ut in multis aliis locis. αὐτῷ ἡ δόξα — ἀμὴν) Eadem verba

1 Petr. IV, 11. Est autem hoc *Amen* et affirmantis et approbantis.

7. Ἔρχεται μετὰ τῶν νεφελῶν) i. e. *veniet in summa maiestate*, manifestabit potentiam, iustitiam et summam bonitatem, in puniendis hostibus, et servandis tuendisque cultoribus suis. Quoties enim Deus in nubibus venire dicitur, toties describitur eius maiestas. Vid. Deut. XXXIII, 26. Ps. XVIII, 9. 10. Plerique interpretes hic intelligunt ultionem, quam Christus de incredulis Iudaeis et Romanis sumsit. καὶ ὄψεται — ἐξεκέντησαν) i. e. omnes, ii etiam, qui eum cruciandum tradiderunt, agnoscent eius maiestatem. Ultima verba desumta sunt ex Zach. XII, 10. De varietate lectionis vide *Dathii* notas criticas ad hunc Prophetae locum. Talia dicta, ut monet *Grotius*, varie usurpantur; quia aut erant proverbialia, antequam prophetae ea ponerent, aut ex prophetarum scriptis facta sunt proverbialia. Hic intelligendi videntur in genere omnes ii, qui Christum et ecclesiam eius omnibus modis vexarunt. καὶ κόψονται — τῆς γῆς) *Plangent ob eius adventum omnes terrae gentes.* Ἐπ' αὐτόν, *propter eum* plangent, i. e. ob eius adventum, quia mala ipsi et ecclesiae eius intulerunt. Ἐπὶ, *propter*, hebr. עַל. Φυλαὶ saepe de populis usurpatur, ut Gen. XXVIII, 14. Ps. LXXII, 17., ubi in Hebraeo גּוֹיִם. ναὶ, ἀμήν) *Certe, omnino ita eveniet.* Ioannes non tantum certissime haec eventura esse praedicit, sed et approbat futura Dei iudicia. Idem significant ναὶ et ἀμήν. Sed placuit uti utroque sermone, quia haec tangunt et Iudaeos et gentes.

8. Ἐγώ εἰμι—καὶ τέλος) *Ego sum ab aeterno in aeternum. Omnium primus sum, nec unquam finem sum habiturus.* Verba ἀρχὴ καὶ τέλος omittuntur in codicibus nonnullis, versionibus et Patribus. Τὸ Α καὶ τὸ Ω, i. e. *ante me non fuit alius Deus, et post me non erit ullus.* Est locutio a Rabbinis desumta, qui dicunt מאלף ועד תו, *ab initio ad finem.* Ioannes eam locutionem aptavit ad Alphabetum graecum, quia ipse graece scribebat. Verbis ἀρχὴ καὶ τέλος explicari videtur illud ἐγώ εἰμι τὸ Α καὶ τὸ Ω. Potest etiam ἀρχὴ esse is, qui omnibus rebus initium dat, et τέλος, qui rebus finem imponit, quando libet. ὁ παντοκράτωρ) Non sine caussa hoc additum. Nam hominibus evenit, ut promissa non impleant, aut per inconstantiam aut per impotentiam. Quare utrumque a Deo removendum fuit, ad oraculi certum complementum indicandum.

9. Iam indicatur (Vs. 9 — 20.) quo loco ac tempore Ioannes futuri temporis eventus per visa resciverit, eique officium litteris illa tradendi iniunctum fuerit. συγκοινωνὸς — Ἰησοῦ Χριστοῦ) *Socius calamitatum et regni, et constantiae Iesu Christi*, i. e. *qui propter Iesum Christum (ad eius exemplum) constantissime calamitates perfero, ut summa olim felicitate cum eo fruar.* Verba graeca intelligenda esse videntur κατ' ὑστερολογίαν, et ita eadem suberit sententia, quae 2 Tim. II, 12. εἰ ὑπομένομεν καὶ συμβασιλεύσομεν. Βασιλεία hic significat spem validam illud regnum adipiscendi. Notum Iudaeos post exilium se cum Messia victore ceteris gentibus, quibus se saepius gravissime oppressos viderant, imperaturos putasse

(cf. Dan. VII, 18. 27.; fons opinionis est imprimis Ps. II, 8. 9. ad Messiam translatus); quam de regno Dei non sine superbia quadam mox accedente conceptam opinionem sapienter Iesus et eius discipuli sic limitarunt, ut *probos* et *fidos* tantum olim cum Christo regnaturos declararent, quasi ipsa postularet iustitiae aeternae ratio, ut qui inter innumera, quibus iam premantur, mala probi et constantes regios mores prae se ferunt, ii olim ceteris feliciores et potentiores se futuros sperent, cf. 1 Cor. VI, 2. sqq. Apoc. II, 26. 27. III, 21. V, 10. XX, 6. XXII, 5.; quae non de tyrannide in alios exercenda, sed de quieto tantum et servitutem duram subire nescio rerum christianarum statu intelligenda sunt. ἐγενόμην — Πάτμῳ) Ἐγενόμην ἐν τῇ νήσῳ, *delatus sum in insulam*, ut γενέσθαι ἐν Ῥώμῃ, *pervenire Romam*, 2 Tim. I, 17. *Patmus* est insula in mari Aegeo, una ex Sporadibus; hodie audit *Patina* vel *Palmosa*. *Tournefortius* itin. Tom. II, p. 143. Patmos insula nonnisi XVIII. M. p. in circuitu habet; — distat a Co insula LX. M. P. — non multum supra trecentos incolas habet. Deportatio in insulas frequens poena eo tempore. Electae autem ad hoc plerumque insulae exiguae et prope desertae, qualis Seriphus et Gyaros apud Iuvenalem et Tacitum. Ioannem Apostolum in Patmum a Domitiano delegatum esse ibique Apocalypsin scripsisse, Veterum nonnulli tradunt. Quae tamen traditio e solo hoc Apocalypseos loco hausta est. Quare qui Ioannem, huius auctorem, alium faciunt, quam Apostolum, ad *Apostolum* Ioannem haec serius male translata esse credunt. διὰ τὸν — Ἰησοῦ Χριστοῦ) Τὸν λόγον τοῦ θεοῦ nonnulli eodem sensu accipiunt, quo initio Evangelii Ioan-

nis occurrit. Alii intelligunt doctrinam divinam. *Μαρτυρία Ἰησοῦ Χριστοῦ, doctrina Christiana.*

10. Ἐγενόμην — ἡμέρᾳ) Ἐγενόμην ἐν πνεύματι idem est quod Act. X, 10. ἐπέπεσεν ἐπ' ἐμὲ ἔκστασις. Κυριακὴν ἡμέραν Christiani vocarunt eam diem, quae Iudaeis dicitur μία σαββάτων, ob resurrectionem Domini, quae ea die contigerat; quo die conventus Christianos solitos fieri, et Pauli Epistolae nos docent, et Iustinus Apologetico II., ubi Graecorum more diem eum Solis nominat. *Diem dominicum paschalem* hic intelligi, *Eichhornius* arbitratur; is enim dies interdum ἡ κυριακὴ ἡμέρα dictus est, διὰ τὸν ἐν αὐτῇ ἀναστάντα κύριον, ut ait Chrysostomus in Ps. CXIX. Cf. *Suicer* in thesaur. eccles. sub voce κυριακὴ, πάσχα, ἡμέρα. Hunc autem diem Poëta, ut viso suo maxime idoneum elegisse videtur propterea, quod futurus Christi reditus in ipsis paschalibus vigiliis ab antiquis Christianis exspectaretur; unde factum est, ut sacros illius noctis conventus ad mediam usque noctem protraherent, ne forte alto somno oppressi et imparati a Iesu Christo in ipso suo reditu deprehenderentur. Vid. *Hieron.* ad Matth. XXIV. καὶ ἤκουσα —λεγούσης) Ἤκουσα, nempe ἐν πνεύματι, ut modo dixerat. Non extiterunt hae imagines in rerum natura, sed animo tantum eius repraesentatae fuerunt. Ὀπίσω μου respicit locum Ies. XXX, 21. Magis improvisa sunt, quae a tergo obveniunt. Cf. et Exod. III, 2. sqq. Quod vocem divinam ut *tubae* audit, exinde explicandum est, quod (observante *Ewaldo*) *tubae* huius hebraicae sonitus *tonitru* fragorem refert; unde cum in Iehovae apparitione tubae memoria iniecta esset Exod.

XIX, 19. 20., seriores saepius tubarum in tali fictione mentionem iniiciunt, unde etiam tubae sonitum Messiae adventanti praecinere credebant. Vid. Matth. XXIV, 31. 1 Cor. XV, 52. 1 Thess. IV, 16.

11. Ἐγά—ἐ ἔσχατος) Vide supra Vs. 8. ὃ βλέπεις — ἐκκλησίαις ταῖς ἐν Ἀσίᾳ) Verba ταῖς ἐν Ἀσίᾳ desunt in plurimis codicibus et versionibus. Ὃ βλέπεις, i. e. *quod iam videbis et audies.* Est enim Praesens pro futuro proximo; et videre pro quovis sensu. Καὶ πέμψον, nempe harum visionum descriptionem. εἰς Ἔφεσον — Λαοδικείαν) Sunt hae urbes nobilissimae Ioniae, Lydiae, Aeolidos, Cariae, et eodem ordine enumerantur, quo ex Patmo insula adiri debebant, ut notat *Wetstenius* ad h. l.

12. Καὶ ἐπέστρεψα—μετ' ἐμοῦ) Ἐπέστρεψα (εἰς τὸ) βλέπειν. *Respexi, ut cognoscerem;* nam verba sensuum apud Hebraeos saepe permutantur. Vel per metonymiam *vocem* nominat, quum ipsum, qui loquebatur, intelligi vellet. Recte autem respexisse se dicit, quia a tergo vox sonabat. καὶ ἐπιστρέψας — χρυσᾶς) Fingit Poëta, se delatum esse in locum augustum, septem candelabrorum luminibus collustratum. Locus ille erat templum Iesu Christi in his terris; septem autem candelabra sunt emblema septem ecclesiarum, ut ipse auctor infra Vs. 20. explicat. Genus docendi per emblemata antiquis temporibus valde usitatum fuit. Plutarchus de garrul. οἱ δὲ συμβολικῶς ἄνευ φωνῆς ἃ δεῖ φράζοντες, οὐκ ἐπαινοῦνται, καὶ θαυμάζονται διαφερόντως; *Clemens Alex.* Strom. p. 409. edit. Sylb. καὶ Αἰγύπτιοι πρὸ τῶν ἱερῶν τὰς σφίγγας ἱδρύονται, ὡς αἰ-

νιγματώδους τοῦ περὶ θεοῦ λόγου καὶ ἀσαφοῦς ὄντος pag. 413. *Ἀλκῆς μὲν καὶ ῥώμης σύμβολον αὐτοῖς* (Aegyptiis) *ὁ λέων — ἀλκῆς τε μετὰ συνέσεως, ἡ σφίγξ τὸ μὲν σῶμα πᾶν λέοντος, τὸ πρόσωπον δὲ ἀνθρώπου ἔχουσα.*

13. *Καὶ ἐν μέσῳ — ἀνθρώπου*) In ipso illo templo tot luminibus collustrato vates Iesum Christum, cuius, tanquam naturae coelesti corpore indutae, ornata et exquisita descriptio nunc sequitur. Nomen ipsum Messiae reticetur, ex predicatis insignibus colligendum. Forma, quae Christo h. l. tribuitur, est Symbolum potentiae eius summae et maiestatis. Huius imaginis partes singulae respiciunt septem epistolas, quae c. II. III. continentur. *Ὅμοιον υἱῷ ἀνθρώπου*, *similem homini*; nam *υἱὸς ἀνθρώπου*, *homo*, ut Dan. VII, 13. Dicitur autem Christus versari in medio candelabrorum, quia adest ecclesiis, sicut et de Deo *ἐμπεριπατεῖν* usurpat Moses, Levit. XXVI, 22. *ἐνδεδυμένον ποδήρη*) Sc. *χιτῶνα*, vel *ἐσθῆτα*. Glossae: *Talaris tunica*, *ποδήρης χιτών*. Describitur Christus habitu Pontificis Maximi, cuius vestes recenset Ioseph. Ant. III, 7. 4. *καὶ περιεζωσμένον — χρυσῆν*) Pontificis Maximi balteus sive zona erat aurea, ut Iosephus l. c. docet. Erat etiam *regum*, balteos gestare aureos, Hiob XII, 18.

14. *Ἡ δὲ κεφαλὴ—ὡς χιών*) Auctor ad Herennium I, 4. *Corpore niveum candorem*, *aspectu igneum ardorem assequebatur.* *Λευκὸν* h. l. idem significare videtur, quod *λαμπρὸν*, ut est apud Hesychium. Ergo verborum: *Capillus capitis eius albedine aequabat lanam et nivem*, sensus est: micabat. Ceterum nihil

peculiare significare videntur hae et sequentes descriptiones, nisi augustam formam. καὶ οἱ ὀφθαλμοὶ — πυρός) Symbolum summae gravitatis, et in impios severitatis. Lucretius: *Et ex oculis micat acribus ignis.* Sueton. Aug. 79. *Oculos habuit claros ac nitidos, quibus etiam existimari voluit inesse quiddam divini vigoris; gaudebatque, si quis sibi acrius contuenti, quasi ad fulgorem Solis, vultum submitteret.* Statius Sylv. I, 1. 103. *Tua sidereas imitantia flammas lumina contemto mallet Rhodos aspera Phoebo.*

15. Καὶ οἱ πόδες—χαλκολιβάνῳ) *Pedes eius erant similes orichalco.* Inest in hac imagine Symbolum potentiae Christi, cui nihil resistere potest, qui omnes hostes conculcat. Suidas: χαλκολίβανον εἶδος ἠλέκτρου, τιμιώτερον χρυσοῦ. Ausonius in Technopaeg. apud *Salmasium* exerc. p. 810. ὁ λίβανος ἔχει τρία εἴδη δὲ δένδρων καὶ ὁ μὲν ἄρρην ὀνομάζεται χαλκολίβανος, ἡλιοειδὴς καὶ πυρρὸς, ἦγουν ξανθός. *Eustathius* in Od. δ. ἤλεκτρος δὲ ἴσως μὲν καὶ ὕλη τις κατὰ τοὺς πολλούς, χαλκάδης ἰδιαιτάτη παρὰ τὸν ἁπλῶς χαλκὸν, μάλιστα δὲ μίγμα τι χρυσοῦ καὶ ἀργύρου. ὡς ἐν καμίνῳ πεπυρωμένοι) Significatur aes et sua natura praestans, et praeterea igne purgatum. καὶ ἡ φωνὴ—πολλῶν) Sic de Cherubinis Ezech. I, 24. et de maiestate divina c. XLIII, 2. Sicut tubae, ita maris clangentis ingens est sonus. Etiam hoc pertinet ad descriptionem maiestatis Iesu.

16. Καὶ ἔχων — ἑπτὰ) Quum homines in dextra gemmas et annulos gestare soleant, ille, qui Ioanni apparuit in visione, septem stellas in dextra habuit.

His septem stellis autem denotari septem ecclesiarum episcopos, ex Vs. 20. patet. Significatur per id, bonos episcopos atque doctores in magno apud Christum esse pretio, et ab eo sollicite custodiri. καὶ ἐκ—ἐκπορευομένη) Gladio acuto significatur efficacitas doctrinae Christi, penetrantis intima, neque actiones tantum, sed et cogitata bona malaque discernentis. καὶ ἡ ὄψις—δυνάμει αὐτοῦ) *Tota facies eius ita splendebat, sicut sol, quum splendet maxime.* Ἐν τῇ δυνάμει αὐτοῦ, i. e. *quum medius, rapidus et flagrans est,* ut Gellius loquitur.

17. Ἔπεσον—νεκρός) Prae metu. Veteres enim sibi persuadebant, neminem sine mortis periculo intueri posse aliquod numen coeleste. Idem Apostolis evenit, Matth. XVII, 6. ἐγώ εἰμι—ἔσχατος) Ὁ πρῶτος dicitur h. l. Christus, quia est *summus dignitate*, postquam ad dextram Dei evecto omnis potestas in coelo, terra et inferis data est. Ἔσχατος, i. e. *contemtissimus hominum*, nimirum irrisus, verberatus, flagris caesus, addictus supplicio, et quidem servili. Alii hic eodem sensu sumunt quo supra Vs. 8. Eichhornius colon ponendum esse putat post ἐγώ εἰμι, *ego sum,* (Matth. XIV, 27. germanice: *ich bin's)* h. e. „ego, qui te alloquor, is sum, ad cuius olim pectus toties accubuisti. Nec tamen mirum est, me augusta, oculos tuos perstringente forma indutum a te cerni: *is enim sum, qui nunc inter viventes sui similem non habet.*“ Ὁ πρῶτος καὶ ὁ ἔσχατος est *in suo genere unicus* (Vs. 8.); ita vero Christus appellatur *ratione vitae,* ad quam redierat.

18. Καὶ ὁ ζῶν—τῶν αἰώνων) Ὁ ζῶν, i. e. ὁ ζωοποιῶν, quo sensu ζῶν ponitur et Io. VI, 51. Ἐγενόμην νεκρὸς *et ipse tamen mortem revera subii.* Hoc ideo dicitur, ut sciatur is esse, qui misereri aliorum posset Hebr. IV, 15. Id vero maxime pertinebat ad demendum Ioanni metum illum ex maiestate Christi susceptum. καὶ ἔχω — τοῦ θανάτου) i. e. habeo ius summum vitae et necis. *Targum Hieros.* in Genes. XXX, 22. *Quatuor sunt claves, quae in manu Dei repositae sunt, et quas neque Angelo neque Seraphino committit, nempe clavis pluviae, clavis cibationis, clavis sepulcrorum, et clavis mulieris sterilis.* Multa similia loca ex Rabbinis habet *Wetstenius.* *Clavis* imperium potestatemque significat. Θάνατος est *mors; ἅδης status post mortem.* Sensus itaque est: Mihi imperium in mortuos et mortem competit.

19. Γράψον—μετὰ ταῦτα) Ἃ εἶδες, visionem Vs. 11—16. Καὶ ἃ εἰσι, nempe statum ecclesiarum septem Asiaticarum. Καὶ ἃ μέλλει γίνεσθαι μετὰ ταῦτα, quae futura sunt, et scribentur c. IV. et deinceps.

20. Τὸ μυστήριον — τὰς χρυσᾶς) Τὸ μυστήριον, מְרַרְשׁ, explicatio allegorica, mystica, vel arcana emblematum visorum significatio. Τὰς ἑπτὰ λυχνίας τὰς χρυσᾶς, breviter pro τὸ μυστήριον τῶν ἑπτὰ λυχνιῶν. sc. ἐστι τοῦτο. οἱ ἑπτὰ—ἐκκλησιῶν εἰσι) Summi Sacerdotes dicti ἄγγελοι, *(nuntii)* Hebraeis, quia et Dei mandata ad populum, et preces populi ad Deum deferrent angelorum instar. Hoc loquendi genus ab Hebraeis venit ad Aegyptios, qui et ipsi τὸν ἀρχιερέα

dixere ἄγγελον. Summis sacerdotibus templi respondent in ecclesia Christiana principes presbyteri, οἱ προεστῶτες apud Iustinum, qui κατ' ἐξοχὴν dicti episcopi.

CAP. II.

Sequuntur epistolae ad septem episcopos Asiae scriptae. Episcoporum nomine autem ecclesias, quas illi curabant, simul intelligi, multis argumentis *Eichhornius* ostendit, omnino hic conferendus. Vid. supra c. I, 11. coll. 4. XXII, 16. Epistola ad Episcopum ecclesiae Ephesinae, Vs. 1—7.

1. Τῷ ἀγγέλῳ — γράψον) Hunc quidam Timotheum fuisse putant; Grotius alium aliquem gente Iudaeum. τάδε λέγει — χρυσῶν) Respicitur ad formam filii hominis supra c. I, 13. descriptam. Ut pontifex curat candelabrum, ita ego ecclesiam, illamque intime perspectam habeo. „In Ephesina ecclesia, quam satis mature iam conditam, firmatam et auctam fuisse ex Pauli in ea urbe commoratione diuturna Act. XIX, 1. — XX, 12. patet, Christiani fortiter quidem illo tempore et fidem suam inter maxima pericula servaverant, et doctrinam genuinam a Paulo traditam contra cuiusque generis haereticos propugnaverant, sincere a Paulo discedente Act. XX, 29 — 35. hac de re moniti; sed iidem post Pauli discessum amorem inter se mutuum et charitatem pauperibus exhibendam neglexerant, divitiis scilicet suis elati et avaritiae sordidae dediti. Igitur laudes cum vituperio miscentur. Quod episto-

lae omnes formula τάδε λέγει incipiunt, inde explicandum est, quod Iohannes in ipsis epistolis ut in toto opere *prophetam* simul se gerit, ut epistola quaevis, salutandi quoque formula destituta, vaticinii quoque speciem referat." *Ewaldus.*

2. Οἶδα — ὑπομονήν σου) Τὰ ἔργα σου, *Novi quidquid agis*, tam bona quam mala facinora. τὸν κόπον καὶ τὴν ὑπομονήν σου, per Hendyadin, pro: τὴν ἐν τῷ κόπῳ ὑπομονήν, laborum, et quidem gravium, quales episcopis incumbere solent, patientiam. καὶ ὅτι — κακοὺς) i. e. *Quod aegre sustines malos.* Saepe *non posse* quis dicitur, quod ab ingenio eius abhorret. Καὶ ἐπείρασας—οὐκ εἰσὶ) *Et explorasti eos, qui dicunt, se Apostolos esse, quum non sint.* Falsi doctores, qui hic notantur, fuerunt fortassis strenui Iudaismi defensores, inprimis tales, qui se e disciplina Ioannis Baptistae progressos iactabant. Act. XVIII, 25—28. XIX, 2. XXIV, 25.

3. Καὶ ὑπομονὴν ἔχεις καὶ ἐβάστασας — ἐκοπίασας) Pro ὑπομονὴν ἔχεις καὶ ἐβάστασας alii habent: ἐβάστασας, καὶ ὑπομονὴν ἔχεις, καὶ etc. sicuti etiam κεκοπίακας, καὶ οὐ κέκμηκας pro καὶ οὐκ ἐκοπίασας. Ὑπομονή, nempe in adversis. Διὰ τὸ ὄνομά μου, mea de caussa, propter professionem nominis mei, vid. not. ad Io. XVII, 11. Κοπιᾷν h. l. idem est quod *delassari*, *lassum fieri.* Eleganter opponuntur: οὐ δύνῃ βαστάσαι — et ἐβάστασας· οἶδα τὸν κόπον σου, et οὐκ ἐκοπίασας. Ferre potes adversa propter Christum et molestias: at non potes ferre pseudapostolos. Novi laborem tuum, in ferendis malis: non tamen despondes

animum neque fatiscis. Ita vox κλίνης comm. 22. ambigue sumitur, pro lecto adulterae et pro lecto aegrotantis.

4. Ἀλλ' ἔχω — ἀφῆκας) Ἔχω κατά σου, *habeo aliquid, quod de te querar.* Τὴν ἀγάπην σου τὴν πρώτην ἀφῆκας, multum remisisti de prima illa cura circa pauperes, vel potius de amore erga me. Τὴν πρώτην, i. e. illam adeo ferventem. Solet enim acribus animis cum tempore lassitudo quaedam obrepere. Ceterum πρῶτος in N. T. ex more Hebraeorum, in singulis vocabulis comparativum et superlativum non distinguentium, pro πρότερος ponitur.

5. Μνημόνευε οὖν, πόθεν πέπτωκας) Vel ut alii habent, ἐκπέπτωκας. Memor esto, quantum in prioris pietatis studio de viribus remiseris. Cicero ad Attic. IV, 17. Non recordor, unde ceciderim: sed unde resurrexerim. ἔρχομαί σοι — μετανοήσῃς) Ἔρχομαι ταχὺ καὶ κινήσω nihil aliud est, quam ταχὺ κινήσω, loco movebo. Sensus est: Te de sede tua deturbabo, et ab officio removebo; vel: ab ecclesia, cui praees, simili morbo laborante, nisi resipuerit, verbum meum auferam. Christus, dominus templi candelabrum removit; quod hodiernus eius loci status docet.

6. Ἀλλὰ τοῦτο — μισῶ) Τοῦτο ἔχεις, *hoc habes*, i. e. hoc laudis tibi eripi nequit. *Nicolaitas* nomen habuisse ab uno primorum diaconorum, *Nicolao*, cuius fit mentio Act. VI, 5. constans fuit veterum opinio. *Eusebius* Hist. Eccl. L. III. c. 29. refert, Nicolaum accusatum ζηλοτυπίας, quod pulcram haberet uxo-

rem, in contrarium cucurrisse, et eandem suam uxorem obtulisse matrimonio iungendam cui vellet. Hoc vero exemplo alios ad libidines excusandas et promiscuam Venerem exercendam fuisse abusos. Wetstenio Nicolai nomen videtur graece positum pro Hebraeo Bileam, quo designatur falsus doctor, qui in clerum Domini dominatur, et spurcas voluptates sectatur, populumque decipit. Nam Νικόλαος est ὁ νικῶν τὸν λαόν, et hebr. nomen בלעם a verbo בָּלַע, *penitus absorpsit, perdidit*, et עָם, *populus*. Haec sententia a verisimili non abhorret. Cf. Vs. 24. Consentiunt *Michaelis* Einleit. in die Schriften des N. B. p. 1196. sq. ed. 3. *Storr* de catholicar. epistolar. occasione et consilio p. 21. sq. et *Eichhornius* ad h. l. Nicolaitarum nomen *proprium* non esse, sed pravorum magistrorum cum Bileamo meram comparationem fieri, ex eo quoque firmatur, (ut *Storr* l. c. observat.) quod eiusdem generis hominibus (Vs. 20. coll. 14.) alia contentione facta, *aliud* nomen imponitur, Vs. 20. coll. 15. 6. Utraque comparatio dicit homines, divini populi duces et magistros ad facienda cum suo exitio eadem scelera, quorum pestiferi auctores veteri populo divino Bileamus et Iesabel fuerant. Docuerunt enim falsi isti magistri, libidinis, eique inservientium epularum idololatricarum, in religione christiana licentiam patere. Eiusdem farinae fuerunt falsi doctores apud Petrum et Iudam. Cf. 2 Petr. II, 10. 13. sq. 18. III, 3. Iud. 8. 16.

7. Ὁ ἔχων—ταῖς ἐκκλησίαις) Ὁ ἔχων οὖς, ἀκουσάτω, est formula attentionem excitantis, saepe in sermonibus Iesu occurrens. *Audiat ille, cui est cura cognoscere, sed animo quantum potest erecto et ai-*

tento. Τὸ πνεῦμα h. l. est *divinum visum*, vel Spiritus S. per Ioannem, vel ipse Christus, τὸ πνεῦμα ἔχων, is enim per totam epistolam loquitur. Λέγει, i. e. iubet dici ecclesiis, nempe Ephesinae et aliis, quae sub Ephesini episcopi cura erant. Τῷ νικῶντι — τοῦ θεοῦ μου) i. e. *Qui (se ipsum) vicerit, (et propter Christum vexari potius quam voluptatibus servire maluerit,) ille aeternum beatus vivet.* Cuius rei symbolum sit esus ex arbore vitae vincentibus promissus, facile patet. Arbor vitae in Paradiso terrestri (Gen. III, 22.) vim habebat confortandi et conservandi vitam hanc mortalem. Sed longe beatiore vita fruentur pii et constantes cultores Christi in Paradiso coelesti. Ἐκ τοῦ ξύλου ζωῆς, *ex arbore vitae*; nam ξύλον Hellenistae ponunt pro γῦ, arbore. Est autem arbor vitae, quae vitam praestat, nempe iucundam, longam, aeternam. Ἐν μέσῳ τοῦ παραδείσου, vel ut alii simpliciter legunt, ἐν τῷ παραδείσῳ τοῦ θεοῦ, i. e. in coelo. De voce παραδείσου confer Luc. XXIII, 43.

8. Καὶ τῷ ἀγγέλῳ τῆς ἐν Σμύρνῃ ἐκκλησίας) Alii habent ἐκκλησίας Σμυρναίων, eodem sensu. Sequitur epistola ad episcopum ecclesiae Smyrnensis, Vs. 8. — 11. Episcopum Smyrnensem tum Polycarpum fuisse, multi putant; alii aliquem eo priorem. „*Smyrnensis* ecclesia a quo condita sit veteres non tradidere, statumque eius ex hac tantum perbrevi epistola augurari licet. Christiani ibi ut e pauperibus tantum collecti erant, ita parvi habiti et despecti, imprimis a Iudaeorum synagoga adeo vexati, ut a magistratu urbis, calumniis Iudaeorum in Christianos effu-

sis moto, certum iam poenae vinculorum periculum immineret. Unde miseros hos, quos paupertas praeterea a vitiorum irritamento defendit, solatur tantum et meliora sperare iubet Iohannes. Cum nec vituperet auctor vitiorum maculas, nec falsos doctores dicat ibi errores sparsisse, interpretes Polycarpum, Iohannis apostoli discipulum pietate insignem, ibi iam tum episcopi munere functum, morum castitati invigilasse credunt; sed parum probabile, Polycarpum, Marco Antonino Imperatore mortuum (Eus. H. E. IV, 15. Iren. adv. haer. III, 3.), sexaginta plus annis episcopi munere esse functum. " *Ewaldus.* τάδε λέγει—ἔζησεν) Ὁ πρῶτος καὶ ὁ ἔσχατος, ut supra I, 17. Ὃς ἐγένετο νεκρὸς καὶ ἔζησεν. i. e. ἀνέζησεν. Hoc eo pertinet, ne idem episcopus mortis metu ab officio abduceretur, sed certus esset, sicut Christus revixit, sic et se revicturum. Smyrnenses pagani praecipue colebant Aesculapium, Apollinis filium, qui et mortuos excitasset, et ipse fulmine percussus in vitam rediisset. Ovid. Metam. XV, 533. de Hippolyto: Nec nisi Apollineae valido medicamine prolis reddita vita. Haec omnia erant ficta. Christus vero ipse post mortem revixit, et alios in vitam revocat.

9. Οἶδα — ἀλλὰ πλούσιος εἶ) Σου τὰ ἔργα, diligentiam in obeundo munere, *virtutem.* Τὴν πτωχείαν, *paupertatem.* Aegre habebat ille episcopus, unde viveret, ideo quod Smyrnae qui essent Christiani, essent pauperes. Ἀλλὰ πλούσιος εἶ, per parenthesin legendum, quasi dicat: *quum tamen dives sis,* nempe pietate et αὐταρκείᾳ (1 Tim. VI, 6. 18.). Opibus terrestribus destitutus, dives tamen es ob vir-

tutem; praemiis olim ornaberis coelestibus, quae thesauris comparantur asservatis Matth. VI, 20. XIX, 21. *καὶ τὴν βλασφημίαν — τοῦ Σατανᾶ*) Βλασφημίαν, *maledicta gravissima.* Iudaeos illos dicit nomine, non re, (quia Deum in Christo patefactum non agnoscebant,) alludens ad originem vocis, plane ut Paulus Rom. II, 28. Vocant se *συναγωγὴν τοῦ Κυρίου*, עֲדַת יְהוָה, Num. XXXI, 16., sed re ipsa sunt Satanae synagoga quia eum imitantur, tum calumniando bonos, tum eorum vitae insidiando. Pari de caussa eos ex diabolo patre esse dixit Christus, Io. VIII, 44. Acta Martyris Pionii docent, ecclesiam Smyrnae a Iudaeis fuisse vexatam, et Epist. eccles. Smyrnensis de martyrio *Polycarpi* apud Euseb. Hist. Eccl. IV, 15.

10. *Μηδὲν φοβοῦ—ἵνα πειρασθῆτε*) Μηδὲν φοβοῦ etc. non metue, etiamsi maiora ingruant. Diabolum dicit facturum, quod facturi erant pagani magistratus, diabolo et Iudaeis instigantibus. Ἐξ ὑμῶν sc. *τινας*. Vexabuntur nonnulli ex vobis non tantum a tumultuante plebe, sed ipsa iudicis sententia. Ἵνα *πειρασθῆτε*, ut magis quam antea periculum fiat constantiae. *καὶ ἕξετε θλῖψιν ἡμερῶν δέκα*) Brevis erit afflictio vestra. Terent. Adelph. V, 1. 36. *decem dierum vix mihi est familia.* Est consolatio ex brevitate temporis. Θλῖψιν hic captivitatem intellige, quod clarum ex praecedentibus. *γίνου πιστὸς—τῆς ζωῆς*) Πιστὸν hic *ἐν πειρασμοῖς* intellige, et periculis ob nominis Christi professionem emersuris. Ἄχρι θανάτου plurimi interpretes exponunt: *persta ad finem usque vitae*, ex Matth. X, 22. XXIV, 13. Pricaeus autem: *Sis fidelis, etiamsi mors intentetur tibi.* Mi-

nucius in Octavio: *Ingenium singulorum* (Deus) *periculis pensitat, ad usque extremam mortem voluntatem hominis sciscitatur. Corona vitae,* est honor regius in vita illa aeterna. Cf. Iac. I, 12.

11. Ὁ ἔχων — τοῦ δευτέρου) Vide supra Vs. 7. Ὁ νικῶν, qui nec paupertate, nec carcere, nec graviorum metu se vinci patietur. Ille οὐ μὴ ἀδικηθῇ ἐκ τοῦ θανάτου τοῦ δευτέρου, liber erit a miseria post mortem corporis: non erit ei metuenda miseria post mortem. Οὐ μὴ ἀδικηθῇ, *ei non nocebit* etc.; nam qui iniuriam patiuntur iis nocetur. *Mortis secundae* mentio saepe fit apud Chaldaeum Paraphrasten et Rabbinos. *Targum Hieros.* in Deut. XXXIII, 6. *Vivat Ruben in hoc seculo et non moriatur morte secunda, qua moriuntur impii in mundo futuro.* Multa loca alia similia collegit *Wetstenius.* Damnationem aeternam esse intelligendam, facile patet. *Mors* enim est calamitas. Mors corporis est miseriae genus; qui autem damnantur, illi aliud genus miseriae, et quidem gravissimum experiuntur.

12. Καὶ τῷ ἀγγέλῳ—τὴν ὀξεῖαν) Pergamus fuit regia Attalidarum. „In Pergamena, de cuius ortu et statu nihil veteres scriptum nobis reliquerunt, ecclesia Christiani egregiam quidem in vexationibus a gentilium haud dubie superstitione profectis constantiam probaverant, ut ne caede quidem Antipae a fide christiana deterrerentur; at graviter Iohannes dolet, quod Nicolaitarum opiniones perversas non repudiaverant.“ *Ewaldus.* De gladio acutissimo cf. I, 16. Describitur Christus tanquam is, qui omnium, etiam intimo-

rum in homine exactissimam facit dissectionem, et omnia rimatur. Imago desumta esse videtur ex historia Bileami; cui angelus cum gladio ancipiti restitit. Num. XXII -- XXV. Multo potentior isto angelo est Christus.

13. Ὅπου ὁ θρόνος τοῦ σατανᾶ) i. e. in loco adeo idolis scatente, ut ibi sedem suam praecipuam videatur Satanas posuisse. Andreas Caesariensis ad h. l. de civitate ista: Κατείδωλον ὑπὲρ τὴν Ἀσίαν πᾶσαν Regnavit ibi Satanas inprimis in Idolo *Aesculapii*. *Tacitus* Annal. III, 63. *apud Pergamum Aesculapii compertum asylum.* De Caracalla *Herodianus* IV, 4. 8. ἠπείχθη εἰς Πέργαμον τῆς Ἀσίας, χρήσασθαι βουλόμενος θεραπείαις τοῦ Ἀσκληπιοῦ. καὶ κρατεῖς τὸ ὄνομά μου) i. e. Quanquam in praecipua paganicae superstitionis sede habitas, tamen retinuisti professionem Christianam. Ex *Ewaldi* sententia Pergamus non propter idololatriam, sed ob *vexationes* potius Christianis in hac urbe subeundas *Satanae sedes* nominatur, coll. Vs. 9. 10.; Satanam igitur hic quasi sedem suam fixisse fingi, quia Christiani ibi acerrime ad necem usque (quod in ceteris epistolis non affertur) infestati erant. Ὄνομα Χριστοῦ est professio doctrinae a Christo traditae. Κρατεῖν, *retinere*. καὶ οὐκ ἠρνήσω -- κατοικεῖ) *Et non negasti religionem meam, ne illo quidem tempore quo Antipas fidelis doctor religionis meae interfectus est apud vos, in loco ubi Satanas habitat*, in loco idololatriae pleno. Variat lectio etiam in hoc commate. Quomodocunque legas, sensus erit: Ἐν ταῖς ἡμέραις Ἀντίπα, ὃς Ἀντίπας ὁ μάρτυς μου, ὁ πιστός μου ἀπεκτάν-

ἀη. Quis hic Antipas fuerit, ignotum est. Doctorem christianum eum fuisse, ipse Ioannes indicat. In seris Graecorum menologiis dicitur hic Antipas passus sub Domitiano. Dicitur etiam in bovem coniectus aeneum; quale tamen supplicium ignotum est Romanis legibus, quae et Pergami valebant. Grotius suspicatur, Antipam hunc fuisse interfectum a plebe commota per sacerdotes Aesculapii, qualis mortis pericula saepe adiit Paulus. Ἀρνεῖσθαι πίστιν est, aut verbis aut factis negare, se esse Christianum.

14. Ἀλλ' ἔχω—πορνεῦσαι) *Sed habeo pauca quae in te reprehendam, quod nempe toleres asseclas doctrinae Bileam, qui Balacum docuit perniciem struere Israelitis, ut vescerentur epulis idololatricis et scortarentur.* Βαλὰκ rex Moabitarum. Num. XXV. Factum esse ex Balaami consilio, ex traditione semper apud Hebraeos constitit. Cf. 2 Petr. II, 15. et Iudae Vs. 11. Βαλεῖν σκάνδαλον ἐνώπιον τῶν υἱῶν Ἰσραήλ, i. e. perniciem struere Israëlitis, Deum ipsis faciendo iratum. φαγεῖν — πορνεῦσαι) Israelitae illi non tantum ederant de immolatis, sed et Diis Midianitarum cultum exhibuerant. Verum satis hic habuit Christus id dicere, quod illi Israelitae cum falsis doctoribus, eorumque asseclis habebant commune. Ceterum Bileam est Symbolum falsorum doctorum. Isti falsi doctores fuisse videntur exgentiles, qui epulis idololatricis et impudicitiae ipsi adsueti, christianorum exgentilium maxime divitum auribus hoc *quaestus caussa* dederunt, ut libidinis et idololatricarum epularum potestatem facerent, eaque licentia danda multos ad sese allicerent, eorumque studia ad suas utilitates

excitarent. Bileamus enim Balaco consilium Israelitis perniciosum dedit, ut *praemia*, quum aliter non posset, hac certe via obtineret. Num. XXII, 17. sq. XXIV, 11—13. Erat igitur magna similitudo horum falsorum doctorum cum Bileamo. Cf. 2 Petr. II, 18. sq. et Iudae epistolam.

15. Οὕτως ἔχεις — ὁμοίως) Illud ὁμοίως in plerisque editis libris ad comma sequens, in manuscriptis multis autem ad praecedens refertur, ut sit πλεονασμὸς in οὕτως et ὁμοίως. Alii pro ὁμοίως legunt, ὃ μισῶ, alii utrumque: ὁμοίως ὃ μισῶ vel ὃ μισῶ ὁμοίως. Ceterum vide notata ad Vs. 6. huius cap.

16. Μετανόησον) οὖν addunt nonnulli codices. Μετανόησον, i. e. noli posthac tam remissus esse. Utere acribus remediis, ut in gravi periculo. Ἔρχομαί σοι ταχύ, *ego*, qui repente *adero*, *puniam*, eadem locutio, quae supra Vs. 5. Pergameni erant bellicosi. Diogenes Laërt. Arcesilao IV, 30. Πέργαμος οὐχ ὅπλοις κλεινὴ μένον, ἀλλὰ καὶ ἵπποις. At Christus multo fortior (comm. 12.) puniet malos; uti Bileamus angeli gladio fuit coërcitus, et uti tum ipse, tum consilium eius secuti et Iudaei et Midianitae gladio perierunt.

17. Τῷ νικῶντι — κεκρυμμένου) *Vincenti concedam usuram Mannae absconditi*, i. e. *eximiae felicitatis*. Si abstinueritis ab idolothytis et libis, dabo vobis mannam. Quum Bileamum et Israelitas in deserto ipsius consilium sequentes, falsis doctoribus eorumque sequacibus comparasset; manet iam in eadem translatione, et per Mannam in deserto exhibitam significat

felicitatem e religione percipiendam. Vocat autem μάννα hoc κεκρυμμένον, *absconditum*. Iudaei enim statuunt arcam cum urna, quae mannam continebat, imminente urbis expugnatione per Nebucadnezarem, absconditam, et tempore demum Messiae reperiendam esse. *Tanchuma* p. 83. 2. Haec est una ex tribus rebus, quas Elias Israëlitis restituet, nempe *urnam Mannae*, Vasculum olei unctionis, et vasculum aquae. Quidam addunt etiam virgam Aaronis. ψῆφον—γεγραμμένον) Sensus esse videtur: *Dabo ei tesseram nominis sui epigraphen exhibentem, qua probare possit, se unum esse ex iis, qui ad hoc epulum coeleste admittendi sint.* Respicitur ad eos, qui in certaminibus evaserant victores. Hi enim, quando solemni cum pompa urbem patriam ingrediebantur, simul honoris tesseras accipiebant, quibus ius iis datum est epuli publici ad perpetuam vitae sustentationem. *Pindarus* Olymp. VII, 159. ἐν Μεγάρεσσιν τ' οὐχ ἕτερον λιθίνᾳ ψῆφος ἔχει λόγον. Schol. κατὰ τὰ Μέγαρα ἔθος ἐστὶ τῶν νικηφόρων τὰ ὀνόματα λίθοις ἐγκολάπτεσθαι. Haec tessera dicitur λευκὴ, quo epitheto res omnes laetiferae, coelestes ornantur, veluti vestes coelicolarum *candidae* dicuntur, c. XIX, 14. Hesychius: λευκὴ, ψῆφος, παροιμία ἐπὶ τῶν εὐδοκιμόνως — ζώντων. Ὄνομα καινὸν, i. e. *nomen eximium et praeclarum.* Intelligunt plurimi nomen filiorum Dei: alii rectius ὄνομα θεοῦ καὶ τοῦ ἀρνίου, (cap. XIV, 1.) quod dicitur καινὸν, respectu habito ad pristinos Dei cultores Iudaeos, Deo quidem, non autem agno consecratos. Titulus tesserae inscriptus: ὁ ἅγιος τῷ θεῷ καὶ τῷ ἀρνίῳ, significat, eum, qui illam teneat manu, pertinere ad *cultores Dei et Iesu Christi*, quibus ius convictus

coelestis merito debeatur. Cf. omnino *Eichhornium* ad h. l. ὃ οὐδεὶς — ὁ λαμβάνων) Id nomen quanti sit, nemo scit, nisi qui id experitur. Cf. 1 Io. III, 1.

18. Καὶ τῷ ἀγγέλῳ — γράψον) Est *Thyatira* urbs modo Mysiae, modo Lydiae attributa. *Alogi*, Epiphanio teste, deridebant mentionem factam Thyatirenae ecclesiae, quod Ioannis tempore nulla esset ecclesia Thyatirae. Ad quod respondet Grotius, fuisse ecclesiam, sed ex Iudaeis, non ex gentibus. Vid. tamen, quae monuimus supra in Prolegg. Fuisse ecclesiam Thyatirae tum temporis, evicit etiam *Ferdinandus Stosch* in Antiquitatibus Thyatirenis. „Quanquam non constat quo tempore condita sit *Thyatirorum* ecclesia, primis tamen iam rei christianae temporibus ante scriptum hoc opus ibi floruisse coetum aliquem, ex hac epistola satis elucet; forsan Lydia, ex hac urbe Lydiae, ut videtur, Philippos profecta ibique christianam fidem studio laudabili amplexa et a Paulo diu instituta Act. XVI, 14. 15., in patriam urbem redux ecclesiam condidit. Christiani ibi laudem quidem virtutibus caritatis mutuae et constantiae meruerant, adeo ut studium fidei christianae indies cresceret: sed iidem mulierem quandam Nicolaitarum praecepta commendantem impune passi erant ad errores suos quosdam seducere. Unde laudibus virtutum praemissis graviter in mulierem istam et paucos eius sequaces invehitur auctor, ceteros, modo ne iisdem erroribus abripi se patiantur, felices fore praedicans" *Ewaldus*. ὁ ἔχων — χαλκολιβάνῳ) Respicitur ad c. I, 14. 15. *Oculi similes flammis* denotare videntur et perspicaciam et severitatem Christi iudicis. Pedes *orichalco* similes

significare videntur eiusdem potentiam, quae potentissimos etiam hostes conculcat. Imagines desumtae sunt ex Achabi et Isabelis historia, 2 Reg. IX. X.

19. Οἶδά σου — τῶν πρώτων) Τὰ ἔργα, facta laudabilia. Τὴν διακονίαν, benefacta in pauperes, quomodo haec vox sumitur 2 Cor. IX, 11. 12. 13. Τὴν ὑπομονήν σου, in adversis ferendis constantiam. Πλείονα, *meliora, praestantiora.* Episcopum Thyatirenum non modo non fatiscere dicit longo labore ac malis, sed et in dies proficere in melius.

20. Ὅτι ἀφεῖς — Ἰεζαβήλ) Imagines desumtae ex historia Achabi et Iezabelis, 2 Reg. IX. X. Ἀφεῖς, pro quo alii habent ἐᾷς, per incuriam positum esse videtur pro ἀφῇς. *Iesabel* per Antanaclasin est talis mulier, quae turpia et impia facta illius reginae imitatur, et comparatur falsa Gnosticorum vel huius generis hominum doctrina seductioni Iesabelis, quemadmodum in epistola superiore eadem doctrinae Bileami fuerat comparata. Mulierem christianam e secta Gnosticorum esse intelligendam, *P. E. Iablonski* ostendit in dissert. supra citata. ἡ λέγουσα ἑαυτὴν προφῆτιν) Casus rectus pro obliquo, quod Ioanni perquam familiare. Alii habent τὴν λέγουσαν. *Epiphanius* Prophetidos nomine notari ait mulieres, opinione vaticinationis deceptas et alias decipientes, et praedictionem istam esse de Priscilla ac Maximilla atque Quintilla, Prophetissis Montanistarum, temporibus Imperii Antonini Pii. Sed falsus est Epiphanius; Ioannes enim loquitur de suae aetatis falsis doctoribus, quos similes esse Iezabelis dicit. καὶ διδάσκει — φαγεῖν) Διδάσκει καὶ πλανᾷ i. e.

ἡ διδάσκουσα πλανᾷ. *Idolothytis* vescebantur *Marcionitae, Valentiniani, Basilidiani, Saturniniani*, teste *Iustino M. c. Tryphonem.* Hoc loco notantur iidem seductores, de quibus supra Vs. 6. et 14. sermo fuerat.

21. Ex hoc Versu colligi potest, satis diu iam mulierem istam errores suos impune sparsisse, ita ut Deus quasi clementia ductus non statim eam punivisse dici possit. Poena vero merita iam instans ab Israelitarum, qui peccata et idolorum cultum in deserto peste saepius luerunt (Num. XIV, 37. XXV, 1—9.), exemplo exprimitur.

22. Βάλλω αὐτὴν—ἔργων αὐτῆς) Εἰς κλίνην, non in amoris sed in aegrotantium et infirmorum lectum. Ἐὰν μὴ μετανοήσωσιν ἐκ τῶν ἔργων αὐτῆς, i. e. *nisi abstineant ab adulteriis cum ea.* Alii pro αὐτῆς legunt αὐτῶν.

23. Καὶ τὰ τέκνα—θανάτῳ) Adulterinam eius sobolem interficiam; faciam ut ea moriatur morte violenta. Etiam haec imago, sicut pleraque alia in hac Epistola, desumta ex historia Achabi et Iesabelis, 2 Reg. X, 1. 10. 11. Τὰ τέκνα τῆς προφήτιδος, sunt eius discipuli et asseclae. καὶ γνώσονται—ἔργα ὑμῶν) Πᾶσαι αἱ ἐκκλησίαι, quae nempe sunt in Lydia, Mysia, et locis vicinis. Νεφροὺς καὶ καρδίας, *desideria et cogitata.* Per *renes* enim intelliguntur *affectus, desideria*, ut et Ps. CXXXIX, 13. Prov. XXIII, 16. Καρδία, *cogitata.*

24. Ὑμῖν—Θυατείροις) Τοῖς λοιποῖς, nempe bo-

nis. Duo enim Thyatirensium genera designat Christus. ὅσοι — διδαχὴν ταύτην) *Qui non adhaerent isti doctrinae*, nempe pseudoprophetidos. Ἔχειν idem quod supra κρατεῖν, *adhaerere doctrinae*. οἵτινες — λέγουσιν) *Et qui nesciunt arcana Satanae, ut dicere solent.* Gnostici mysteria sua vocabant *profunda Dei*, et profunda Bythi. Irenaeus II, 38. 39. Putabant, se perspicere, quod non perspicerent alii, adiaphora esse scortari et vesci immolatitiis. At Christus dicit esse τὰ βαθέα τοῦ Σατανᾶ, sollertia Satanae consilia. οὐ βαλῶ — βάρος) *Non imponam vobis aliud onus.* Βάρος, praeceptum, et quidem observatu non adeo facile. Τῶν νόμων βάρος habet Plato de legibus XI. Potest vero etiam βάρος esse *afflictio*, *poena*. Tum sensus esset: *Alienum peccatum vobis non imputabo.*

25. Πλὴν — ἂν ἥξω) *Tantum quod* (scil. laudis, constantiae imprimis in fide christiana tuenda) *nunc vobis est, id ne vobis eripiatur annitimini.* Ἄχρις οὗ ἂν ἥξω, nempe ad iudicium.

26. Καὶ ὁ νικῶν—τῶν ἐθνῶν) Ὁ νικῶν, *qui mala illa dogmata spernet.* Nam intelligendum est hoc Participium pro re quaque subiecta. Τὰ ἔργα μου, i. e. praecepta mea, per metonymiam. *Dabo ipsi potestatem super gentes.* Hoc connectendum est cum Vs. 27., ubi declaratur, qualis sit ea potestas, quam Christus concedere velit vincentibus errores profanorum illorum hominum, de quibus in praecedentibus sermo fuerat.

27. Καὶ ποιμανεῖ — σιδηρᾷ) Ex translatione LXX. Ps. II, 9., qui non legerunt ut Masorethae תְּרֹעֵם, *confringes eos*, sed תִּרְעֵם *pasces eos*, i. e. reges. Nam pascere significat regere; unde reges vocantur ποιμένες λαῶν, pastores populorum. Ἐν ῥάβδῳ σιδηρᾷ, *sceptro ferreo*, i. e. imperio duro et firmo. ὡς — συντρίβεται) Alii habent συντριβήσεται. Ita eos tractabit, quomodo vasa fictilia frangi solent, sine spe restitutionis, Ierem. XIX, 10. 11. Argilla, dum in manu est figuli, fingitur et refingitur facile. Non idem in fictili fracto. Sensus comm. 26. et 27. esse videtur: Qui perstiterit in religionis meae professione et vera virtute, is vires accipiet etiam idolorum cultores multos ad religionem perducendi eorumque animos flectendi, ut praeceptis Christi, summi Regis obediant. Sicuti nempe Christus ipse per doctrinam suam hominum animos gubernat et flectit, ita simili modo doctores pascunt et regunt doctrina et monitis.

28. Ὡς — πατρός μου) Illi a me imperandi potestatem accipient, sicut ego a patre accepi. Illud ὡς aliquam similitudinem, non paritatem significat. καὶ δώσω—πρωϊνόν) Lux gaudii et felicitatis ei exorietur; conspicua erit eius dignitas. Ut stella matutina inter ceteras stellas eminet, sic ille eminebit inter ceteros doctores.

CAP. III.

1. Τῷ ἀγγέλῳ τῆς ἐν Σάρδεσιν ἐκκλησίας) *Sardes* caput quondam Lydiae, et Croesi olim Regia, urbs ce-

lebris, aër verò insalubris. „In vetere Lydiae metropoli, *Sardibus*, quae ex remota iam antiquitate ob luxuriam qua diffluebat et mores pravos infamis erat, Christiani, haud multum, uti videtur, ceterorum civium moribus superiores, ob turpia quae perpetravere vitia (quae singula tamen ne tetigit quidem Iohannes) tantum a doctrina christiana degenerarant, ut nomine ecclesiae christianae prorsus indigni iudicandi essent. Videntur igitur Christiani gentilium prorsus mores iterum sectati esse, eorum immemores, quae christiana religio non patiebatur; unde etiam a gentilibus, quibuscum amice conspirabant, eos non esse vexatos inde colligi potest, quod Iohannes *τὴν θλῖψιν* et *ὑπομονὴν* non memorat. Gravi igitur vituperio cum minis praemisso a paucis tantum his vitiorum sordibus non inquinatis futurae salutis piis imminentis vivide describendae ansam sumere potest." *Ewaldus. τάδε λέγει — ἀστέρας*) *Haec dicit, qui imperium habet in septem angelos Dei, et septem stellas tenet;* vel ex *Eichhornii* versione: *Sic fatur, qui spiritu suo adflavit ecclesias,* ut adeo eas in omni pietatis et virtutum genere alacres esse deceat. De septem Spiritibus vide supra I, 4. et de septem stellis ibid. Vs. 20. Septem illi spiritus alias *Dei* thronum circumstare dicuntur, h. l. autem *Messiae* tribuuntur, quomodo alia etiam praedicata divina in Messiam transferuntur. *Οἶδά σου τὰ ἔργα, scio qualis sis.* Locutio media: at hic, ut ex sequentibus patet, in partem sequiorem prolata. *Ὄνομα ἔχεις ὅτι ζῇς, καὶ νεκρὸς εἶ*, i. e. Nomine tantum et externa specie videris Christianus esse, revera non es. *Caesar* ad milites suos apud Dionem Historicum: *ὄνομα Ῥωμαίων ἔχοντες, ἔργα δὲ Κελτῶν ὁρῶντες.*

2. Γίνου γρηγορῶν, attende tibi et ecclesiae cui praees. Στήριξον τὰ λοιπὰ ἃ μέλλει ἀποθανεῖν, *confirma ceteros, qui perniciei vicini sunt.* Ἃ μέλλει (pro οἱ μέλλουσι) ἀποθανεῖν, qui *morti*, i. e. perniciei sunt vicini. Nam ἀποθνήσκειν saepe significat *miserum esse*, vel *fieri*. Hoc autem loco sermo est de iis, quos per defectionem a christiana religione miseros futuros esse periculum erat. Hos episcopus debebat στηρίζειν, *confirmare* in religione. οὐ γὰρ — ἐνώπιον τοῦ θεοῦ μου) *Nam facta tua Deo non probata intelligo.* i. e. Scio, te in obeundo munere non ita diligentem esse, ut gratus Deo esse possis. Πεπληρωμένα, *integra, sincera.*

3. Μνημόνευε — μετανόησον) Πῶς εἴληφας καὶ ἤκουσας, i. e. ἀκούων εἴληφας, qualem doctrinam ab Apostolis acceperis. Λαμβάνειν aut παραλαμβάνειν, לקח aut קבל, de doctrina saepe dici solet. Τήρει, observa ista omnia, quae edoctus es. Μετανόησον, *poenitentiam age de illis, quorum tibi es conscius.* ἐὰν οὖν — ἥξω ἐπί σε) *Venire* Christus dicitur, et quum ad iudicium universale veniet, et tunc quum quemque ex hac vita abducit. Et sicut furis comparatio ultimo iudicio aptatur, ita et morti improvisae, et aliis iudiciis improvisis. Ποίαν ὥραν pro κατὰ ποίαν ὥραν, vel ποίᾳ ὥρᾳ.

4. Ἀλλ' ἔχεις — ἱμάτια αἱτῶν) *Habes paucos* in coetu tuo *Sardibus etiam, qui erroribus et vitiis se non contaminarunt.* Ὀνόματα, *personae*, ut Act. I, 15. Vestes *candidae* et purae sunt *innocentiae* et virtutis symbolum, ut *vestes sordidae* symbolum *cul-*

pae, Zach. III, 3. 4. Igitur ii, qui vestes suas non poluisse dicuntur, tropice sunt, *qui in virtutis studio alacres fuerunt.* Hi autem praemii loco olim *vestibus splendidis* amicientur: καὶ περιπατήσουσι — ἄξιοί εἰσιν) *Istique societate mea fruentur honorificentissima.* Περιπατεῖν μετὰ Χριστοῦ, versari cum Christo, amicitia eius frui, coniunctum cum eo esse amore. Ἐν λευκοῖς, sc. ἱματίοις. Artemidor. II, 3. τοὺς ἀποθανόντας ἐν λευκοῖς ἔθος ἐκφέρειν. Vestitus candidus olim habitus erat nobilium; unde Candidati vocantur. Sed et qui ad dignitatem et honores evehuntur a regibus orientalibus veste indui solent *laxa*, *splendida*, *pretiosa*, tanquam novi honoris insigni. Gen. XLI, 42. Esth. VIII, 15. Proprie igitur significatur, tales apud Christum in maximo futuros esse honore. Ἄξιοί εἰσιν, sc. μετ' ἐμοῦ περιπατεῖν. Digni sunt autem, quia in tanta malorum multitudine puros se servaverunt.

5. Ὁ νικῶν — λευκοῖς) *Qui vincit, is olim candidis vestibus ornabitur, i. e. maximo honore habebitur dignus.* Vid. Vs. 4. Καὶ οὐ μὴ — τῆς ζωῆς) *et nunquam delebo nomen eius e libro vitae*, e numero eorum quibus *felicitas* (ἡ ζωή) destinata est. *Iuribus et privilegiis civium coelestium semper fruetur.* Similitudo sumta a more civitatum, apud quas cives inscribebantur albo, et ex eo eradebantur, si facti essent ἄτιμοι. Est autem hic λιτότης. Nam οὐ μὴ ἐξαλείψω dicitur pro: *diligenter asservabo.* Καὶ ἐξομολογήσομαι — ἀγγέλων αὐτοῦ) i. e. praemiis eum afficiam, magno eum honore ornabo olim in conspectu Patris mei et angelorum. Vid. Matth. X, 32.

6. Ἐν Φιλαδελφείᾳ) Philadelphia Sardibus propinqua erat, ad Tmoli radicem sita. „In ecclesia *Philadelphiae*, quae urbs a conditore Attalo Philadelpho, Pergami rege, nomen nacta est, Christiani neque a gentilibus multa perpessi videntur, neque in virtutum studio defatigati: sed coetum christianum vix nascentem et crescentem (Vs. 8. μικρὰν ἔχεις δύναμιν) Iudaeorum (cf. II 9.) superbia et invidia infestabat: quam cum Christiani fortiter tolerantes a fide sua tuenda nullis coviciis et vexationibus deterrerentur, Iohannes tam acre studium collaudans et ad altiora excitans spem imprimis facit, fore ut mox Christiani, rebus suis adauctis, se Iudaeis superiores conspiciant, utque Iudaei ipsi hac speranda Christianorum, nunc ob tenues res despectorum, prosperitate moti vitia sua, summa reverentia Christianis exhibenda, emendare studeant. " *Ewaldus.* ὁ ἔχων τὴν κλεῖδα τοῦ Δαβὶδ) i. e. *Gerens clavem Davidis, eiusmodi clavem, quali Davides utebatur*, i. e. *cui administratio et cura regni Davidici commissa est.* Vide Ies. XXII, 22. Sicut Eliacimus in aula Hiskiae dicitur habuisse clavem domus Davidis, ita Christus in Ecclesia Dei. Is *Eliacimus* fuit, ut Constantinopolitani loquebantur, Κουροπαλάτης Hiskiae, cuius functionis insigne erat clavis intexta epomidi. ὁ ἀνοίγων, καὶ οὐδεὶς κλείσει) Locutio plane Hebraea, pro qua Graeci dicerent: οὗ ἀνοίγοντος οὐδεὶς κλείσει. Nemo eius iussis audet contradicere, aut contra ea facere. Omnia ei parent.

8. Οἶδά σου—κλεῖσαι αὐτήν) Demta imagine sensus est: *Novi facta tua. Ecce dedi tibi occasionem doctrinam propagandi, quam nemo tibi eripiet.* Σου τὰ ἔργα, i. e. laborem tuum in propogando Evange-

lio. Ἐνώπιόν σου pro σοῦ. Ianuam intellige occasionem libere annunciandi Evangelii, ut 1 Cor. XVI, 9. Θύρα μοι ἀνέῳγε μεγάλη καὶ ἐνεργής, est iterum Hebraismus. Sensus: Nemo illam libertatem praedicandi impedire potuit. ὅτι μικρὰν ἔχεις δύναμιν) Modicam nunc habes ecclesiam. Δύναμις, צְבָאוֹת, *exercitus*, deinde vero quaevis multitudo. *Philadelphia* parva erat urbs, nec comparanda Epheso. καὶ ἐτήρησας — ὄνομά μου) i. e. tamen perstitisti in observandis praeceptis meis, nec dissimulasti te esse Christianum.

9. Ἰδοὺ, δίδωμι—ἠγάπησά σε) Sensus est: *Efficiam ut nonnulli e Synagoga Satanae, qui falso gloriantur se veri nominis Iudaeos esse, ad te accedant, Christiani fiant, tibi debitum honorem exhibeant, agnoscantque quanti te faciam.* De iis, qui gloriantur se Iudaeos esse, vid. supra II, 9. Ποιήσω αὐτοὺς idem est quod δίδωμι. Post multa verba interposita solet repeti aut vox quae praecessit, aut alia similis. Ποιήσω ἵνα ἥξωσι, *faciam venire.* Καὶ προσκυνήσωσιν ἐνώπιον τῶν ποδῶν σου, i. e. ut Christiani fiant, et tum tibi, ut episcopo, honorem exhibeant, constituti in locis inferioribus. Προσκυνεῖν, ad pedes prosterni, per κατάχρησιν qualecunque honoris signum exhibere. Καὶ γνῶσιν, ὅτι ἠγάπησά σε, tunc agnoscent, quanti te fecerim, qui te, tanquam instrumento electo, uti voluerim ad eorum conversionem.

10. Ὅτι — τῆς ὑπομονῆς μου) *Quia observasti praeceptum meum de patientia.* Duplex Genitivus, alter causae efficientis, alter materiae. Sensus est: in multis adversis patiens fuisti ex praecepto meo. Ἡ

ὥρα τοῦ πειρασμοῦ, tempus persecutionis et calamitatum. Nam *ὥρα* est quodvis tempus, quamvis satis longum: et in voce *πειρασμοῦ* est Metonymia, quia omnis gravis persecutio affert tentationem. *Οἰκουμένη* et *γῆ* hic significant terras Romani Imperii. *Πειρασμὸς* autem hic est persecutio sub Nerone.

11. *Ἔρχομαι ταχύ*, nempe cum mercede mea. *Κράτει ὃ ἔχεις*, retine fidem tuam et professionem. Vide ne metu deficias. *Ἵνα μηδεὶς λάβῃ τὸν στέφανόν σου, ne quis auferat* (eripiat) *coronam tuam.* *Λαμβάνειν* h. l. *auferre;* simplex pro composito. *Στέφανος* autem est *honor perseverantiae*, vel etiam *praemium vitae aeternae.*

12. *Ὁ νικῶν — τοῦ θεοῦ μου*) Hebraismus, pro: *τὸν νικῶντα ποιήσω. Vincentem constituam columnam in templo Dei mei*, i. e. faciam, ut magni habeatur et aestimetur in ecclesia Dei mei. Nam *templum Dei* sine dubio est ecclesia. Eph. II, 22. Voce *στύλου* respici nonnulli putant duas illas columnas, quae erant in fronte templi Salomonis, et ob firmitatem vocabantur *Iachin* et *Booz*, 1 Reg. VII, 15. 2 Paralip. III, 15. 16. 17. Alii imaginem desumtam esse existimant ex Ies. XXII, 17 — 25., ubi Propheta Eliakimum, regium ministrum, eiusque dignitatem comparat clavo, in quo suspendi deberent omnes nobiles familiae eius, propagines et posteri, omnia vasa parva, a vasis craterum usque ad vasa lagenarum. Quo tropo significatur, eum et regno et domui patriae insigni fore ornamento. Innui igitur videtur nostro loco insignis et perpetuo duraturus honor in ecclesia Dei. *Καὶ ἔξω*

οὐ μὴ ἐξέλθῃ ἔτι, *nec unquam eiicietur*, sc. ex templo Dei mei, ex ecclesia. Honore isto nunquam privabitur. *καὶ γράψω — τὸ καινὸν*) Continuatur imago. In columnis fiebant inscriptiones. Sic etiam perseveranti tribuentur varia honoris insignia. Inscribentur ipsi quasi nomina Dei, Regis summi, urbis coelestis totiusque regni, et Christi. Inscribitur ei *nomen Dei;* quod est Symbolum, frui eum peculiari favore Dei. Inscribitur etiam nomen *novae Hierosolymae*, quia huius urbis civis est. Sensus igitur esse videtur, hunc talem semper futurum esse in magno honore apud Deum, et fruiturum esse privilegiis et beneficiis civium honoratissimorum in regno Christi.

14. Καὶ τῷ ἀγγέλῳ — *κτίσεως τοῦ θεοῦ*) Laodicea est urbs Phrygiae magnae ad Lycum amnem, ubi ante Pauli eo adventum ecclesia aliqua erat ex Iudaeis dispersis. „*Laodiceae* ecclesiam iam circa annum 60. conditam fuisse, inde satis patet, quod Paulus Colossenses epistolam ipsis scriptam Laodicenis legendam tradere iubet Col. II, 1. IV, 13. 14. Paulo serius cum Iohannes epistolam hanc scribebat, Christiani, divitiis procul dubio, quibus urbem hanc olim tenuem tum temporis celeriter auctam esse tradit *Strabo* 12. p. 866. cf. Vs. 17., elati et securi facti in socordiam delapsi esse videntur, ut quanquam vitiis foedis non inquinati, neque a recto tramite se secessisse credentes, strenuo tamen virtutum studio omisso a vere christianae vitae laude multum abessent. Unde praemisso vitae dubiae vituperio gravi ad meliora hortatur Iohannes; amore tantummodo ductum se mores istos corripere, nec nisi pietate et constantia insignem praemia

prosperitatis futurae reportaturum esse.“ *Ewaldus.* Ὁ ἀμήν, *verax ille.* Ad sequentia verba cf. supra I, 5. Ἡ ἀρχὴ τῆς κτίσεως τοῦ θεοῦ, *dominus creaturarum Dei;* nam ἡ ἀρχὴ videtur positum pro ὁ ἄρχων, *dominus,* vel etiam is, per quem hoc universum (ἡ κτίσις τοῦ Θεοῦ) initium coepit, ut ἡ ζωὴ αἰώνιος, auctor felicitatis aeternae. 1 Io. I, 2. Sic h. l. ἡ ἀρχὴ, *auctor initii.*

15. Οὐδὲ σου—οὔτε ζεστὸς) *Nec frigidus nec calidus,* i. e. δίψυχος, ut Iac. I, 8., nec bonus nec malus; nec Christianus, nec profanus; nec verae doctrinae, nec erroribus falsorum doctorum addictus. Seneca, non dissimili argumento, *nec aegrotare, nec valere* dixit, Lib. de tranquill. animi c. 1. Habent illa verba speciem proverbialem. Idem Seneca Epist. 69. *Hoc est, inquis, nec frigidum, nec calidum pati.* ὄφελον —ζεστὸς) Non optat simpliciter eum frigidum esse, sed exprimit hoc loquendi genere, quantum aversetur fluctuationem eius. Sic fere Epictetus c. 36. ἕνα τε δεῖ ἄνθρωπον, ἢ ἀγαθὸν, ἢ κακὸν εἶναι.

16. Μέλλω — στόματός μου) i. e. apud me nullo loco eris. Tepida evomere consuevimus; unde ad vomitum ciendum quidam aqua tepida utuntur. Describuntur homines Pharisaeis similes, quos Christus fere magis aversatur quam manifeste malos.

17. Ὅτι λέγεις — χρείαν ἔχω) Sensus est: Putas te esse sapientem et felicem; te via tutissima ire, quod omnibus placere cupias, quod ita veram doctrinam teneas, ut aliter sentientes, falsos illos doctores non of-

fendas. Est gradatio. Multum est, divitem esse; plus vero, quum dives sis, adhuc locupletari; maximum vero, nullius plane rei indigere. Tales sibi videntur Hypocritae, Pharisaico fastu inflati. καὶ οὐκ οἶδας — γυμνὸς) Οὐκ οἶδας, formula periculis suis indormientes miserantis. Nescis, te ita esse infelicem, ut omnium misericordiam commovere debeas. Πτωχὸς, egens rerum ad salutem necessariarum, cognitionis verae et religionis. Τυφλὸς, qui errores suos et inscitiam rerum divinarum ne animadvertit quidem et sentit. Γυμνὸς, carens omni vera virtute, quae vestitus est et ornatus Christianorum.

18. Συμβουλεύω σοι — ἵνα βλέπῃς) Συμβουλεύω σοι, *consulo tibi.* Poterat imperare; sed mavult suadentis personam sumere, quia id, quod dicturus est, isti episcopo et eius similibus est utilissimum. Χρυσίον πεπυρωμένον ἐκ πυρὸς *aurum igne exploratum aut examinatum.* Est pleonasmus; nam πεπυρωμένον, quod per ignem excoctum est. Sic ἄργυρος πεπυρωμένος, *argentum igne excoctum*, Prov. X, 21., ubi codex Hebraeus habet *argentum lectum.* Suadet, ut sibi comparet solidiorem rerum divinarum cognitionem, et quidem ab ipso Christo, ex doctrina a se tradita. Ἵνα πλουτήσῃς, ut dives fias, sc. cognitione. Καὶ ἱμάτια λευκὰ, ἵνα περιβάλῃ, *et vestes albas* (supple: eme a me), *quibus amiciaris.* Disce innocentiae et morum probitati studere ex mea religionis doctrina. Nam vestes albae sunt Symbolum innocentiae vitae. Καὶ μὴ φανερωθῇ ἡ αἰσχύνη τῆς γυμνότητός σου, *ne conspiciatur turpis tua nuditas*, ne amplius ceteris coetibus sis contemtui. Καὶ

κολλούριον — ἵνα βλέπῃς, i. e. fac, ut errores tuos tandem agnoscas, et verum perspicias, meliora edoctus ex mea doctrina. Paupertati opponitur aurum probatum; *nuditati* opponuntur vestimenta alba; coecitati κολλούριον, *collyrium*, quod est medicamentum oculorum.

19. Ἐγὼ ὅσους — παιδεύω) Ὅσους ἐὰν φιλῶ, i. e. quos non plane ob diuturna peccata abiicere constitui. Dicitur enim hic φιλεῖν non absolute, sed comparate, ut alibi μισεῖν. Ἐλέγχω καὶ παιδεύω, reprehendo verbis, castigo verberibus. Sumta verba ex Prov. III, 12. ζήλωσον — μετανόησον) Ζήλωσον, incalesce tu, tepide: nam ardens amor ζῆλος dicitur. Μετανόησον, ex amore in me vitam corrige.

20. Ἰδοὺ ἕστηκα — κρούω) Qui ianuam pulsabat noctu, simul clamabat, ut audita voce agnoscerent, et citius aperirent. Ita ego, inquit Christus, eis favorem meum ultro offero. Illorum erat officium, me quaerere atque audire; at, quia tepidi sunt, ego illos quaero omnibus modis, stans, pulsans, clamans. ἐάν τις — μετ' ἐμοῦ) i. e. suavissima familiaritate utemur. Magnus honos regem habere convivam.

21. Ὁ νικῶν — θρόνῳ αὐτοῦ) Ὁ νικῶν, αὐτῷ, eadem locutio, quae supra Vs. 12. Δώσω αὐτῷ καθίσαι κ. τ. λ. i. e. *mecum regnare*, 2 Tim. II, 12. Post ἐνίκησα supple τὸν κόσμον, ut Io. XVI, 32. de se ipse Christus loquitur.

CAP. IV.

1. Μετὰ ταῦτα κ. τ. λ.) In epistolis ad septem ecclesias statum earum praesentem descripserat Ioannes; nunc incipit Prophetia de futuris. Scena aperitur in coelo, quod imaginem gerit palatii regii vel templi, Ies. VI, 1. et describitur maiestas Dei, qui omnia creavit, comm. 11. et omnia sapientissime gubernat. Genus dicendi est poëticum, Prophetis peculiare. Ergo haec non sunt intelligenda proprie, quasi ita gesta essent, ut vates narrat; sed prophetico, i. e. poëtico sermone describuntur, et quasi ob oculos pinguntur decreta Dei. Ex mente etiam Iudaeorum omnia quae in terris eventura sunt, in coelo coram consessu angelorum prius manifestantur, atque repraesentantur. *Schir Haschirim* R. f. 93. *Non facit Deus quicquam, nisi antea de eo consultarit cum familia superiori.* καὶ ἡ φωνὴ — μετὰ ταῦτα) Ἡ φωνὴ πρώτη etc. vox illa sonora, quam in primo viso audieram supra I, 10—12., i. e. vox Christi plena imperii. Λέγουσα, sc. ἦν. Alii habent λέγων. Ἀνάβα ὧδε sc. cogitatione et mente, ut ex sequentibus patet.

2. Καὶ εὐθέως — πνεύματι) Non igitur corpore in coelum ascendit, sed mente et ecstasi. Visio ei oblata est. καὶ ἰδοὺ — καθήμενος) Descriptio aulae divinae, quae iam sequitur, adumbrata est ad aularum Asiaticarum, praesertim Persicae, exemplum et magnificentiam. Θρόνος ἔκειτο, *solium erat positum*, nempe Dei patris, ut apparet infra 5. V, 7. Sic et Iesaias c. VI, 1.

Deum in solio videt, nempe paratum ad iudicia exercenda. Κεῖσθαι, idem quod *poni*. Καὶ ἐπὶ τοῦ θρόνου καθήμενος, *illi insidebat aliquis*, Deus nempe, rex summus. Quod vates nomen throno insidentis reticet, id magnam habet vim ad eius magnitudinem et maiestatem indicandam.

3. Καὶ ὁ καθήμενος — σαρδίνῳ) Vel potius, ut alii habent, σαρδίῳ. Sardinus lapis, qui et Sardius, ab Hebraeis אֹדֶם dicitur a rubore, vulgo carneolus. Cf. *E. F. C. Rosenmülleri Handb. d. bibl. Alterthumsk.* Vol. IV. Part. I. *(d. bibl. Naturgeschichte)* p. 30. sq. Ἰάσπιδα vocant Graeci interpretes Exod. XXVIII. 18. gemmam, quae Hebraeis יָהֲלֹם, ita dictam, quod ictibus resistat. Inest descriptio maiestatis divinae, imaginibus magnificentissimis repraesentatae. Dei maiestas omnium regum splendorem longissime superat. Similis imago est Ezech. I, 26. sqq. καὶ ἶρις—σμαραγδίνῳ) Inter varios iridis colores praecipuus est viror. Viror autem smaragdi suavissimus. Nullius coloris adspectus iucundior, ait Plinius in smaragdi laudibus. Iris autem vetustissimum Symbolum favoris divini. Gen. IX, 13 — 17. Cf. Ezech. I, 28. Visum igitur describitur maiestatis et gratiae plenum. Potentissimus et maximus est Deus; sed idem etiam benignissimus et optimus. *Eichhornius*, missa hac notione, iridis mentionem ad solum ornatum pertinere putat, vel ad solum igneum fulgorem et splendorem mitigandum et temperandum.

4. Καὶ κυκλόθεν—στεφάνους χρυσοῦς) Frustra quaeritur, quinam sint 24 illi Presbyteri? Videntur enim

esse imago optimorum et praestantissimorum civium regni coelestis, qui olim in his terris virtute et meritis eminuerunt, nunc autem maximo in coelis fruuntur honore. Imago desumta a viginti quatuor ordinibus et capitibus sacerdotum a Davide constitutis, 1 Chron. XXIV. Presbyteri illorum ordinum sedebant iudices in templo; his comparantur praecipui et optimi ex Christianis. Sedent tanquam Presbyteri circa Dei solium, assessores quasi coelestis illius Synedrii. Sacerdotibus et Regibus saepe comparantur sancti homines et Christiani, Exod. XIX, 5. 6. Deut. VII, 6. 1 Petr. II, 9. *Albae vestes* et *aureae coronae* sunt insignia dignitatis sacerdotalis et regiae.

5. Καὶ ἐκ τοῦ θρόνου — φωναί) *Tonitrua* et *voces* h. l. non differre videntur; nam et hebraicum קוֹל, et φωνὴ saepe est tonitru. Thronus Dei comparatur cum nube, ex qua fulgura et tonitrua exeunt. Pertinet ad descriptionem maiestatis divinae. Sic etiam Prophetae solium Dei in nubibus describere solent, Ps. L, 3. XCVII, 1—6. Cf. Exod. XIX, 16. καὶ ἑπτὰ—τοῦ Θεοῦ) Εἰσι, i. e. significant. De septem Spiritibus vid. supra c. I, 4. Simillimus locus extat Zachar. IV, 10., ubi *septem lucernae* et infusoria significant oculos Iovae totam terram pervadentes, i. e. Dei providentiam totum mundum regentem et gubernantem. Eadem hic res significatur. Nam angelos esse ministros providentiae divinae, omnibus constat. Omnia oculis Dei patent, omnia, quae sunt et fiunt in orbe terrarum et in universo mundo.

6. 7. Καὶ ἐνώπιον — κρυστάλλῳ) Etiam hoc ad descriptionem maiestatis divinae pertinet. Cf. Exod. XXIV,

10. Ezech. I, 22. *Cholin* f. 89. 1. R. Meir: Hyacinthinus color similis est mari, et mare refert speciem coeli; coelum autem habet formam throni gloriae. S. D. Exod. XXIV, 10. καὶ ἐν μέτῳ—πετωμένῳ) Significatur hac imagine omnium creaturarum in his terris viventium universitas, imperio Dei, summi omnium rerum moderatoris subiecta. Ἐν μέσῳ τοῦ θρόνου καὶ κύκλῳ τοῦ θρόνου, est *intus et a tergo*, ut com. 8. κυκλόθεν καὶ ἔσωθεν. Confer hic augustam descriptionem maiestatis divinae perquam similem huic nostrae Ezech. I, 5—17. Omnia in regno Dei immenso vitae et motus sunt plena. Nihil mortuum, nihil vacuum in rerum natura. Symbola sunt nobilissimae creaturarum nobis in his terris cognitarum, leo, taurus, homo, aquila. *Midresch Thehillim* CIII, 19. Dixit R. Abin nomine R. Abhu: Quatuor sunt, qui principatum in hoc mundo tenent. Inter omnes *homo*, inter aves *aquila*, inter pecora *bos*, inter bestias *leo*. Quilibet horum regnum habet et magnificentiam quandam, ponuntur autem sub throno maiestatis divinae S. D. Ezech. II, 19. Hoc vero cur factum est? Ut nullum ex illis se efferat in mundo, sed sciant, Regnum Dei dominari in omnia (super illos esse).

8. Καὶ τέσσαρα—ὀφθαλμῶν) Ies. VI, 2. 3. Ezech. I. Indicatur omnia plena esse vitae, motus, ut comm. 7. Nam *alae* et *oculi* sunt Symbola motus et vitae. Oculus quasi fons vitae, et lumen vivum animi. Varie legitur hic versus sensu haud diverso. καὶ ἀνάπαυσιν — ὁ ἐρχόμενος) Ies. VI. Omnes creaturae suo modo celebrant laudes creatoris, et sunt totidem quasi voces, perpetuo clamantes, Deum esse potentissimum, opti-

mum, sapientissimum, omnique venerationis cultu dignissimum. Paulo aliter comm. 6. 7. 8. explicat *Eichhornius*. Ex eius sententia τὰ ζῶα h. l. non sunt animalia, sed naturae intelligentes, tales fere, quales nos angelos vocamus, ab iis tamen aliquo modo diversae, quarum insolita et portentosa forma expressa est ad exemplum sphingum et gryphorum, quales v. c. in ruderibus palatii Persepolitani, Cyro certo multo antiquiores, cernuntur, *Wundergestalten*. Mirabiles illae naturae finguntur posteriori corporis parte thronum gestasse, adeoque sub illo latuisse; ore autem et facie prominuisse ita, ut in throni circuitu eas conspiciendi copia esset. Oculorum (tanquam gemmarum) copia pertinet ad *coruscationem* solam declarandam, quia in coelo omnia nitore fulgent. Sex alis ζῶα singula instruuntur, ut thronum, quem tergo suo impositum gestabant, inter volandum possint loco movere. Quicquid sit, repraesentantur ubique ut naturae Deum celebrantes.

9. Καὶ ὅταν δώσουσι—τῶν αἰώνων) Δώσουσι, Fut. pro quovis tempore, more hebraeo. *Dare gloriam, honorem*, etc. est laudibus extollere magnitudinem Dei. Εὐχαριστία, *gratiarum actio*, תּוֹדָה.

10. Πεσοῦνται — τοῦ θρόνου) Πεσοῦνται, προσκυνήσουσι, βαλοῦσι iterum pro quovis tempore. De viginti quatuor Presbyteris vide dicta supra ad com. 4. *Procidere in terram* et προσκυνεῖν summa sunt honoris signa. *Proiiciunt coronas*, nimirum sic testantes, se quicquid habent dignitatis, a Deo accepisse. Tacitus Annal. XV, 2. 9. *Placuit Tiridatem*

ponere apud effigiem Caesaris insigne regium; nec nisi manu Neronis resumere. Omnium creaturarum in his terris laudes resonant quasi in coelis, et a beatis approbantur. Creaturae ratione carentes canunt quasi laudes summi omnium rerum creatoris volatu, voce et motu; sed nobiliores creaturae, coelicolae laudant Deum cum intelligentia, sensu amoris etc.

11. Ἄξιος — ἐκτίσθησαν) Δύναμιν, *robur*, i. e. *firmam* ac *solidam laudem*, גְּבוּרָה vel כֹּחַ vel certe הָעוֹז. *Propter voluntatem tuam*, לְמִצְוָנְךָ. Nisi enim Deus voluisset, nihil esset eorum quae sunt. Omnia, quae existunt, per eum et ex eius voluntate sunt, durantque.

CAP. V.

1. Καὶ εἶδον — σφραγῖσιν ἑπτά) Significatur hac imagine, fata hominum et regnorum soli Deo esse nota, eumque solum posse revelare quantum velit. Liber fatorum est in manu Dei, scriptus *intus et foris*. Erant veterum libri ad morem cylindri convolubiles, plerumque intus tantum scribebantur, et involucro quodam forinsecus tegebantur. Erant autem alii libri ὄπισθεν etiam scripti, quales opisthographos Plinio avunculus reliquerat, Epist. III, 5. Librum describit Ioannes septem sigillis obsignatum, ex septem constantem membranis circa bacillum convolutis, quarum singulae seorsim erant obsignatae, ita quidem, ut septem sigilla iuxta infimam bacilli partem conspici possent.

Huius libri ea erat ratio, ut post solutionem cuiusvis sigilli alia membrana revolvi et explicari posset. Symbolice hoc libro divina providentia, vel decreta et consilia Dei arcana significantur. Erat liber ex utraque parte scriptus, quia contenta eius erant plurima; obsignatus, quia arcana in eo erant scripta. Similes imagines vide Deut. XXXII, 34. Exod. XXXII, 32. Ps. CXXXIX, 16.

2. 3. Καὶ εἶδον — οὐδὲ βλέπειν αὐτό) Ἀνοῖξαι τὸ βιβλίον, i. e. *arcana Dei consilia de rebus futuris patefacere.* Βλέπειν, cognoscere, intelligere, quae in libro scripta erant. Ἄξιος, *idoneus.* Quis ea est dignitate, ut Deus arcani huius notitiam ipsi concedat? Ἀνοῖξαι καὶ λῦσαι, i. e. ἀνεῖξαι λυσάμενον. Similiter ἀνοῖξαι καὶ βλέπειν pro ἀνοιξάμενον βλέπειν. Futura contingentia, fata regnorum, et insignes rerum mutationes omnibus angelis et hominibus sunt occulta et obscura, nisi Deus revelaverit. „Mirum visum est, quomodo vates *neminem* in *coelo*, ubi res agitur, inventum esse dicturus, terram quoque et terrae inferiora tangere potuerit. Ipse tamen scriptor, quam huius locutionis prima origine ex Exod. XX, 4. derivatae mentem conceperit, Vs. 13. indicavit. Qui enim omnibus mundi partibus praepositi sunt angeli summi, ii si in coetu sacro coelesti congregati sunt, totum repraesentant mundum, ut quanquam hic res in coelo agatur, ceterarum tamen mundi partium custodes et imagines simul adesse fingantur.“ *Ewaldus.*

4. Καὶ ἐγὼ ἔκλαιον — βλέπειν αὐτό) Flevit Ioannes, quia maximi momenti videbantur scripta in hoc libro.

Est gradatio: nec aperire quis poterat, nec legere, imo nec introspicere.

5. Καὶ εἷς — σφραγῖδας αὐτοῦ) *Unus Presbyterorum.* Vid. c. IV, 4. Μὴ κλαῖε, noli ita dolere. Habebis quod optas. Unus potest introspicere quasi librum fatorum, et revelare futura. *Christus* nempe, qui hic vocatur ὁ λέων, ὁ ἐκ τῆς φυλῆς Ἰούδα, ex Gen. XLIX, 9. 10. propter quae verba Iacobi Leo fuit semper in vexillo Iudae. Ἡ ῥίζα Δαβίδ, per metonymiam surculus ex radice Davidis, ut Ies. XI, 1. Coniungenda sunt verba: ἐνίκησεν ἀνοῖξαι τὸ βιβλίον καὶ τὰς ἑπτὰ σφραγῖδας αὐτοῦ, *vicit*, i. e. *obtinuit, ut librum possit aperire.* Est etiam σύλληψις. Nam ἀνοῖξαι proprie de paginis dicitur, de sigillis λῦσαι, quod hic post βιβλίον καὶ addunt multi codices cum versionibus et patribus haud paucis. Sensus est, Christum et posse et velle revelare arcana Dei consilia. Significantur autem hic decreta Dei pertinentia ad Iudaeos et Christianos, quae Christus summatim praedixit Matth. XXIV. Luc. XXI, hic vero multo explicatius.

6. Καὶ ἰδοὺ — εἰς πᾶσαν τὴν γῆν) Describitur Christus, olim humilis, cruentam mortem perpessus, nunc autem potentissimus, et providentia sua omnia gubernans. Is constitutus fingitur ἐν μέσῳ θρόνου καὶ τῶν τεσσ. ζ. κ. ἐν μέσῳ τ. πρεσβ. i. e. in area illa semicirculari, quae ante thronum Dei erat, et a semicyclo sedilium Presbyterorum describebatur, ut idem throno divino esset proximus. *Agnus, cornua, oculi*, sunt mera Symbola, quibus singulis aliquid eorum, quae

Christus fecit, aut facturus est, repraesentatur. Ergo non est probanda nec imitanda pictorum mala sedulitas, Christum in forma agni sic pingendi. Ἀρνίου ἑστηκὸς, ὡς ἐσφαγμένον, i. e. cruore manans et vulnera ostentans. Io. I, 29. 36. 1 Io. I, 7. Κέρατα ἑπτὰ, ingentes vires ad domandos hostes, nam *cornu* est symbolum roboris et potentiae. Καὶ ὀφθαλμοὺς — εἰς πᾶσαν τὴν γῆν. Vide supra c. IV, 5. Quot modis Deus semper usus est in gubernando universo, totidem modis Christus utitur in gubernanda, tuenda, vindicanda ecclesia. Ipse etiam, sicuti Pater, est potentissimus, et utitur septem spiritibus, ministris divinae providentiae, pro lubitu.

7. Καὶ ἦλθε — τοῦ θρόνου) *Sumsit librum e dextra sedentis in throno;* nam omnia accepit a Patre. Ergo et ipsi omnia Dei consilia patent, et ius habet ea patefaciendi quibus vult. Frustra quaeritur, quomodo *agnus* potuerit *sumere* et *aperire* librum? Nam ipse intelligitur Christus, qui a Ioanne similis fingitur agno, non quoad formam, sed quoad attributa, de quibus Vs. 6. Sed non satis aptam esse imaginem, facile concedo.

8. Καὶ ὅτε ἔλαβε — τῶν ἁγίων) Ὅτε ἔλαβε τὸ βιβλίον, nempe ut reseraret, quod sequitur cap. VI, 1. Iam quum exspectatissimo libri illius e Dei manu traditi legendi negotio unice dignus appareat Messias, Dei σύνθρονος, iure tota coelestium cohors in gaudium, venerationem et adorationem sinceram rapta laudes canit tanto numini pares. Τὰ τέσσαρα ζῶα, c. IV, 8. Ἔπεσον ἐνώπιον τοῦ ἀρνίου, ut nempe honorem

ei exhiberent. Significatur, omnia parere debere nutui Christi, eiusque mandatis. Omnia ei subiecta sunt, 1 Cor. XV, 27. Quod τὰ τέσσαρα ζῶα aeque ac Seniores coram agno procidisse et laudes eius cecinisse dicuntur, tolerari potest, si naturae intelligentes cogitantur. Cf. cap. IV, 8. Porro Ioannes non hoc voluisse videtur, unumquemque Seniorum tenuisse citharas et phialas simul; sed alios tenuisse citharas, alios phialas. Citharae erant instrumenta musica, a prophetis et regibus, quin etiam Levitis in templo Hierosolymitano usurpata. Symbolum gratiarum actionis et laudis. Καὶ φιάλας χρυσᾶς, γεμούσας θυμιαμάτων, pateras, in quibus erant thus et suffimenta alia. Erat autem sacerdotum V. T. quotidie adolere thymiamata in tabernaculo Mosaico. Αἵ εἰσιν αἱ προσευχαὶ τῶν ἁγίων, i. e. Symbolum precum, vel potius exauditionis earum; cf. infra c. VIII, 3. 4., ubi thymiamata ab angelis data precibus sanctorum sunt signa benevolentiae divinae. Preces enim acceptae thuris instar grati in coelum ascendunt, Ps. CXLI, 2.

9. Καὶ ᾄδουσιν—καὶ ἔθνους) *Canticum novum*, i. e. *eximium*, de rebus magnis et beneficiis Christi. Ps. XCVI, 1. CXLIV, 9. Ies. XLII, 10. Ἄξιος εἶ—σφραγῖδας αὐτοῦ, dignus, qui noris et patefacias Dei arcana. Ὅτι ἐσφάγης, i. e. temet cruentae morti obtulisti, ut hominibus prodesses. Καὶ ἠγόρασας τῷ Θεῷ ἡμᾶς, i. e. εἰς τὸ λατρεύειν τῷ Θεῷ. *Nos* cum dicit Messiam *Deo* redemisse, Christianos intelligit omnium locorum et temporum, quos Christus a peccatis liberavit, magno impendio, sc. vitae suae. Omnes fatentur, et agnoscunt, Christum, propter sum-

ma in humanum genus merita, dignissimum esse eo, quo nunc fruitur honore, et imperio a Patre sibi concesso. Phil. II, 9. 10. 11.

10. Καὶ ἐποίησας—τῆς γῆς) Transit sermo a prima plurali ad tertiam; non male, quia et de se loquuntur et de aliis. Βασιλεῖς καὶ ἱερεῖς, titulus saepe Christianis datus, e. g. 1 Petr. II, 5. 9. Καὶ βασιλεύσουσιν ἐπὶ τῆς γῆς, i. e. ἵνα βασιλεύωσιν. In terra regnare dicuntur Christiani, forsan ea de caussa, quia omnium hominum sunt optimi, vel, quod magis placet, quia religio christiana, devictis hostibus longe lateque in toto terrarum orbe diffundetur. Vide infra c. XX.

11. Καὶ εἶδον — χιλιάδων) Consentiunt angeli in laudes, quibus Christiani et hominum optimi praedicant maiestatem et gloriam Christi. Μυριάδες μυριάδων, millies centena millia. Χιλιάδες χιλιάδων, *millia millium.* Indicatur numerus ingens et infinitus. Dan. VII, 10. Ps. LXVIII, 18.

12. Λέγοντες—εὐλογίαν) *Alta voce canentes*: *Dignus est agnus mactatus, cuius celebretur potentia, et benignitas, et sapientia, et robur, et honor, et maiestas, et laus.* Approbat angelorum cohors, quae Apostoli et presbyteri praedicant. Λέγοντες recte refertur ad μυριάδες κατὰ τὸ σημαινόμενον. Δύναμις, *potentia*, גְּבוּרָה. Πλοῦτος, *benignitas*, *beneficentia*, ut Rom. XI, 33. Eph. III, 8. Εὐλογία, i. e. *laus.* Sic *benedicimus Deo*, quum laudamus eum. Septem laudum nomina respondent septem spiritibus. Nempe

laudationis huius valde ornatae caussa et origo ex consuetudine Iudaeorum preces ad Deum ad exemplum iam decem, iam septem Sephiroth (i. e. attributorum divinorum) fundendi, repetenda esse videtur. Cf. *Eichhorn.* ad h. l.

13. Καὶ πᾶν — ἤκουσα λέγοντας) Est προσωποποιία, qua sermo attribuitur inanimis aut mutis rebus, ut ostendantur illa omnia parere non Deo tantum, sed et Christo, et eius gloriae inservire, Phil. II, 9. 10. Hebr. I, 6.

14. Καὶ τὰ τέσσαρα—αἰώνων) λέγοντα τὸ Ἀμήν, approbantes nempe id, quod angeli quidem verbis, mundus autem totus reipsa fatebatur. Καὶ οἱ πρεσβύτεροι ἔπεσον καὶ προσεκύνησαν, *honorem exhibuere,* non Deo tantum, ut supra IV, 10., sed et Christo.

CAP. VI.

Decernitur poena hostibus regni Christi, et adversariis religionis christianae, quorum primi erant Iudaei. Horum calamitates, et Christianorum inter illas calamitates conservatio sub variis imaginibus describuntur atque veluti ob oculos ponuntur. Cap. VI — XI.

1. Καὶ εἶδον — σφραγίδων) Μίαν, i. e. *primum,* ut ex sequentibus apparet. Praedicitur bellum Iudaicum eo ordine quo praedixit Christus Matth. XXIV. tam

accurate, ut Ioannes in tabula quasi depinxisse videatur ea quae Christus breviter tantum et magis propriis verbis praedixit. Ioseph. Prol. B. *τῶν γὰρ Ἰουδαίων πρὸς Ῥωμαίους πόλεμος μέγιστος οὐ μόνον τῶν καθ' ἡμᾶς, σχεδὸν δὲ καὶ ὧν ἀκοῇ παρειλήφαμεν ἢ πόλεων πρὸς πόλεις, ἢ ἐθνῶν ἔθνεσι συμμιγέντων.* A commate 1—8. memorat vates omina, quibus Hierosolymorum eversio praesignificata est. Sine dubio ante oculos habuit verba Christi Matth. XXIV, 6—8., ita tamen, ut omina suo more in figuras et signa conversa produceret, vel potius in scena repraesentaret. *καὶ ἤκουσα — βλέπε*) Ἑνός, i. e. *πρώτου*, quia sequitur *δευτέρου, τρίτου, τετάρτου*, quomodo iam et *μίαν* habuimus. Vox tanquam tonitru est vox magna et sonora.

2. Ἵππος λευκὸς — *νικήσῃ*) Similis imago Zachar. VI, 1—6. Omnia symbola quae hoc commate continentur, ad descriptionem hostilis exercitus, de Iudaeis victoriam reportantis pertinent. Virgil. Aen. III, 537. *quatuor hic primum omen equos in gramine vidi, tondentes campum late, candore nivali.* Servius: *Candore nivali. Hoc ad victoriae omen pertinet.* Ἔχων τόξον, quo minatus est. *Corona*, signum victoriae. Quis autem victor hic intelligendus sit, dubitant interpretes. *Wetstenius* intelligit Artabanum II. regem Parthorum, qui vicerat Vononem, Ioseph. Ant. XVIII, 2. 4. rebelles, 4. 4. Anilaeum Iudaeum per generum suum Mithridatem, 9. 7. et 1. *Herder* intelligit victoriam Arabicam de Herode reportatam, Ioseph. Ant. XVIII, c. 5. Mihi quidem non est verisimile, designari certum quendam ducem. Nam fata Iudaeorum et victoria Romanorum in universum qui-

dem describuntur, sed singuli homines, insignes etiam, non designantur. Ergo is, qui sedebat super equum album, mihi quidem videtur esse symbolum exercitus Romani, victoriam in Iudaeos reportaturi. *Iohannsen* intelligit ipsum Christum, victorem Iudaismi et Paganismi, ob similem descriptionem cap. XIX, 11 — 16., quae ad neminem alium nisi ad Christum referri potest. Non male. Quae sequuntur, evenerunt ante bellum Iudaicum.

3. 4. Καὶ ὅτε — μάχαιρα μεγάλη) Descriptio bellorum intestinorum et seditionum, Matth. XXIV, 7. Ἵππος πυρρός, *equus rufus* non obscure sanguinis effusionem significat. Ergo *equus rufus* est symbolum seditionum et sanguinis effusionis, ante bellum Iudaicum. Λαβεῖν τὴν εἰρήνην ἀπὸ τῆς γῆς, auferre pacem e terra Iudaea, et locis in quibus erant Iudaei. Haec et quae statim sequuntur verba significare videntur tumultus in Iudaea ortos, Iudaeorum et gentium intestina dissidia, latrones, sicarios, Theudae motus sub Fado, supplicium filiorum Iudae Galilaei, sub Tiberio Alexandro defectionem molientium, seditionem sub Cumano tempore Paschatis, in Samaria, Peraea, Caesareae. Ioseph. Ant. XX.

5. 6. Καὶ ὅτε ἤνοιξε — μὴ ἀδικήσῃς) *Fames* sub Claudio non in sola Iudaea, sed per totum orbem terrarum. Cf. Matth. XXIV, 7., quam Agabus praedixit, Act. XI, 28. Ἵππος μέλας est mali ominis. Suidas ex poëta Onirocritico: ἵππους μέλανας οὐ καλῶς πάντως βλέπειν. Insidens equo nigro tenebat trutinam in manu sua; solent enim in gravi annona partes panum sin-

gulis appendi, aut a magistratibus aut a Patribus familias. Χοῖνιξ *tritici* est tantum, quanto homo sanus in diem indiget, ut observarunt eruditi. Herodot. VII, 251. εὑρίσκω γὰρ συμβαλλεόμενος, εἰ χοίνικα πυρῶν ἕκαστος τῆς ἡμέρας ἐλάμβανε, καὶ μηδὲν πλέον. Aelian. V. H. L. I, cap. 26. de Aglaide multivora: δεῖπνον δὲ ἦν αρχ αὐτῇ κρεῶν μὲν μναῖ δώδεκα, ἄρτων δὲ χοίνικες τέσσαρες, ἔπινε δὲ οἴνου χόα. *Denarius* est tantum, quantum quoquo die mereri poterat homo strenue laborans, ut videre est Matth. XX, 2. Iam vero si homo pauper, qui denarium merebat in diem, haberet uxorem et liberos, certe eos ἐκ τοῦ χοίνικος alere non poterat. *Hordei* pastus minime bonus; ideo militibus in poenam dari solebat, ut ex *Livio* et *Vegetio* discimus. Ἀδικεῖν per μετάληψιν est *laedere, imminuere*, ut supra II, 11. Intercidebant fruges ad vitam necessariae, non necessariae affluebant: nam olei usus ad delicias; pro vino aqua bibi potest.

7. 8. Καὶ ὅτε—θηρίων τῆς γῆς) Ἵππος χλωρὸς, *equus pallidus*, sicut *pallidam mortem* dicunt poëtae. Ὁ καθήμενος ἐπάνω αὐτοῦ, ὄνομα αὐτῷ θάνατος, pro ὄνομα τῷ καθημένῳ. Locutio Hebraizans. Θανάτου nomine significatur metonymice *pestilentia*. Sic et apud Matthaeum cap. XXIV, 7. et Luc. XXI, 11. nominantur post λιμοὺς λοιμοί. Καὶ ὁ ᾅδης ἀκολουθεῖ μετ' αὐτοῦ, morbi illi trahunt in sepulcrum. Solent iungi mors et ᾅδης, 1 Cor. XV, 55. infra XX, 13. 14. Ἐπὶ τὸ τέταρτον τῆς γῆς, non ubique, sed in quarta parte Iudaeae. Καὶ ὑπὸ τῶν θηρίων τῆς γῆς, *a bestiis*. Vastitatem agrorum et mortes hominum consequi solet, ut, nemine ob-

sistente, ferarum increscat numerus, cum magna viatorum pernicie. Codex Alexandrinus habet: καὶ τὸ τέταρτον τῶν θηρίων τῆς γῆς, quasi agatur de morte etiam bestiarum, non de morte per bestias. Diu duravit fames, unde morbi oriebantur, et latrocinia sub Felice, Festo, Albino et Floro. Ioseph. de B. Iud. II, 14. 2. De toto hoc loco (Vs. 1--8.) *Ewaldus* disputat sic: „Calamitatum varii generis copiam a Deo terrae immissam sistit. — — — Quatuor prioribus sigillis reseratis *quatuor equites* a sede augusta cum decretis divinis prodeunt, numero hoc quaterno partim secundum totum visionum nexum et distributionem, partim ad rei ipsius imaginem congruam aptissimo. Equites enim hi quatuor in *totum mundum* ut dimitti cogitentur, in *quatuor* mundi *plagas* ita evolant, ut quatuor animantium solium divinum cingentium unum post alterum Iohannem, quo distinctius equitum formam et mandata cognoscat, ad locum, unde prodeunt, augustum cieat. Datur vero cuique e quatuor illis signum mandatumque aptum. Cum enim vindicta his omnibus visionibus c. VI. VII. praeparanda et innuenda alteri parti insonti tandem denique post multas rerum vices liberationem et victoriam afferat, prius vero omnibus calamitates, quibus probi probentur, improbi affligantur, variae instent, primus eques ut victoriam, reliqui tres ut calamitates varias a Deo decretas terrae afferant dimittuntur; quae omnia hoc tantum consilio hic describuntur, ut Deum de re christiana promovenda meditatum iam primo calamitates istas praevias (Matth. XXIV, 7.) orbi immittere innuatur. Quae calamitates ut toti orbi, christianis etiam, graves sunt et molestae, *adventare* tamen significant Dei vindictam et iusto-

rum liberationem post ingentes quas christiani tum prius, tum inter has calamitates perpessi sunt vexationes."

9. Καὶ ὅτε ἤνοιξε—ἣν εἶχον) Tanta mala sustinenda fuisse Iudaeis ob vexatos a se Christianos Vs. 9. 10. 11. significatur. Matth. XXIV, 9. Ὑποκάτω τοῦ θυσιαστηρίου. Quae in coelo sunt νοητὰ, solent inter Iudaeos explicari per figuram τῶν αἰσθητῶν in templo. *Aboth* XXVI. R. Akiba dicebat: *Quicunque sepelitur in terra Israelis perinde est ac si sepeliretur sub altari; quicunque autem sepelitur sub altari, perinde est, ac si sepeliretur sub throno gloriae S. D. Ierem. XVII*, 12. Vel (monente *Ewaldo*), cum martyres hi insontes piam efflarint animam, *victimarum* instar mactati dici possunt (cf. V, 6. Phil. II, 17. Ies. LIII, 7.) videnturque in *altari* religionis sacro occubuisse; quare si hic victimarum instar caesarum ad altaris pedes iacere finguntur, altaris mentio ad imaginem totam pertinere potest. Sanguis Abelis Gen. IV, 10. vindictam poscit; sic et animae martyrum. Ψυχὰς, i. e. πνεύματα, vel etiam εἴδωλα, corporum mortuorum *species* (manes), tenuiores quidem terrestribus, at formam tamen eorum et habitum servantes. Λόγος Θεοῦ, *Evangelium*, doctrina divina. Εἶχον, *retinuerunt*, ad finem usque.

10. Καὶ ἔκραξεν—ἐπὶ τῆς γῆς;) Martyres loquentes introducuntur, non in his terris viventes, sed iam tunc beati in coelis. Non quaerunt ex vindictae cupiditate, sed sciscitantur quando eventurum sit id, quod ipse Christus praedixerat Matth. XXIII, 34 — 36. Nomina

ὁ δεσπότης, ὁ ἅγιος καὶ ἀληθινὸς ad Christum esse referenda, apparet ex superioribus, III, 7. 14. Κρίνεις καὶ ἐκδικεῖς, i. e. κρίνων ἐκδικεῖς. Ἐπὶ τῆς γῆς, in Iudaea, quae γῆ et οἰκουμένη κατ' ἐξοχήν dicebatur. *Ewaldus* intelligendos existimat omnes rei christianae inimicos, quos multo maximam terrestrium copiam efficere vates sciebat, *gentiles* igitur potissimum et tyrannos.

11. Καὶ ἐδόθησαν — ὡς καὶ αὐτοί) Pro ἐδόθησαν ἑκάστοις στολαὶ λευκαὶ alii legunt ἐδόθη αὐτοῖς στολὴ λευκή. Animabus datur personae nomen per Synecdochen, ut Luc. XVI, 23. Stolae albae sunt Symbola dignitatis et honoris, quo fruuntur sancti martyres, ut vidimus supra III, 4. 5. 18. Ἵνα ἀναπαύσωνται ἔτι χρόνον, *requiescant*, i. e. expectent vindictam. Χρόνον, i. e. temporis non multum. Οἱ σύνδουλοι, alii doctores, et de plebe Christiani, multis in locis a Iudaeis trucidati. Ἕως πληρωθῶσι, i. e. donec compleatur eorum numerus.

12. Καὶ εἶδον — ἐγένετο ὡς αἷμα) Hoc et sequentibus commatibus continetur poëtica amplificatio verborum Christi Luc. XXI, 25. 26. Alia ratione explicatur similis imago ex Matth. XXIV, 29. infra cap. IX. Ipsa Hierosolymorum et reipublicae Iudaicae eversio, atque totalis clades Iudaeorum imagine prophetica ob oculos quasi ponitur. Sensus patet ex iis, quae ad loca Matthaei et Lucae modo citata a nobis annotata sunt. Addo locum ex *Sacca* f. 29. 1. *Si facies solis similis est sanguini, venit gladius in mundum; si sacco, sagittae famis veniunt in mundum; si utrique, et gladius et sagittae famis veniunt in mundum.*

13. Καὶ οἱ ἀστέρες—σειομένη) Comparatio desumta ex Ies. XXXIV, 4. Ὀλυνθοι, *grossi*, ut in Glossario. Sunt autem grossi ficus immaturae.

14. Καὶ ὁ οὐρανὸς—εἱλισσόμενον) Ies. XXXIV, 4. ὁ οὐρανὸς ὡς βιβλίον ἑλιγήσεται. Liber convolutus legi non potest. Ita in coelo, ait, fore, ut nihil possit conspici. Ἀπεχωρίσθη, sc. ἀπ' ὄψεως, densis nimirum nebulis, conspectum adimentibus. καὶ πᾶν—ἐκινήθησαν) intelliguntur motus in Republica Iudaica, eiusdemque totalis interitus. *Ewaldus* haec quoque ad totum orbem refert et Vs. 15. 16. *gentiles* induci loquentes existimat.

15. Καὶ οἱ βασιλεῖς — τῶν ὀρέων) Omnia hominum genera, summi, medii, infimi, nullo discrimine, tantis portentis perterrebuntur. Metum maximum et angustias haec indicant.

16. Καὶ λέγουσι — τοῦ ἀρνίου) Luc. XXIII, 30. *Cadite super nos*, i. e. obumbrate nos. Ἀπὸ προσώπου τοῦ καθημένου ἐπὶ τοῦ θρόνου καὶ τοῦ ἀρνίου. Iudaeorum verbis sua verba permiscet Ioannes. Nam illi voluerunt a Deo Patre, non a Christo, tegi adversus tot mala. At Ioannes ostendit, illa mala venire ex ira Dei et Christi.

17. Ὅτι ἦλθεν — σταθῆναι) Ἡ ἡμέρα ἡ μεγάλη τῆς ὀργῆς, i. e. tempora luctuosissima. Τίς δύναται σταθῆναι; i. e. superesse tot et tantis malis. Impleta sunt haec vexationibus, quas experti sunt Iu-

daei, et praecipue eorum Proceres, de quibus Iosephus Antiq. XX. De B. I. Lib. II, c. 14. 15. seq.

CAP. VII.

In tabula quasi depictum exhibet Ioannes id, quod praedixit Christus Matth. XXIV, 13. 14. 15. 16. 17. 31., qui locus omnino conferendus est. Significatur nempe, Christianos tam ex Iudaeis quam ex gentibus collectos, immunes fore a periculis, quae hactenus horrendis ominibus praenunciata fuerant.

1. Καὶ μετὰ—ταῦτα—πᾶν δένδρον) Nihil aliud significari videtur imagine hac Vs. 1 — 8., nisi hoc unum, Deum pro sua providentia dilaturum esse poenam Iudaeorum per breve tempus, ut interim Christiani in Iudaea saluti suae per fugam consulere possint. Matth. XXIV, 15. 8. Ἐπὶ τὰς τέσσαρας γωνίας τῆς γῆς, nempe Iudaeae. Solent, ut totus terrarum orbis, ita eius partes, in quatuor portiones distribui. Γωνίαι Hebraeis dicuntur extima quaeque. Hi angeli potestatem, sed limitatam acceperant, et retinendi calamitates et immittendi, ut apparet infra 2. Iubentur angeli retinere ventos, ne noceant terrae etc. Venti facile excitant tempestates et procellas. Quando igitur retinentur, ne spirare possint, non metuendae sunt tempestates. Quum autem procellae sint Symbolum magnarum calamitatum, nihil aliud hac imagine significari videtur nisi dilatio cladis Iudaeorum rebus imminentis. *Mare, terra*, et *arbores* aliud nihil significare videntur, praeter universum populum Iudaicum. *Ewaldus:* „Cum

calamitates leviores (quibus Christiani etiam vexabantur) hic iam transactas graviores impiorum excidium parantes secuturae sint, monstrandum est vati, pios quosque ab his immunes et securos fore."

2. Καὶ εἶδον — τὴν θάλασσαν) *Alium Angelum*, maiorem illis quatuor angelis. Σφραγὶς Θεοῦ ζῶντος, i. e. sigillum a Deo traditum, eiusque nomen insculptum habens, fortassis monogrammate expressum, quo notas frontibus Christianorum e Iudaeis collectorum inureret. Ἀδικῆσαι τὴν γῆν καὶ τὴν θάλασσαν, nocere terrae et populis. Tribuitur angelis, providentiae divinae ministris, quod Deus facere solet.

3. Λέγων—μετάπων αὐτῶν) Haec signatio in fronte similis est ei, quae legitur apud Ezechielem c. IX, 4. Sensus est: Non permittite prius ut urbs deleatur quam servi mei, Christiani, tuti redditi sint a vi et iniuria. Quod ad rem attinet vid. Matth. XXIV, 15. Notum est, Cestium obsedisse Hierosolymam neglectisque eius capiendae occasionibus, sequente mense obsidionem solvisse, atque abduxisse exercitum. Christiani qui erant in urbe, memores moniti Christi Matth. XXIV, 16. continuo ex urbe atque ex Iudaea abierunt Pellam. Vide *Eusebii* Hist. Eccles. Lib. III, c. 5. Nonnulli etiam dispersi fuerunt per Europam atque Asiam, et quum Titus urbem obsedit, nemo in ea erat Christianus. Vide *Iosephum* de B. I. Lib. II, c. 22.

4. Καὶ ἤκουσα — υἱῶν Ἰσραήλ) Numerus est symbolicus. Duodecim enim fuerunt tribus Israelis. Duodecim autem millena duodecies sumta efficiunt 144000.

Non debent itaque numerus *centum quadraginta quatuor millium*, ac accurata eius divisio in duodecim millena e singulis tribubus ita urgeri, quasi eo tempore totidem prorsus fuissent Christiani in Iudaea, et quidem singulis tribubus, qui imminenti calamitati erepti fuerint. Significatur potius, paucos ex universa gente Iudaica esse servandos. Verum est quidem, multos Iudaeos amplexos esse Evangelium, ut vel ex Actis Apostolorum patet; sed pauci fuerunt, si comparentur cum contumacibus, ac temporariis seu iis qui exorta vexatione a Christiana fide defecerunt. *Ewaldus*, qui ea quoque, quae hoc capite continentur ad totum orbem referenda opinatur, sententiam proponit hanc: „Quod e duodecim tribubus tantum Israeliticis numerum servandorum vates constituit, non hanc habere potest vim, Christianos tantum e Iudaeis tutos et beatos fore. Nam christianos ex omnibus gentibus collectos salutem adepturos esse, supra iam V, 9. significavit vates. Res potius sic cogitanda. Ut omnino religionem christianam constat primis ortus temporibus Iudaeam speciem non statim abiecisse, ita Christiani e gentilibus facti, simul Iudaeorum non fidem; at ritus tamen et cetera fere omnia externa amplecti christianis doctoribus plurimis visi sunt. Mansit externa Iudaeorum conditio et nomen, fide mutata. Imprimis vero doctores quosdam Iudaismi amantiores constat Iudaeorum ritus et nomen in Christianos traduxisse, a quibus ut Paulus et Iohannes Apostolus longissime aberant, ita vatem nostrum minus alienum esse tota libri indoles monstrat. His externae Iudaismi formae fautoribus cum Christiani e gentilibus collecti simul in Iudaeorum rituum et nominis societatem sic recipi viderentur, ut

cum tribubus duodecim Israeliticis per totum fere terrarum orbem, ut videbatur, dispersis coalescerent, haud mirum sane, quod αἱ δώδεκα Φυλαί vel ἡ διασπορά nonnunquam christianos omnes, tum e Iudaeis, qui primi et potissimi, radicis instar foecundae (Rom. XI, 16 — 21.), habiti sunt, tum gentiles his insertos significant. Testantur id Iacobi epistola et Petri prior (Iac. I, 1. Petr. I, 1.), quae quanquam christianorum magis gentilium usibus inserviturae scriptae sunt, in fronte tamen tribuum Israeliticarum duodecim vel Iudaeorum dispersorum nomen prae se ferunt. Similiter duodecim tribus, quippe a quibus salus prodeat et in quas ceteri omnes adoptandi sunt, in iudicii universalis mentione obviae sunt Matth. XIX, 28. Luc. XXII, 30."

5 — 8. Ἐκ Φυλῆς — ἐσφραγισμένοι) Licet tribus Levitica nullam partem haberet in divisione agrorum, nec in ea proinde memoretur, tamen memoratur hic, quia particeps fuit Christi, non minus ac aliae, ideoque non fuit omittenda. Danitae contra viles erant animae et Iudaei carnales, ex quibus nemo signatus est. Omnibus temporibus dediti erant idololatriae prae reliquis Iudaeis. Vid. loca a Wetstenio allata. Forte haec tribus diu ante ea tempora funditus perierat, aut ad perpaucos erat redacta; nec enim numerata fuit inter tribus e captivitate reduces 1 Chron. II. Iam vero aliud Israeliticum nomen in Danitarum locum substituendum erat. Qua propter auctor nostri carminis numerosa Iosephi prole, quae in duplicem excreverat stirpem, Manassitas puta, et Ephraimitas, ita usus est, ut altera eius parte, Manassitis, locum Danitarum suppleret: quod autem illud necessitatis caussa fecerit, id prodidit Iosephi no-

mine (Vs. 8.) inter tribus posito, quo alteram Iosephitarum partem (Manassitas) iterum exhibuit, ut indicaret, Manassitas non tanquam Iosephi sobolem, sed aliam ob caussam Vs. 6. memorari. Cf. omnino *Eichhornium* ad h. l.

9. Μετὰ ταῦτα—χερσὶν αὐτῶν) Respicitur forte ad verba Christi Matth. XXIV, 14. Repraesentantur nunc *Christiani ex gentibus*, quorum iam tum innumera erat multitudo, festum quasi celebrantes in coelo. Consentientem habeo *Eichhornium*, qui hanc sententiam argumentis firmat. Desumtae sunt imagines a festo tabernaculorum; in eo enim Iudaei solebant habitare in tentoriis comm. 15. canere Hallel et Hosianna comm. 10. (Ps. CXVIII, 25.) aquas haurire, comm. 16. 17. gestare palmas.

10. Καὶ κράζουσι — τῷ ἀρνίῳ) *Et clamant voce magna: Salutem debemus Deo nostro, omnium rerum summo moderatori, et Christo.* In voce τῇ σωτηρίας est metonymia. Nam significatur liberatio eorum qui *signati* fuerant. Itaque σωτηρία τῷ θεῷ significabit, Deo eiusque singulari beneficentiae acceptam ferendam esse liberationem, proptereaque honorem ei esse tribuendum.

11. Καὶ πάντες — τῷ θεῷ) Vide eadem verba de angelis supra V, 11. Consessoribus et animis beatis accinunt hic angeli, ut populares unius regni.

12. Λέγοντες — τῶν αἰώνων, ἀμὴν) Voces eaedem quae supra V, 12., nisi quod hic εὐχαριστία, pro

quo ibi πλοῦτος, sensu eodem; nam εὐχαριστία est agnitio liberalitatis, quae πλοῦτος nostris dicitur.

13. Καὶ ἀπεκρίθη) Ἀπεκρίθη in N. T. sicut עָנָה in veteri saepe dici de iis, qui sermonem inchoant, notum est. Iob. III, 1. Rei exponendae copiam sibi facit aliquis e sacro senatu, alloquio ad Ioannem facto.

14. Σὺ οἶδας) Verba modeste explicationem expetentis: nescius ege te *scientem* ut exponas rogo. Καὶ ἔπλυναν—τοῦ ἀρνίου) Πλύνω de vestimentis dicitur, ut λούω de corpore, et νίπτω de manibus pedibusque. Sensus esse videtur: Puri et illustres facti sunt, fide in Christum, in mortem pro nobis traditum, et praeclaris factis, quibus hanc fidem demonstrarunt.

15. Διὰ τοῦτο — ἐπ' αὐτοὺς) Ἐν τῷ ναῷ αὐτοῦ, i. e. in coelo. Est similitudo sumta a Levitis, quorum semper aliqui in templo pervigilabant. Σκηνώσει ἐπ' αὐτοὺς, עָלֵיהֶם hoc est *cum illis;* nam עַל interdum est *cum.* Aut habitabit *inter eos*, ut ἐπὶ pro ἐν sit *inter.* Imago desumta a celebratione festi tabernaculorum, significans Deum iis favere, eos in tutelam recipere.

16. Οὐ πεινάσουσιν — διψήσουσιν ἔτι) Habebunt unde vivant, qui antea in summa saepe fuerunt penuria. Nihil ad veram et perpetuam felicitatem iis unquam deerit. οὐδὲ μὴ—καῦμα) Carebunt incommodis. Nam Hebraei incommoda omnia solent exprimere per aestum, sive a sole, sive ab urente vento, quem Graeci inter-

pretes καύσωνα vocant. Desumta verba ex Ies. XLIX, 10.

17. Ὅτι τὸ ἀρνίον—πηγὰς ὑδάτων) Ἐπὶ ζωῆς πηγὰς ὑδάτων pro ἐπὶ πηγὰς ὑδάτων ζωῆς. Sunt autem ὕδατα ζωῆς hebraeo more ὕδατα ζῶντα, *aquae perennes*, flumen vivum, ut et *Virgilius* loquitur. Exprimitur ea imagine omne solatium, et omne id, quod nos recreat. καὶ ἐξαλείψει — αὐτῶν) i. e. lacrimarum caussas tollet. Sic matres parvulis, famem vel sitim fletu prodentibus non ubera tantum admovere, sed lacrimas etiam ab oculis abstergere solent.

CAP. VIII.

1. Καὶ ὅτε — ἡμιώριον) Ἡμιώριον pro minimo tempore usurpavit etiam *Menander*, teste *Polluce* I, 71. Iam prope adesse dicitur bellum Iudaicum, quod ex fictione poetica angeli, providentiae divinae ministri, classico quasi dato, annunciant. Profundum hoc semihorae silentium et pausa ad solum pertinet ornatum et dramaticae actionis πρέπον, ut *Eichhornius* monet. Ergo in eo declarando, vel mystico eius sensu exsculpendo non est argutandum. Quemadmodum nempe terra in superioribus rerum horrendarum praesagio horrore occupata erat (c. VII, 1.), ita in similem nunc coelites rapiuntur stuporem, Vs. 1—5. „Iamque cum septimo sigillo reserato *vindictae* adest *initium*, panditurque in *secunda* visionum parte (VIII, 1 — XI, 14.) *vindictae incipientis et crescentis* descriptio. Quare completo iam septenario illo numero alia septem

numerorum series vati erat circumspicienda; apteque profecto septem hic introducit angelos *tubis* canentes. — — Sed hae tubae priusquam canant, digne satis vindictae divinae iam sese manifestanti praeluditur (Vs. 1—5.) visione praevia." *Ewaldus.*

2. Καὶ εἶδον — σάλπιγγες) Caussa nunc tanti horroris et stuporis declaratur. Angeli nempe adstabant tubis instructi, perpetui apud Hebraeos belli exitialis praecones. *Angeli coram Deo stantes* sunt angeli insigniores, ut notavimus ad Matth. XVIII, 10. His Deus non utitur nisi ad res eximias. Σάλπιγγες autem, *tubae,* sunt belli signum.

3. Καὶ ἄλλος — χρυσοῦν) Declaratur nunc, *miseriarum exitum,* a piis Dei cultoribus expetitum submissis precibus (c. VI, 9. 10.) *iam proxime instare.* Ἄλλος ἄγγελος, maior iis septem angelis, de quibus com. 2. *Quatuor angelorum magnorum* fit mentio post sigillum sextum, nempe c. VII, 1. 2. hoc nostro loco, IX, 14. X, 1., qui vocantur Michael, Gabriel, Raphael et Uriel. Ἐπὶ τοῦ θυσιαστηρίου, ad altare aureum, in quo suffitus fiebant. Imagines desumtae sunt ex templo Hierosolymitano. Λιβανωτὸν, *thuribulum,* Graecis θυμιατήριον. Λιβανωτὸν et λιβανωτὸς fructus est arboris λιβάνου, *thus;* quod sane duriore metonymia pro *thuribulo* posuit. καὶ ἐδόθη — ἐνώπιον τοῦ θρόνου) Ἵνα δώσῃ, i. e. *poneret, apponeret. Dare* enim et *ponere* se mutuo explicant. Sic δοῦναι et τίθεσθαι apud Graecos, נתן et שת apud Hebraeos. Suffitus vulgare precum symbolum est. Ps. CXLI, 2. Apoc. V, 8. Recte igitur angelus iuxta

altare stationem suam sumit, ut suffitum inter piorum Dei cultorum preces adoleret. Ταῖς προσευχαῖς pro ἐν ταῖς προσευχαῖς, i. e. προσευχόντων τῶν ἁγίων. Dum enim populus preces ad Deum fundebat, suffitus adolebatur. Luc. I, 10. Preces autem ex Iudaeorum persuasione, angelorum interventu ad Deum perferuntur. Tob. XII, 2. Suspiriis et precibus hactenus imploraverant Christiani auxilium Dei in calamitatibus, quas propter religionem pertulerant. Nunc symbolice significatur, gratas fuisse Deo preces Christianorum, et nunc in eo esse, ut exaudiantur.

4. Καὶ ἀνέβη — ἐνώπιον τοῦ θεοῦ) Deus delectatus assidua Christianorum pietate, non ultra cohibere voluit vindictam suam adversus Iudaeos, quorum tanta in Christianos crudelitas fuerat.

5. Καὶ εἴληφεν — εἰς τὴν γῆν) Ignis, qui in eo altari, iram Dei significat. Hunc ignem, sive carbones effudit in Iudaeam. Ita enim γῆ sumitur in hac parte Apocalypseos. καὶ ἐγένοντο — σεισμὸς) Φωναὶ καὶ βρονταὶ, *voces, hoc est tonitrua.* Nam *tonitrua* in Hebraeo sermone קוֹלוֹת, i. e. *voces* appellantur. Cum tonitru apte coniunguntur *fulgetra* et *terrae motus,* ad significanda supplicia, quae Iudaicus populus Deo erat daturus, et quae postea singillatim describuntur sonitu *septem* tubarum, earumque consectariis. Matth. XXIV, 27. *Terrae motus* significat conversionem, quae extremum excidium antecessit.

6. Καὶ ὁ ἕπτὰ — σαλπίσωσι) Profundum coelicolarum silentium tubarum clangore rumpitur, ac descen-

dere videntur coram Poeta in theatrum quatuor angeli tubis instructi, sic ut singuli suo clangore singula mala praenuncient. Sic vero angelos illos septem tuba clangentes vates finxit, ut simulatque classicum canat, potestas quoque poenam quandam efficiendi divinitus ipsis data cogitanda sit.

7. Καὶ ὁ πρῶτος — κατεκάη) Iam delabitur Ioannes ad aliam imaginem in describenda poena a Deo Iudaeis immissa, desumtam a plagis, quas Deus Aegyptiis inflixit. Satis apte ad rem. Sicut enim duritiei mentis auxit poenam Pharaonis et Aegyptiorum, sic etiam ob similem mentis obdurationem gravissimas poenas experti sunt Iudaei. Ceterum huius commatis verba confer cum Exod. IX, 23—25. et Ps. XI, 6. Quae sequuntur usque ad Vs. 12. omnia pertinent ad ornandam et amplificandam imaginem, mente et cogitatione non separanda, sed coniungenda. Non ergo singulis tubis singulae species calamitatum significantur; nec quaerendum est, cuius rei imago sit *grando*, *ignis* etc. Describitur sub variis imaginibus et figuris una eademque res, maxima nempe calamitas. Adstipulatur *Eichhornius*, qui angelos quatuor priores tubis clangentes in universum *publicae calamitatis* praecones esse, recte censet. Ex aliorum sententia singulis tubis singulae species calamitatum significantur, v. c. *ignis* est imago seditionis, vel rebellionis; quemadmodum enim ab exigua scintilla oritur maximum incendium: sic seditio ab uno incipit, clam crescit, trahitque integras civitates, ac tandem instar ignis late omnia vastat atque absumit. *Sanguis* significat caedes et bella. Eventum respondisse praedictioni, ita demonstrant:

Coepit, inquiunt, bellum Iudaicum sub *Cestio Floro*, Procuratore Iudaeae, et quidem secundo anno, ex quo in Iudaeam Procurator venerat, Neronis vero XII. ut docet Iosephus Ant. Lib. XX, c. ult. Is *Florus*, quum crudelissime habuisset Iudaeos Caesareae, propter seditionem illic exortam; venit cum exercitu Hierosolyma, multosque occidit e plebe, et Iudaeorum quoque nobilissimos virgis cecidit, atque in crucem sustulit. Eo tempore Rex Agrippa Hierosolyma venit, et orationem ad populum habuit, ut eum placaret, persuaderetque parendum esse Romanis, et obsequendum Floro, donec alium eius loco Imperator misisset. Hac vero oratione habita, seditiosi insurrexerunt in Regem, convitiis eum prosecuti sunt, lapides in eum coniecerunt, atque ex urbe egredi coegerunt. Circa idem tempus seditiosi combusserunt aedes Pontificis Maximi, et Agrippae regiam. Simul ac rebellio Hierosolymis coeperat, *lapidibus* in homines iactis, et *igne* aedificiis illato, simul totam Iudaeam pervasit, tanquam ab irato Deo fulmine afflatam atque tactam. *Ioseph.* de B. Iud. II, 17. §. 1. *ἐτόλμων δέ τινες τῶν συστασιαστῶν καὶ λίθους ἐπ' αὐτὸν* (Regem Agrippam) *βάλλειν.* Quaerunt etiam, per *arbores* et *gramen* quid sit intelligendum? Sed pertinent haec, ut supra monuimus, ad ornandam et amplificandam imaginem, et quidem ex descriptione Exod. IX, 25. *Wetstenius* tamen per *arbores* intelligit urbes munitas, per *gramen* pagos et villas in agro, per *τὸ τρίτον* vero Iudaeos in Palaestina.

8. 9. Καὶ ὁ δεύτερος — διεφθάρη) Luc. XXI, 25. *ἠχούσης θαλάσσης καὶ σάλου.* Est nova eaque

cognata calamitatis publicae imago, *aqua in sanguinem mutata*, sive rubra. Respicitur ad Exod. VII, 20. 21. Montem ardentem in mare praecipitatum esse, finxit auctor, ut appareret, quomodo aqua sanguinis colorem contraxerit, flammis nempe undique erumpentibus. Color autem ille aquae sulphureus belluis marinis, ignisque ipse navibus fuit perniciosus. Qui singula spectacula singulis eventis aptant, ii volunt *mare* sumi pro mari Tiberiadis, et significare Galilaeam; intelligi itaque motus Galilaeae, ad quos coërcendos missus est a Nerone Vespasianus, circa annum Christi LXIX. Quae expeditio, quum sit memorabilis, quandoquidem in ea occisa sunt plusquam centum millia Iudaeorum, et quadraginta millia in captivitatem abducta; posset non incommode exprimi mutatione *tertiae partis maris in sanguinem, et morte tertiae partis animalium in mari*, i. e. Iudaeorum Galilaeae; et *tertiae partis navium*, i. e. urbium, quae in terra sunt id, quod naves in mari. Vide *Hammondum* ad h. l.

10. 11. Καὶ ὁ τρίτος ἄγγελος — ἐπικράνθησαν) i. e. *stella lucida* vel *cometa deiectus est in aquam*. Fingitur autem haec stella habuisse omen in suo nomine, (ὁ ἄψινθος,) et produxisse amaritiem. *Aqua amara* a Nostro inter publicae calamitatis signa adoptatur, ob Exod. XV, 23. Respicitur simul ad verba Christi Matth. XXIV, 29. οἱ ἀστέρες πεσοῦνται ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ. Per stellam de coelo cadentem nonnulli intelligunt Eleazarum, Annae Pontificis M. filium, qui repudiavit victimas Imperatoris, nec eas pro more offerre amplius voluit; quo facto zelotarum furor magis incen-

sus est, et omnia quasi in absinthium versa. Ioseph. de B. Iud. L. II, c. 17.

12. Καὶ ὁ τέταρτος — ἡ νὺξ ὁμοίως) Soli, lunae et stellis magna pars luminis ademta est, ut adeo obscuratum quasi et imminutum lumen emitterent. Hinc factum est, ut tertia luminis sui parte ademta, in tenebras vergerent astra, et lumen diurnum (ἡμέρα,) et nocturnum, (ἡ νύξ) tertiam tantummodo luminis sui partem haberent. Quum obscuratio solis, lunae et stellarum apud Prophetas significet magnas calamitates, eandem imaginem adhibet Noster, ad publicam calamitatem, Iudaeis, religionis christianae adversariis imminentem, declarandam. — Praemissis his calamitatibus quatuor minoribus gravissimae sequuntur tres ultimae. Ad quas ut praeparentur omnes, brevis visio Vs. 13. ab autore interiicitur.

13. Καὶ εἶδον — σαλπίζειν) Ἑνὸς ἀετοῦ πετωμένου dictum est pro ἀγγέλου ὡς ἀετοῦ πετωμένου, ut ἑνός positum indefinite, ut 1 Reg. XX, 13. XIX, 4. 5. Is angelus, aquilae similis per medium coelum volans, *triplex* proclamat *vae*, i. e. triplicem calamitatem, fatalem τοῖς κατοικοῦσιν ἐπὶ τῆς γῆς, *religionis christianae adversariis*, et, hoc quidem loco, Iudaeis; nam scena est Hierosolymis, c. XI, 8., unde recte colligitur, a cap. IX, 1 — c. XI, 19. describi fata Hierosolymorum et reipublicae Iudaeorum. Tria *vae* tribus conveniunt angelis, quos habes c. IX, 1. 12. XI, 14. 15. sqq. Ex his primus nuntiat res paullo ante obsidionem, cap. IX, 1 — 12.; secundus obsidium et expugnationem, c. IX, 13 — 21.; tertius ea, quae expugna-

tione posteriora sunt, cap. X, 1 — XI, 19. Ἐκ h. l. ut saepe מִן hebraeum valet *propter*.

CAP. IX.

Ab hoc capite usque ad cap. XI, 19. describuntur et praenunciantur fata urbis Hierosolymorum et populi Iudaici, et primo quidem Vs. 1 — 12. huius cap. exponitur, unde originem duxerit calamitas praenunciata, nempe e tumultibus hominum rebellium. Cf. notata ad c. VIII, 13.

1. Καὶ ὁ πέμπτος — τῆς ἀβύσσου) Ἀστὴρ h. l. est *angelus*, stellam claro lumine et splendore imitatus, ut supra c. VIII, 13. ἀστὸς erat angelus aquilae similis. Hic angelus dicitur coelo delapsus esse, i. e. celeriter descendisse. Tradita erat ei ἡ κλεὶς τοῦ Φρέατος τῆς ἀβύσσου. Fingitur nempe vorago cum orificio ad cisternarum formam excavato, quod in oriente clave occludi recludique solet. Cf. omnino *Eichhornium* ad h. l. Φρέαρ τῆς ἀβύσσου pro Φρέαρ ἄβυσσον, *puteus profundus*. Aliis ἄβυσσος est inferorum locus. Tartarum Socrates quoque apud Platonem abyssum vocat, quam ait esse circa centrum aquarum, omnium principium et originem. Ex *abysso* ascendere facit vates *locustas* (Vs. 3.) i. e. numerosum agmen, quia id agmen *cladem* et *excidium* afferebat Iudaeis. Ex aliorum sententia abyssus significat Syriam, ex qua *Cestius* exercitum Hierosolyma eduxit. Nam in ea erat *Antiochia* ad *Orantem* fluvium prope ostia, quae etiam *Epidaphnes* cognominatur, quia *Daphne* aquarum et nemo-

rum voluptate amoenissimus, sed quodammodo eadem de caussa infamis locus, quasi suburbium huius Antiochiae fuit. Celebris *Apollo Daphnaeus*. Cf. infra com. 11. Sed haec nimis longe petita esse videntur. Est mera imago magnae calamitatis.

2. Καὶ ἤνοιξε—τοῦ Φρέατος) Reclusa ab angelo voragine, tanto agmine locustae prodeunt, ut eminus densissimum fumum cernere crederes. Nam locustae tam denso volant agmine, ut lumen solis non transmittant. Similis locustarum descriptio est Ioel. II, 1 — 5.

3. Καὶ ἐκ—γῆν) Apparuit tandem, non fumum, sed locustas prodiisse voragine. *Locustae* sunt emblema exercitus hostilis. *S. Isaacus* apud Assemannum Bibl. T. I. p. 227. *In finibus nostris rex Ethnicus adest: locustae terras nostras depascunt.* Copias locustis comparat. Οἱ σκορπίοι τῆς γῆς, *scorpii terrestres;* nam sunt scorpii marini, sive pisces. Aristoteles Hist. Nat. IX, 29. περὶ μὲν Φάρον καὶ ἄλλους τόπους οἱ σκορπίοι οὐ χαλεποί, ἐν ἄλλοις δὲ τόποις καὶ ἐν τῇ Καρίᾳ πολλοὶ καὶ μεγάλοι καὶ χαλεποὶ γίγνονται, καὶ ἐάν τινα κατάξωσιν ἄνθρωπον, ἢ θηρίον, ἀποκτείνουσι. Artemidorus II, 13. Φαλάγγια δὲ καὶ σκορπίοι, καὶ σκολοπένδραι πονηροὺς σημαίνει ἀνθράπους. Quid hac imagine significetur, difficile dictu est. Multi interpretes referunt ad *Cestium*, Syriae Praesidem, qui, dum exercitum Hierosolyma duxit, omnia igne vastavit. Ioseph. de B. I. II, c. 18. Qui hoc sumunt, illis eleganter scorpiis comparari exercitus Cestii videtur, quia plurimos in exercitu habuit sagittarios, quorum tela caudas Scorpii repraesentabant, Ioseph. de B. Iud. II, 18.; deinde,

quia Antiochi, Comagenorum regis, qui Cestio militabat, insigne scorpius erat, et quia multas machinas, ballistas et Scorpiones advexerat. Ioseph. II, 19. *Iohannsen* et *Eichhornius* intelligunt Zelotarum furores. Hi enim praedones, qui ferro et flamma magnam Iudaeae partem vastabant, commode adumbrari poterant sub specie locustarum, et scorpiorum, homines ictibus infestantium, quod quanquam belli a Romanis suscepti prima caussa essent, non tamen ii dici possent, qui Hierosolyma ipsa excidio deleverint. Quae tamen explicatio ab *Ewaldo* refutatur, utpote sensui Vs. 6. contraria.

4. Καὶ ἐρρήθη — μετώπων αὐτῶν) Non erant locustae verae, quae gramini et arboribus nocent, sed homines. His data erat potestas nocendi incolis terrae, Iudaeis nempe (quod negat *Ewaldus*, hisce quoque in locis Iudaeos aeque ac gentiles intelligens, quibus calamitates futurae indicuntur), exceptis Christianis. De signatis in frontibus vide supra. c. VII, 3.

5. Καὶ ἐδόθη — ἄνθρωπον) Adumbrantur ex *Eichhornii* sententia hac imagine Zelotae, qui sedatum reipublicae Iudaicae statum turbarunt. Molesti erant illi Iudaeae *aliquamdiu*, quod poeta expressit πέντε μῆνας, respectu habito ad horum animalium naturam; locustae enim et scorpiones nonnisi per quinque menses, a Maio inde ad Septembrem usque, nocent. Πταίουσι, *vulnerando laedunt*, non ἀποκτείνουσι. Cutis enim scorpionis ictu vulnerata intumescit, gravi cum dolore, sed facili negotio sanatur. Quidam hoc referunt ad bellum Iudaeorum cum Romanis duce Cestio,

quod duravit unam aestatem, i. e. fere μῆνας πέντε. Iosephus de B. Iud. II, 17. Quum Lyddae esset exercitus Cestii, incolae Hierosolyma petierant διὰ τὴν τῆς σκηνοπηγίας ἑορτήν. Hierosolyma oppugnat; ἦν τριακὰς ὑπερβερεταίου, ex Iudaea fugit Δίου μηνὸς ὀγδόῃ, i. e. ab exeunte Maio ad initium Novembris. Scorpionum autem mentionem factam esse volunt ideo, quod Cestius advexisset multas machinas, ballistas et Scorpiones. Ioseph. I, c. II, 19. De hoc armorum genere *Isidorus* XVIII. ita habet: *Scorpio est sagitta venenata arcu vel tormentis excussa, quae dum ad hominem venerit, virus, qua figit, infundit; unde et Scorpio nomen accedit.* *Seneca* Hercule 1218. *Heu! qualis intus scorpius, quis fervida plaga revulsus cancer infixus meas urit medullas?*

6. Καὶ ἐν ταῖς ἡμέραις — ἀπ' αὐτῶν) Bis idem, more Hebraeo, ad significandam desiderii vehementiam. *Cornelius Gallus* Eleg. 1. *Dulce mori miseris: sed mors optata recedit. Est omni peius vulnere velle mori, et non posse tamen.*

7. 8. 9. 10. Uno quasi spiritu legenda sunt haec quatuor commata. Nam inest symbolica descriptio hostilis agminis terrorem incutientis. Solenne est Orientalibus, inprimis Arabibus, exercitus hostiles comparare locustis, teste *Niebuhrio* in descriptione Arabiae. Cf. Ioel. II, 4. Nonnulli interpretes intelligunt *Arabes*, Agrippae militantes. Plinius Hist. Nat. VI, 28. *Arabes mitrati degunt, aut intonso crine.* *Solinus* 33. *Arabes longe lateque diffusi diversis moribus vivunt et cultibus: Plurimis crinis intonsus, mitrata capita, pars rasa in cutem barba.* Ὡς πρόσωπα ἀνθρώ-

πων. Non erant locustae, sed homines. Sequentia pertinent ad amplificandam imaginem. Sic Vs. 8. dicitur: *καὶ εἶχον — λεόντων ἦσαν*. Haec lucem accipiunt ex loco Hieronymi, annotantis in locum Ezech. XLIV, 20. haec: *comam demittere — proprie luxuriosorum est, barbarorumque, et militantium. Dentes eorum sicuti leonum*, i. e. homines voracissimi.

11. *Ἔχουσιν ἐφ' αὐτῶν — ἀπολλύων*) Hebraice *perditio* אבדון Hiob XXVIII, 22. Prov. XV, 11. *Emek Hammelech* f. 15. 3. *infimus gehennae locus est Abaddon — unde nemo emergit. Ἀπολλύων*. Thomas: *ἀπολλὺς Ἀττικοὶ, οὐ Ἀπολλίων*. In pictura hac exercitui hostili praeficitur dux, cui nomen *Abaddon, exterminator*. Ducis mentio pertinere videtur ad solam locustarum in scenam productarum pleniorem adumbrationem, quod tantum agmen duce suo carere non poterat.

12. *Ἰδοὺ — ταῦτα*) *Duae adhuc calamitates* sequentur, obsidionis nempe et excidii.

13. *Καὶ ὁ ἕκτος — ἐνώπιον τοῦ θεοῦ*) Imago desumta ab altari aureo, i. e. suffituum, in quo erant quatuor cornua, Exod. XXX, 2. Describitur adventus Romani exercitus, sub Tito militantis, Vs. 13—21. Ergo nunc sequitur secundus tragoediae actus. *Ewaldus*, qui hunc locum (Vs. 13 — 21.) non de puniendis Iudaeis, sed gentilibus, Romanis imprimis explicat, haec monet: „Cum partim calamitates e mundi compage turbata belluisque oriundae supra iam exhaustae essent, partim *homines* ad caedes infligendas plurimum sint

idonei, vates iam *hostes diros* fingit impios gentiles agitatum venire, in hoc antiquorum prorsus prophetarum vestigiis insistens, qui populum impium, cui poenam interitus minarentur iustam, per hostes eius crudeles vexatum et occisum iri praedixere. Gentilibus vero Romanis poenam minaturus propheta quosnam tandem ubique terrarum Romani nominis hostes notos sibi invenire poterat praeter *Parthos*, quorum et potentia tum haud spernenda et bella atque dissidia cum Romanis agitata satis erant nobilia? Parthos igitur equites dum ab Euphrate in Romanorum agros ciet vates, equos ipsis tribuit solito fortiores et immaniores, qui et ipsi impios variis cruciatibus occisuri sint. Quae omnia, equorum praesertim singularium naturam, hic stupenda et immania describere vati visum est; nam et terrarum situ remotiora erant de Parthis narrata et hic enarranda, ut rumor facile multa augere posset et ornare, et ipsum quo ad poenam impiis infligendam divinitus excitantur hostes, ante Messiae adventum proximum tempus singulare et unicum, ut omnia solito maiora et truculentiora (sicut in visionibus iam prioribus) fingerentur iure postulabat. "

14. Λύσον — Εὐφράτῃ) Angeli mortis soluti dicuntur, ut significetur, iam adesse tempus internecionis. Ex nonnullorum interpretum sententia hi quatuor angeli sunt quatuor Duces Vespasiani, dux Arabiae, dux Africae, dux Alexandriae, dux Palaestinae, quorum ingentes exercitus ad Euphratem usque pertingebant, et quum diu consilium iis fuisset Hierosolyma obsidere, res tamen divino consilio dilata fuit in tempus ipsi destinatum. Ioseph. de B. Iud. III, 4. 2. Tacitus Hist. V.

c. 1. Sed omnis haec descriptio debetur poëtae ingenio, nullamque patitur ex historia excidii Hierosolymitani interpretationem. Fingitur nempe exercitus, duces habens sibi praefectos daemones, ad mala inferenda semper paratissimos. Iam vero, quum malis daemonibus sedes in locis desertis a Iudaeis assignari soleret, eodem relegati, vinculisque constricti dicendi erant, quamdiu illis nocendi potestas ademta erat. Zachar. V, 11. Tob. VIII, 3. Huius autem carceris locus in *desertis ad Euphratem regionibus* ponitur, quod homines in Palaestina nati vel educati ad nullam forsitan regionem magis horrerent. Nunc iubet coelestis vox vinculis liberari daemones malos, ibi vinculis constrictos; quo significatur, exercitum Romanum se iam parare itineri contra Iudaeos. *Ewaldus:* „Id vero hic gravissimum est indicatu, cur ad *Euphratem* daemones hi vincti et solvendi fingantur. Primum enim Euphratis desertum pro quovis alio sine ulla causa idonea a vate esse positum, parum profecto verisimile est. — — *Parthos* cum ad gentiles quos poena cruciari par esset, Romanos infestandos vates accieat, unde tandem daemones nisi ad Euphratem considentes copias gentilibus immittere cogitari poterant? Parthos vero vatem hic innuisse indicia monstrant satis multa. — — Parthos equitatus, e quo totus exercitus tremendus constabat, innumeri et formidolosi mentio Vs. 16. ita insignit, ut quomodo significantius vates populum hunc (si nomen ipsum addere noluit) notare potuerit nescias. Accedit quod infra XVI, 12. locus simillimus de Parthis ab Euphrate Romanum imperium hostili animo invadentibus agit; nec non Enochi librum

54, 9 — 12. Parthos et memorare et *equis* potissimum distinguere notatu dignum."

15. Καὶ ἐλύθησαν—τῶν ἀνθρώπων) i. e. *daemones mali* (quorum est τὸ ἀποκτείνειν) *ad mala inferenda semper parati, a vinculis liberabantur.* Ἑτοιμασμένοι εἰς τὴν ἡμέραν κ. τ. λ. positum esse videtur pro: ἐν ἡμέρᾳ ἑκάστῃ, *quovis tempore* ad mala inferenda parati. Contra *Ewaldus*: *parati in hanc horam, diem, mensem, annum,* i. e. in hoc ipsum temporis momentum, quo ad impios cruciandos eorum opera uti Deo placuit, dudum parati et constituti tum Deo omnia moderante, tum ipsorum libidine nocendi occasionem praestolante. Τὸ τρίτον τῶν ἀνθρώπων, i. e. magnam Iudaeorum multitudinem, inprimis Hierosolymitarum, pugnis et fame, ante captam urbem.

16. Καὶ ὁ ἀριθμός — ἀριθμὸν αὐτῶν) Hoc dicit, praeter illas legiones ingentem fuisse equitatum, non tantum legionariorum, qui Romano more legionibus aderant, et alarium, quibus acies protegebatur, verum etiam a sociis, et ab aliis gentibus, quae certatim missis auxiliis, gratiam sibi apud novum principem eiusque filium parabant.

17. Καὶ οὕτως—θειώδεις) Ἐν τῇ ὁράσει, *in visione* videbar mihi talem imaginem adspicere; id quod raro addit auctor. — Loricas habebant, pro gentium varietate coloris varii, flammeas, violaceas, *pallidas;* nam sulphureae loricae videntur esse pallidae, sicut pallentia dixit *sulphurata* Martialis. καὶ αἱ κεφαλαὶ—θεῖον) Ita se res habebat, quasi ab ore equorum ignis fumi-

gans et sulphureus procederet. Describitur terribilis equitatus Romani species; nam capita leonum sunt maxime omnium terribiles partes tremendae eius ferae, praesertim quum est ore hianti; et leo inhians praedae, et ore cruento, speciem habet horribilem, quae perinde afficit ac si *flamma*, *fumus* et *sulphur* ex eius ore egrederentur. *Virgilius* Georg. III, 85. *Collectumque premens volvit sub naribus ignem.*

18. Ἀπὸ τῶν τριῶν — στομάτων αὐτῶν) Est σύνθεσις in τρίτον et ἀπεκτάνθησαν, qualis: *Pars in frusta secant.* Sensus est, ab hoc exercitu occisum esse magnum numerum Iudaeorum, dum per eorum agros transiret. Ioseph. de B. Iud. III, 4. de Vespasiani exercitu: πυρὶ δὲ ἡ Γαλιλαία καὶ αἵματι πεπλήρωτο πᾶσα.

19. Αἱ γὰρ ἐξουσίαι — ἀδικοῦσι) Non potuit hic exercitus melius describi, quam si conferretur cum *amphisbaena*, quae utrimque capita habet, quibus mordeat. Plinius Hist. N. VIII, 35. *Geminum caput amphisbaenae, hoc est, et a cauda; tanquam parum esset uno ore fundi venena.* Ἀδικεῖν, *nocere.* Describitur itaque formidolosissimus exercitus, qui maximas clades, inter quas eminent incendia et caedes, illaturus erat.

20. Καὶ οἱ λοιποὶ — οὔτε περιπατεῖν) Iudaei non redierunt ad mentem saniorem, sed Romanis obstinata mente restiterunt. Arbitrantur interpretes, Iudaeos, qui vitae servandae caussa se Romanis dedidissent, Diis sacrificasse, et signa militaria adorasse. Id quidem lo-

sephus, ut honori gentis suae forte consuleret, diserte non narravit. Praeterquam vero, quod res ipsa ostendit haud aliud certius documentum Iudaeos dare potuisse, se in fide Romanorum mansuros, habet ipse Iosephus nonnulla, ex quibus illud colligi potest. Vit. 23. De B. Iud. VI, 2. §. 2. VII, 3. §. 3. Alii improprie haec intelligunt, servivisse nempe Iudaeos pecuniae, gemmis, mensis, a quibus, utpote inanimis rebus servari in periculo non poterant. Caussa redditur, cur ultimum exitium Deus ad plagas Hierosolymorum addiderit, quia homines nihil erant correcti.

21. Καὶ οὐ μετενόησαν — αὐτῶν) Haec singulatim explicata invenies apud *Iosephum* de B. I. IV, c. 9. § 10. VI, c. 2. §. 1. V. c. 9. §. 4. Tacitus V, c. 12. Proelia, dolus, incendia inter ipsos (Iudaeos) et magna vis frumenti ambusta. *Ewaldus:* Versibus his duobus non Iudaeorum sed *gentilium* vitia describi satis est in aprico, ut quomodo in contrarium a quibusdam affirmari potuerit, mirum videatur. Vatem enim, prudentem illum et acutum temporum suorum iudicem, vitia, quae Hebraeos ante exilium nonnunquam sectatos prophetae veteres vituperant, post exilium vero Iudaeis omnibus maxime erant invisa et inaudita, Iudaeis suae aetatis obiicere potuisse quis credat?

CAP. X.

Declaratur religionis christianae de Iudaismo subsecuturus triumphus; et continet hoc caput quasi Commentarium in verba Christi Matth. XXIV, 22.

1. Καὶ εἶδον—πυρός) Angelus describitur, qui *Christi* personam referret, sicut sub Vetere Testamento angeli solebant referre Dei personam. *Descendit* angelus; quae enim in visione hac sequuntur in *terra* (Vs. 2. 5. 8.) sic fieri cogitanda sunt, ut vates e medio coelo deorsum terram versus contempletur. *Amictus erat nube, et circumdatus iride*, tanquam nuncius, laetus piorum animis, ecclesiae afflictae respirationem ab aerumnis promittens; nam *iris* est Symbolum favoris divini. *Solis splendor* est signum maiestatis, sicut *columnae igneae* firmitatem et ardorem in perficiendis mandatis divinis significant.

2. Καὶ ἔχων — ἀνεῳγμένον) Signum pronunciandae iam sententiae. Sicuti enim decreta, quorum executio suspenditur, obsignari solent, ita sententiae iamiam pronunciandae patere debent. καὶ ἔθηκε—τὴν γῆν) *Pedem ponere* dominium significat, quemadmodum et Latini dicunt, *habere sub pedibus*. Sed h. l. nihil aliud significari videtur, nisi *figura gigantea* divini nuncii.

3. Καὶ ἔκραξε — μυκῶνται) Dei irati verba Leonis mugitui comparantur. Μυκᾶσθαι est boum, βρυχᾶσθαι leonum; sed hoc discrimen nec apud Profanos Scriptores semper observatur. καὶ ὅτε — φωνάς) *Septem tonitrua vocem suam edentia* significant excidium, cuius apparatus in antecedentibus visionibus descripti sunt, nimirum eversionem Hierosolymorum per Titum; eamque tam horribilem, ut scriptis mandari non deberet. *Tonitrua* enim sunt apta emblemata poenarum; numerus septenarius autem, quum

perfectus habeatur, recte coniungitur cum inflictione maximae atque ultimae plagae.

4. Καὶ ὅτε ἐλάλησαν — μὴ ταῦτα γράψῃς) Σφράγισον hic est *clausa tene*, clandestina serva, ne legenda tradas; per metonymiam, quia quae celata alios volumus, solemus obsignare, ut testamenta. Significatur, ea mala, quae expugnationem urbis sunt secutura, adeo fore gravia, ut pro dignitate describi non possint, sed non aliter quam sub specie omnium, quae usquam leguntur, horribilium, animo concipi.

5. Ἦρε—εἰς τὸν οὐρανὸν) More iurantium, ut Gen. XIV, 22. et aliis locis. Ut, quid significaturus tam dirus et angeli clamor et coeli totius fragor ortus sit, dilucidius explicetur, angelus ille iuramento quam fieri potest sanctissimo vindictae ultimae tempus iamiam instare affirmat. Angeli huius iurantis imago ducta videtur ex Dan. XII, 7.

6. Καὶ ἄμοσεν) In signum, irrevocabile esse hoc decretum. ὅτι χρόνος οὐκ ἔτι ἔσται) i. e. *nullam amplius dilationem concessum iri.* Vox χρόνος significat etiam *moram.* Verbum χρονίζω interpretatur Hesychius διατρίβω, *moror.* Cf. Hebr. X, 37. Hab. II, 3.

7. Ἀλλὰ—τοῖς προφήταις) Ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς φωνῆς τοῦ ἑβδόμου ἀγγέλου, i. e. canente angelo septimo. Καὶ τελεσθῇ, vel ut alii habent καὶ ἐτελέσθη, more hebraico, *consummandum esse.* Τὸ μυστήριον τοῦ θεοῦ, *arcanum Dei*, i. e. decretum

de excidio urbis, vel illud, de liberandis Christianis ex oppressione Iudaeorum, quod laudatur et celebratur, infra XI, 15. Verbum εὐηγγέλισε indicat, de re Christianis laeta agi. Erigit nempe Deus animos Christianorum, ne sub miseriis istis animum despondeant, sed capita sua, appropinquante redemtione, attollant.

9. Λάβε — ὡς μέλι) Κατάφαγε, ut quondam Ezechieli imperatum, c. III, 1 — 3. Comestio autem aenigmatice significat comprehensionem, quam sequitur meditatio, quasi concoctio quaedam. Sic quae bene discimus, ea dicimur in succum et sanguinem vertere. Et satis nota sunt Latinorum *propinare*, *imbibere*, *devorare*, *deglutire* de rebus mente percipiendis. Πικρανεῖ σου τὴν κοιλίαν, i. e. τὰ σπλάγχνα. Sensus est: Non poteris ista cogitare, ut non miseratione quadam movearis super interitu tot popularium. In ore dulcem fore libellum addit, i. e. contenta eius fore consolationis plena, respectu Christianorum.

11. Καὶ λέγει—πολλοῖς) Προφητεύειν ἐπὶ λαοῖς est *vaticinari de populis*. Nam ἐπὶ h. l. respondet usui laxiori praepositionis hebraicae עַל, et debet verti *de*. Λαοὶ ex multorum sententia sunt *Iudaei*, non tantum qui in Iudaea superstites erant, sed et ii, qui in Africa, Aegypto, Graecia et Cypro. Sed hoc sine rationibus solidis adstruitur. Significantur potius Ethnici, sicut etiam reliquis vocibus, ἔθνεσι καὶ γλώσσαις, *populis et linguis*, quia linguae eorum non erant similes, nec eaedem cum Iudaica. Itaque βασιλεῖς πολλοὶ erunt Reges proprie dicti. Docet nempe Angelus, praeter devastationem Iudaeae, Hierosolymo-

rum et templi, per Titum futuram, ad quam posteriores partes huius visionis pertinebant, plura esse praedicenda de fatis ecclesiae sub imperatoribus ethnicis, nempe de persecutionibus Christianorum, idololatria destruenda, et christiana religione propaganda. Alii putant continuari vaticinia de Iudaeis, quae mala eis etiam a Romanis imminerent, et futura essent sub sequentibus Imperatoribus, et praesertim Hadriano, ac alios apud Reges ac populos, qui eum, ad penitus perdendum hunc populum, essent adituri.

CAP. XI.

Declaratur iam proxime instans Hierosolymorum excidium, et finis cultus Levitici, simulque praedicitur christianae religionis propagatio.

1. Καὶ ἐδόθη — προσκυνοῦντας ἐν αὐτῷ) Κάλαμος i. e. pertica sive decempeda ex arundine, quibus uti solebant agrimensores. Significatur hoc Symbolo, veteri templo destructo novum esse aedificandum, i. e. ecclesiam christianam, quae saepius templo comparatur longe lateque esse propagandam. Ὁ ναὸς h. l. videtur esse Sanctissimum templi, in quo erat arca, cum Sancto. Τὸ θυσιαστήριον, *atrium*, sive locus, in quo erat Altare. Sic etiam infra XIV, 18. non potest verti *altare*, quia mentio fit angeli, *ex eo egressi*, et alius *ex eo loquentis*. Glossae: θυσιαστήριον, *sacrarium*, *altarium*. Ex sequentibus verbis: *et adorantes in eo*, liquet, significari locum in quo Deus colebatur, et quidem *interius Atrium* templi, in quo Israëlitae Deum colebant, et quod opponitur exteriori

Atrio, in quo admittebantur Gentiles. Significatur igitur destructio templi Hierosolymitani, et finis cultus Levitici.

2. Καὶ τὴν αὐλὴν—τοῖς ἔθνεσι) Desumta est imago ex Ezech. XL—XLIV. Aula exterior, templo contradistincta, in *mensurando* non cum templo in censum venire, sed ut *exterior* est, ita extra templum sini debet. Explicantur priora verba ἔκβαλε ἔξω, per sequentia: μὴ αὐτὴν μετρήσῃς. In diversa hic abeunt interpretes, quorum sententias enarrare, meum non est. Coniecturas coniecturis superstruunt, parum verosimiles. Indicari videtur, quae modo dicta sunt pertinere ad solos Iudaeos et finem sacerdotii Levitici, non ad Ethnicos. Καὶ τὴν πόλιν — τεσσαράκοντα δύο) *Et urbem sanctam profanabunt* 42 *menses.* Πατήσουσι, i. e. *profanabunt*, contemtim habebunt. Illi qui per 42 menses sanctam urbem profanarunt, videntur fuisse Zelotae et latrones, Idumaei, factio Ioannis, Simonis et Eleazari. (Aliter *Ewaldus*, qui cf.) Cur autem per tres annos cum dimidio molestiam bonis civibus exhibuisse dicantur, id explicatu est valde difficile. *Eichhornius*, omnino hic conferendus, mensium et dierum numerum fictitium et symbolicum esse arbitratur; quod vel ideo verosimile est, quod solenne fuit Iudaeis, ad trium annorum et sex mensium spatium omnis calamitatis publicae tempus revocare.

3. Καὶ δώσω — σάκκους) Et hic frustra quaeritur quinam nominatim fuerint hi *duo testes.* In pictura quam exhibet Apocalypsis, hi duo doctores repraesentare videntur omnes in universum christianos doctores

in Iudaea usque ad tempus obsidionis. Hi vexati, et partim etiam trucidati sunt, e. g. uterque Iacobus, sed eorum loco mox alii resurrexerunt. Μάρτυρες saepe sunt *doctores*, et προφητεύειν est *docere*, ut saepe iam habuimus. Recentiores interpretes intelligunt Pontifices Maximos, Ananum et Iosuam, magnis encomiis ornatos a Iosepho de B. I. Lib. IV, c. 5. meliora suadentes, et Zelotarum furoribus fortiter resistentes. His probabilior est *Ewaldi* sententia, qui non dubitat, quin vates *Eliam* prophetam aliumque eius socium, velut Henochum aut Mosen innuerit. Ipsa praedicata, inquit, Vs. 5. 6. 12. descripta tam pulchre Eliam, e cuius historia fere desumta sunt, collineant, ut hunc non possis non agnoscere. Eliam aut solum aut alio prophetа aeque claro comite, ultimo tempore Messiae adventui praevio in terra iterum appariturum esse, opinionem fuisse temporum illorum vulgatissimam. Plura vid. ap. ipsum. Dies 1260. non aliter intelligendi sunt quam menses illi quorum Vs. 2. facta erat mentio; nam numerus 42 per 30 multiplicatus conficit dies 1260. Περιβεβλημένοι σάκκους, *ciliciis induti*, more veterum Prophetarum.

4. Οὗτοί εἰσιν — ἑστῶσαι) Desumta haec sunt ex Zachar. IV, 4. sqq. et 14. Sicut nempe Deus Zerubabelem et Iosuam post captivitatem Babylonicam miserat ad instaurandum cultum divinum et politiam Iudaicam; ita etiam illi duo testes calamitatem publicam a Palaestina arcere studuerunt.

5. Καὶ εἴ τις — ἀποκτανθῆναι) Sensus est, fore, ut Deus eos aeque atque olim Eliam, sit protecturus. Al-

luditur nempe ad 2 Reg. I, 10. 12. 14. Tanta nempe per aliquod tempus auctoritate valebant, ut nemo illis resisteret.

6. Οὗτοι ἔχουσιν — τῆς προφητείας αὐτῶν) Sensus est: Nihil tam magnum et stupendum est, quod non a Deo impetrent, si opus sit. Id autem explicatur per similitudinem eorum, quae Deus olim fecerat, tum *Eliae*, tum *Mosis* caussa. Et hoc quidem de imbre, manifesto sumtum est de Eliae historia, 1 Reg. XVII. XVIII. Utitur eo exemplo et *Iacobus*, ut ostendat, nihil non impetrabile esse Christianorum precibus. καὶ ἐξουσίαν — θελήσωσι) Hoc ex Mosis historia sumitur, Exod. VII. *Plagae* nomine intellige omnia illa, quae praeter aquas in sanguinem versas, Moses in Aegypto a Deo obtinuit.

7. Καὶ ὅταν — ἀποκτενεῖ αὐτούς) *Quum finierint testimonium suum*, i. e. postquam diuturnam operam dederint, ad saniorem mentem revocandi Iudaeos. Τὸ θηρίον τὸ ἀναβαῖνον ἐκ τῆς ἀβύσσου esse insigne Cacodaemonis instrumentum, facile patet. *Grotius, Hammondus* aliique intelligunt *Barchochebam*, temporibus Hadriani, qui etiam Christianos hostiliter insectatus est, quia noluissent ei obsequi, neque Christum abnegare. Sed ad seriora illa tempora hoc pertinere nullo modo potest. Recentiores interpretes referunt ad Zelotas, qui e voragine sub locustarum signo proruperant. Cap. IX, 2. Interemti sunt Ananus et Iosua nocte illa fatali, qua Idumaei in urbem intromissi erant, ut Iosephus nos docet. Sed audiamus *Ewaldum* de hoc loco ita disserentem: „Insontium caedes impia

hic *belluae* immani ex orco emersurae, i. e. Imperatori *Neroni* seu Antichristo tribuitur; nec alium aptius fingere licuit vati. Qui enim omnium quae proba habentur et divina inimicus est acerrimus et placari nescius, eumne non deceat prophetarum horum prorsus insignium totiusque terrae mirationem impiorumque ditiorum invidiam moventium (Vs. 9. 10.) hostem prodire? Cui quidem Antichristo (quem nisi Messias XIX, 11—21. nemo vincat) resistere nequeunt prophetae duo, Christi instar in terra viventis egregia morte doctrinam, quam profiteri non dubitarunt, nobilem confirmantes. Hunc igitur antichristum hic nomine τὸ θηρίον κ. τ. λ. significari satis est perspicuum; delibavit hic vates *belluae ex orco emergentis* et nomen et mores, infra c. XIII — XIX. uberius et perspicuo describendos, ut hic quidem locus per se solus intelligi prorsus nequeat, idque mirari desinamus, omnino vatem paullatim distinctius omnia exponere reputantes. Cumque infra XIII, 1. sqq. bellua e θαλάσσῃ prodiens delineatur, ἄβυσσος hic *mare* infinite profundum significare videri possit; sed de *Orco* esse intelligendum docet locus XVII, 8."

8. Καὶ τὸ πτῶμα — ἐσταυρώθη) τὸ πτῶμα vera quidem lectio esse videtur, sed per enallagen singularis numerus positus est pro plurali πτώματα, sicuti statim etiam ἐπὶ τῆς πλατείας pro ἐπὶ ταῖς πλατείαις, *in plateis*. Πνευματικῶς, i. e. per similitudinem quandam. Significantur autem *Hierosolyma. Sodomis* saepe Prophetae Iudaeam comparant in peccatis et in poena, Deut. XXXII, 52. Ies. I, 10. III, 9. Ierem. XXIII, 14. Adde 2 Petr. II, 6. Iudae comm. 7.

Comparatur etiam *Aegypto*, quia sicut Aegyptus Iacobi populum vi oppresserat, ita Hierosolyma Christi populum. De moribus Aegyptiis multum retinuisse Hebraeos, queritur etiam Ezechiel, c. XXIII, 19. Quum addit noster; ὅπου καὶ ὁ Κύριος αὐτῶν ἐσταυρώθη, indicare vult, nil mirum esse, si discipulis eveniat, quod evenerat magistro. Nam ad Apostolos et alios doctores hoc esse referendum, nonnullorum interpretum est sententia. Exempla nonnulla de Episcopis etiam Hierosolymitanis interfectis habet *Eusebius*. De *Symeone* Kleopae filio Hist. Eccles. III, c. 32. Μετὰ Νέρωνα καὶ Δομετιανὸν — μερικῶς καὶ κατὰ πόλεις ἐξ ἐπαναστάσεως δήμων, τὸν καθ' ἡμῶν κατέχει λόγος ἀνακινηθῆναι διωγμόν· ἐν ᾧ Συμεῶνα τὸν τοῦ Κλωπᾶ, ὃν δεύτερον καταστῆναι τῆς ἐν Ἱεροσολύμοις ἐκκλησίας ἐπίσκοπον ἐδηλώσαμεν, μαρτυρίῳ τὸν βίον ἀναλῦσαι παρειλήφαμεν. Deinde refert Eusebius ex Hegesippo, eundem Symeonem, senem centum et viginti annorum supplicio cruois fuisse affectum. Quomodo hoc, quod dicit Ioannes (ὅπου ὁ κύριος αὐτῶν ἐσταυρώθη) ad summos Iudaeorum sacerdotes, Ananum et Iosuam referri possit, equidem non video, nisi dicamus eos clam fuisse Christianos, quod facilius dicitur quam probatur. Ex *Eichhornii* tamen sententia Iesus Christus *Anani* et *Iesu dominus* dicitur propterea, quod is quasi exemplum dici poterat, quod duo illi pontifices in eo secuti sint, quod cum summa animi fortitudine et vitae periculo, quam diu licebat, rebus Iudaeorum desperatis consuluerunt. *Ewaldus:* Quod Christus *Eliae Mosisque dominus* dicitur ne miremur; hunc enim Deo proximum et illi colunt moxque affuturum vindicem praedicant.

9. Καὶ βλέπουσιν — εἰς μνῆμα) Passim legimus, ad hoc crudelitatis progressos esse Ethnicos, ut Christianos interemtos sepeliri prohibuerint. Sed etiam de Anano et Iosua legimus, eos, interemtos a Zelotis, inhumatos aliquamdiu iacuisse Hierosolymis; omniumque ludibrio expositos. Vid. *Iosephus* de B. I. Lib. IV, cap. 5. §. 3. Ἡμέρας τρεῖς καὶ ἥμισυ, i. e. *per breve admodum tempus.*

10. Καὶ οἱ κατοικοῦντες — ἐπὶ τῆς γῆς) Οἱ κατοικοῦντες ἐπὶ τῆς γῆς sunt Iudaei. Hi gratulati sunt sibi invicem, occisis Christianis doctoribus, quasi deletis maximis suis adversariis. Ἐβασάνισαν τοὺς κατοικοῦντας ἐπὶ τῆς γῆς, nempe molesti fuerant Iudaeis, quibus malos mores, tum docendo, tum aliter vivendo exprobrabant. Ex aliorum interpretum, *Eichhornii* nominatim sententia, imagine hac describitur Zelotarum insania, qui ab hoc inde tempore, laxatis frenis in enormem ruebant licentiam, quod nemo esset, qui eos refrenaret. *Ewaldus:* οἱ κατοικ. ε. τ. γ. *homines* hic facile apparet *impios* tantum cuiuscunque generis, gentiles potissimum (Vs. 7.), intelligi posse, quos num porro in Palaestina tantum, in qua prophetas hos morantes vates cogitare videtur, degentes, an plures ceteris in terris intelligere fas sit, haud anxie quaerendum; famam tamen prophetarum horum Palaestinae fines egressam cogitare videtur vates.

11. Καὶ μετὰ — πόδας αὐτῶν) Καὶ ἔστησαν more Hebraeo ponitur pro εἰς τὸ στῆναι. Ἐπ' αὐτούς, sc. τοὺς μάρτυρας. Quod ad sensum attinet, non male *Hammondus:* Non multo post Deus iniurias

eorum ulciscetur, et Christiani reflorescere incipient, potentia ac misericordia Dei veluti e mortuis excitati. καὶ φόβος — αὐτούς) Non potuerunt non agnoscere in ea re divinam providentiam, aut eam non revereri.

12. Καὶ ἤκουσαν — οἱ ἐχθροὶ αὐτῶν) Videbantur veluti in coelum rapti, fruebanturque insigni tranquillitate, dum religionem christianam profitebantur. Ex *Eichhornii* interpretatione sensus comm. 11. 12. est: A Zelotis quidem pontifices illi post mortem adeo verbis proscindentur contumeliosis; verum ob immortalia de re Iudaeorum publica merita *largis a Deo digni habebuntur praemiis.* Hoc ita declarat Noster, ut transferat ad eos, quae de Elia memorantur (2 Reg. II, 11.), et quum interemti essent, nec possent *vivi* per aërem ferri, primum in vitam e mortuis revocantur ut tum in coelum rapiantur. Sed vide notata ad Vs. 3. huius capitis.

13. Καὶ ἐν ἐκείνῃ — χιλιάδες ἑπτά) *Terrae motus* est emblema magnae cuiusdam rerum conversionis in republica. Referunt hoc nonnulli ad tempora Hadriani, qui eo loco, quo Hierosolyma steterant, novam condidit urbem, quam de nomine suo Aeliam vocavit, eamque incolendam non tantum Iudaeis sed et Gentilibus tradidit. *Barchochebas* magnam Iudaeorum multitudinem contraxit, et occidit aut spoliavit eos, qui cum ipso contra Romanos arma capere detrectabant. Sed misere periit impostor cum iis, qui eum erant secuti, et factio eius ex urbe Aelia eiecta est. Sed de tempore Hadriani hic non potest esse sermo, quia infra demum devastatio Hierosolymorum urbis et cala-

mitas reipublicae summa describitur. Respicitur itaque ad aliud factum durante bello Iudaico sub Tito. Intelligitur forsan seditio orta eo tempore, quum Pontifices et Optimates a Zelotis oppressi essent, Ioseph. de B. I. V. c. 1. *Ewaldus* haec accipit atque explicat sic: „Iam e vestigio irae Dei iustae signum sequitur terrae motus gravis, qualis Christi quoque caedem secutus esse traditur Matth. XXVII, 51. coll. XXVIII, 2., ut et hic vatem quaedam e Christi historia simili ad martyres hos traduxisse videas. Qua poena dira urbs tamen sancta non tota concussa corruit, sed *decima* tantum pars, interfectis 7000 hominibus. Quos numeros quanquam vagos esse per se patet, tamen hoc consilio electos esse apparet, ut partem tantum urbis incolarumque *satis parvam* noxas e poena divina sensisse innuant. Quaque de causa tam paucis noxa inferatur, sequentia statim docent verba. Neque enim urbs sancta delenda vati videbatur, sed poena tantum leviori admonenda, ut ceteri saltem, impiis deletis, poenis divinis territi ad saniora redeant Deique cultum sincero studio arripientes inter ultimas calamitates terrae instantes servari queant.“ *καὶ ἀπεκτάνθησαν — ἑπτὰ*) Homines qui in ea seditione ceciderunt, primitiae quasi et decimae erant exitii paullo post futuri. *Pars decima*, i. e. Sacerdotes, qui decimas accipiunt, vel *magna pars*. Nomina 7000 virorum, sunt viri nobiles et principes, 2 Reg. XXIV, 16.

14. Ἡ *οὐαὶ—ταχύ*) Ex tribus calamitatibus denunciatis c. VIII, 13. prima exponitur c. IX. a commate 1. ad 12., alterum erat cap. IX, 13. sqq. *Vespasiano* castra movente, et ad obsidendam urbem se accingente.

Tertium *vae* erat ipsa urbis obsidio, quae autem post interiectas alias narrationes cap. XVIII. narratur. *Ewaldus:* „Ipsum ultimum Vae adest statim cum tuba ultima et vindictae finem et melioris Messiae regni initium afferente Vs. 15 — 19., ut licet vindictae huius exsequendae descriptio longius trahatur (c. XIV, 6. XV. XVI.), tempus tamen eius iam proxime instare iure dicatur. Nam melioris aevi initio, quod proxime Vs. 15 — 19. describi satis elucet, vindicta ultima tam arcte iuncta est, ut illud sine hac cogitari nequeat; et dum quod *propere* adventurum hoc Vs. annunciatur, longius tamen priusquam omni ex parte explicetur protrahitur, attentio lectoris suaviter excitatur detineturque.“

15. Καὶ ἐγένοντο—οὐρανῷ) Voces angelorum Deum laudantium, quod excidio urbis appropinquante, Christianis libertatem maiorem esset daturus, et propaganda esset ulterius religio christiana. λέγουσαι — αἰώνων) i. e. *Imperium habet super mundum Dominus noster et Messias ab eo missus* etc. Κύριος h. l. ut apud LXX. est יהוה. Deus per Christum, et Christus Dei nomine regnant semper; sed ibi eximie regnare dicuntur, ubi libere praedicatur Evangelium.

16. Καὶ οἱ εἴκοσι — τῷ θεῷ) Ut supra cap. IV, 4. 10. V, 8. 14. VII, 11.

17. Ὅτι εἴληφας — ἐβασίλευσας) i. e. *Quod usus es potentia tua magna, et imperium exercuisti.* Fractis nempe Iudaeorum viribus, ut iam nocere amplius non possint Christianis ut antea.

18. Καὶ τὰ ἔθνη — κριθῆναι) *Quum irascerentur gentes, tu poenas ab iis sumsisti, et statuisti vindicare eos, qui mortui sunt* ob Christi nomen. Priora verba desumta sunt ex Ps. II., qui locus in simili caussa applicatur *Iudaeis* Act. IV, 26. 27. Adde Ps. XCIX, 1. Κρίνειν saepe est *vindicare;* et *mortui* h. l. sunt, qui ob nomen Christi mortui sunt. Sensus est, venisse iam tempus, quo impletum quod dilatum fuerat. c. VI, 11. καὶ δοῦναι—διαφθείροντας τὴν γῆν) *Prophetae* hic sunt Doctores religionis christianae, et *οἱ ἅγιοι* sunt Christiani alii. In verbo διαφθεῖραι est πλοκή. Nam διαφθείροντες τὴν γῆν dicuntur, qui pravo exemplo alios corrumpunt, similes hominibus ante diluvium; et Deus eos dicitur διαφθεῖραι, i. e. *punire.*

19. Καὶ ἠνοίγη — ναῷ αὐτοῦ) Coelum, sedes Dei, iam aperitur. Iubentur Christiani qui in Iudaea erant, animos semper ad summum coelum attollere, ubi Deus habitat cum summa maiestate. In adventu Messiae expectabant Iudaei arcam foederis occultatam iterum manifestatum iri; sed in coelo multo maiora bona piis Christianis, tanquam vero populo Dei reposita sunt. καὶ ἐγένοντο — μεγάλη) Nova et ingens rerum conversio hac imagine significatur. Cf. supra IV, 5. Exhibet nempe Ioannes imaginem ortae ecclesiae christianae ex Ethnicis, et statum eius sub Imperatoribus et magistratibus ethnicis, graphice depingit; quo facto redit ad prophetiam de rebus inter Iudaeos gerendis. Est igitur hoc initium non tantum capitis XII. sed et novae prophetiae, pertinentis ad destructionem idololatriae, et propagationem religionis christianae inter gentes. — En, quae *Ewaldus* de h. l. iudicat: „Haec

omnia satis monstrant, quam parum iuste interpretes plurimi versibus his 15–19. Hierosolymae per Romanos excidium describi putent; quae quidem opinio et argumentis nullis prorsus superstructa est, et tot ex verbis singulis aeque ac totius operis visionumque distributione et argumento sibi habet opposita, ut penitiori examine haud opus esse videatur. Quid? quod infra XX, 9. Hierosolyma ipsa ut sanctorum in terra sedes intacta stat, ut eam hic deleri absonum sit. Uterque potius locus optime sibi respondens Hierosolymam hic prius poena leviori emendari dicit, quo aptius deinde sanctorum (Christianorum) sedes maneat nulli calamitati poenaeque obnoxia. "

CAP. XII.

Repraesentantur a cap. XII—XIII, 10. fata regni Christi inter gentes usque ad tempus expugnationis Hierosolymorum. Inter multa pericula et varias persecutiones religio Christiana in variis locis propagatur et conservatur. Ex *Eichhornii* sententia c. XII, 1 — 17., describitur primum ecclesiae christianae status, qualis post devictum Iudaismum cogitari poterat, infirmus; deinde misera Iudaeorum, qui Iudaismo inhaerent, conditio, adiecta tamen spe, fore, ut et ipsi aliquando ad disciplinam christianam transgressi, ad felicitatis fructum perveniant. Iudicium sit penes lectores, quos ad ipsum Eichhornii librum delegamus, quia rationes eius examinare instituti nostri ratio non patitur.

1. Καὶ σημεῖον — οὐρανῷ) Connectenda haec sunt, ut recte monuit Grotius, cum postremis quae praecesserant. Post nubila Phoebus. Σημεῖον hic est ostentum, non in re, sed ἐν ὑποτάσσει. Ἐν τῷ οὐρανῷ, *in coelo*. Quod in terris eventurum erat, id ita eventurum esse, in coelo decernitur, Christum nempe victoriam reportaturum esse in Satanam (Io. XIV, 30.), i. e. in idololatriam, cuius auctor et promotor Satanas habetur. γυνὴ — δώδεκα) Ecclesia Christiana, quae erat Hierosolymis, et in Iudaea, repraesentatur per *solem*, *lunam et XII. Zodiaci signa*, ut Gen. XXXVII, 9. populus Iudaeus; quae est scita Wetstenii observatio. Fulgebat iam sua maiestate ecclesia, insigni victoria reportata super Iudaeorum pertinaciam. *Ewaldus* postquam observasset, cur de *Maria*, Iesu matre (suadente quamvis sensu Vss. 6. 14.), non sit cogitandum, haud dubitat, quin *foeminae* imagine *ecclesiam Israeliticam* intellexerit vates. „Cum enim Hebraeis iam antiquioribus terram populumque foeminae imagine cogitare suetum sit, vates hic Israelitarum populum, e quo Messias ortum ducit, eo facilius imagine invitante foeminam depingere poterat. Utque omnino vatem populum Israelitarum (i. e. totum spectatum, quanquam nonnullos suae aetatis non probaverit) sanctum habere plurimique facere saepius vidimus, ita hic imprimis splendidissimam eius imaginem describit, quippe quae gens iam ob ipsum Messiam ex ea pronatum venerationi summae habenda sit gloriamque induerit summam. Quare nec moramur Dei hic curam, qua ecclesiam Israeliticam tueatur, sedulam describi Vs. 6. 14—

16.; neque enim vatem interitum genti sanctae cupere, supra iam XI, 2. 13. probatum vidimus."

2. Καὶ ἐν γαστρὶ — τεκεῖν) Intelligitur manifestatio regni Messiae, et propagatio Evangelii inter gentes. Parturiebat ecclesia ex Iudaeis primum collecta ecclesiam ex gentibus Christo; quod sine magno labore ac molestia fieri non poterat. Eadem locutio Gal. IV, 19. Sunt verba ad rem valde apposita: κράζει et βασανιζομένη, *crucians se*, *enitens parere*, magnis doloribus partum tentans.

3. Καὶ ὤφθη — ἑπτὰ) Imago Draconis est Diabolus, maximus adversarius christianae religionis, quem Rabbini vocant הַנָּחָשׁ קַדְמוֹנִי, *aetiquum serpentem*. Cf. infra XX, 10. Hanc explicationem postulat perpetuus usus loquendi in N. T., quo Satanas tanquam maximus adversarius humani generis, inprimis vero religionis christianae repraesentatur. Hic et in sequentibus habes verba Christi Luc. X, 18. variis coloribus et figuris depicta et amplificata: ἐθεώρουν τὸν Σατανᾶν, ὡς ἀστραπὴν, ἐκ τοῦ οὐρανοῦ πεσόντα. Adde Io. XII, 31. νῦν ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου ἐκβληθήσεται ἔξω, et alia loca his similia in Ioanne. In singulis non est argutandum. Si tamen ratio afferri debeat, cur his, nec aliis coloribus Ioannes depingere voluerit Draconem, μέγας vocari videtur, ob robur; πυρρός, ob sanguinolentiam, qua instrumenta eius, Ethnici nempe persecuti sunt Christianos; ἔχον κεφαλὰς ἑπτὰ καὶ κέρατα δέκα, ob varias artes, et violenta media, quibus usi sunt Ethnici ad opprimendos Christianos: ἔχων ἐπὶ τὰς κεφα-

λὰς αὐτοῦ διαδήματα ἑπτὰ, ob insignem honorem et cultum, qui Satanae in numinum cultu exhibebatur.

4. Καὶ ἡ οὐρὰ — εἰς τὴν γῆν) Cauda serpentis calliditatem eius significat, qua utitur antequam vires adhibeat aut etiam postquam vim irritam esse animadvertit. Quod secum traxit tertiam partem stellarum, innuere videtur, multos Christianismum externe professos, vi et cruciatuum variis generibus eo adactos esse, ut a fide deficerent, et ad cultum Deorum redirent. καὶ ὁ δράκων — καταφάγῃ) Quamprimum ecclesia ex Gentilibus colligi coepit, Satanas per idolorum cultores eam opprimere studuit. Praesertim Ecclesia Romana mox in maximo versata est periculo, ne devoraretur a Dracone, cui inserviit potentia Romanorum, ac vexatio Neronis imperatoris, nisi singulari providentia Dei servata fuisset.

5. Καὶ ἔτεκεν — σιδηρᾷ) *Masculo* non foeminae comparatur ecclesia nascens ex gentibus, quia olim erat destructura idololatriam longe lateque dominantem. Quare statim additur: ὃς μέλλει ποιμαίνειν πάντα τὰ ἔθνη ἐν ῥάβδῳ σιδηρᾷ, quae verba desumta sunt ex Ps. II, 9. *reges eos sceptro ferreo.* Vid. de hoc loco not. supra ad II, 27. καὶ ἡρπάσθη — θρόνον αὐτοῦ) Deus ipse in tutelam recepit Christianos coetus ex gentibus hic inde nascentes, eosque peculiari suo favore dignatus est. Irriti fuerunt conatus idololatrarum contra Christianos. *Ewaldus:* „Puerum quem foemina iam enititur, *Messiam* esse, satis superque verbis ὃς μέλλει ποιμαίνειν πάντα τὰ ἔθνη significatur; tempus vero *futurum* hic ob puerum recens natum

apte positum infra XIX, 5., ubi Messias victor describitur, in praesens mutatur. Utque puer simulatque ex utero prodiit insidiis Satanae voracis eripiatur, in coelum subito aufertur ad Dei thronum; hoc enim solo in loco nunc non tutus tantum servari potest, sed ut Messias Dei σύνθρονος (III, 21. V, 6.) dignus etiam est, qui ibi consideat."

6. Καὶ ἡ γυνὴ — ἐξήκοντα) Imago desumta est a Maria virgine, fugiente in Aegyptum cum infante Iesu. Durante bello Romanorum cum Iudaeis, Christiani etiam in Iudaea magnis periculis fuerunt expositi. Sed consuluerunt sibi fuga. Concesserunt nempe *Pellam* in Peraea, teste Eusebio H. E. Lib. III, c. 5. Hic autem respicere videtur sanctus vates ad conservationem et propagationem religionis christianae, inter media pericula, quibus expositi erant eius confessores inter gentiles. Ὅπου ἐκεῖ, hebraea locutio, pro qua Graecis sufficeret ὅπου. Ἵνα ἐκεῖ τρέφωσιν αὐτὴν ἡμέρας χιλίας διακοσίας ἑξήκοντα, i. e. *ut ibi aleretur* 1260. *dies.* Hebraismus. Tempus hic rursum annorum trium et dimidii, quamdiu duravit bellum Iudaicum ducibus Vespasiano et Tito. Ceterum haec per anticipationem dicuntur; praecessit enim pugna Michaelis cum Dracone; qua finita, Draco persecutus est mulierem, comm. 13. 14.

7. Καὶ ἐγένετο — ἄγγελοι αὐτοῦ) Sub imagine victoriae, quam bonorum angelorum in coelo princeps, Michael, de angelorum malorum principe, Satana, reportaverit, significatur, ex divinae providentiae decreto factum esse, ut iam Satanas potestate sua, quam per

idololatriam exercuerat, privaretur. Totus igitur hic locus nonnisi imaginem poëticam continet, e Iudaeorum Theologia desumtam, qua Angeli sunt ministri providentiae divinae, et mali Daemones adversarii Dei et bonorum. De significatione nominis *Michael* vid. epist. Iudae Vs. 9. Is Michael, alias Patronus Iudaeorum, nunc sistitur Patronus Christianorum. Οἱ ἄγγελοι αὐτοῦ, angeli quibus ille praeerat. *Draco*, princeps malorum daemonum. Angeli eius sunt minoris potentiae daemones, quibus ille praeerat. *Schir* R. VIII, 14. fin. R. Isaac dixit: *Deus S. B. non sumit ultionem de gente inferius, nisi postquam cadere fecit principem eius desuper.* Dixit R. Chanina: *in aeternum S. B. non punit gentem, nisi prius puniverit principem eius superne.* Πολεμεῖν h. l. est *verbis contendere.* Cf. infra Vs. 10.

8. Καὶ οὐκ ἴσχυσαν — οὐρανῷ) Καὶ οὐκ ἴσχυσαν, *sed non praevaluerunt*, לֹא נִבְרָה. Est λιτότης. *Victi sunt. Neque locus inventus est eorum amplius in coelo*, quasi dicat: nullum amplius in coelo locum obtinuerunt. Non dissimilis locutio est illa Ciceroniana pro Quintio: *ut locum suum, quem adhuc honestissime defendit, obtineret.*

9. Καὶ ἐβλήθη — ἐβλήθησαν) Ἐβλήθη, *deiectus est*, nempe de coelo. Quo Symbolo significatur, amisisse Satanam potestatem suam, propagatione religionis christianae. Ὁ ὄφις ὁ ἀρχαῖος, *serpens antiquus.* Antiquum vocat, quia fuit ab exordio mundi. Nam is est qui Evam decepit, quem *Sammaelem* appellant, Symbolum et auctor omnium malorum in his terris.

10. Καὶ ἤκουσα—χριστοῦ αὐτοῦ) *Et audivi vocem magnam haec pronunciantem: Nunc salus* (victoria) *et potentia, et regnum Dei nostri, et Messiae ab eo missi imperium palam declaratum* (stabilitum) *est.* Φωνὴν μεγάλην ἐν τῷ οὐρανῷ, acclamationem angelorum coelestium, qualis supra V, 11. XI, 15. Ἡ σωτηρία, *salus*, i. e. *victoria*, ob conservatam religionem christianam. Ἐγένετο ἡ ἐξουσία τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ, manifestatur potentia Messiae quem misit. ὅτι κατεβλήθη — νυκτὸς) Vocabulum κατήγορος Hebraei suum fecerunt; dicunt enim קטיגור, cui opponitur סניגור id est συνήγορος, quem oratorem bonum interpretantur, ut קטיגור hostem, inimicum, adversarium, osorem. R. Iuda in libro Musar 126. 2. Κατήγορος, inquit, est *Satan*, i. e. *adversarius* vel *calumniator malus qui adversatur homini, aut calumniatur eum coram creatore benedicto sive laudando. Schemoth* R. XVIII. f. 117. R. Iose dixit: *Michael et Sammael similes sunt* συνηγόρῳ et κατηγόρῳ, *qui in iudicio stant.* XXI, f. 121. 1. *stetit Sammael angelus ad accusandum eos.* Inde patet quid sit πολεμεῖν, comm. 7., nempe *calumniari bonos*, iis insidiari, eos ad mortemraper e. Nota, Christianos *fratres* ab angelis dici, quia sub communi capite sunt, Christo (nisi potius *vocem* illam *altam* a *Presbyteris* viginti quatuor dimissam credas), et verbis ὁ κατηγορῶν αὐτῶν etc. alludi ad *Iobi* historiam c. I. 9. 10. 11. 12. 14. Dixerat Daemon Deo: non magni facienda est fides Christianorum; levia tentamenta superant; sub mortis metu succumbunt. Ἡμέρας καὶ νυκτὸς, i. e. *perpetuo.*

11. Καὶ αὐτοὶ ἐνίκησαν — μαρτυρίας αὐτῶν) Ἐνίκησαν αὐτὸν, nempe fratres nostri. Refutarunt ipsius calumniam. Per constantiam suam in religione obtinuerunt victoriam. Διὰ τὸ αἷμα τοῦ ἀρνίου, *propter Christum*, agnum immaculatum, qui sanguine suo eos redemit. Καὶ διὰ τὸν λόγον τῆς μαρτυρίας αὐτῶν, *et propter doctrinam quam professi sunt.* καὶ οὐκ—θανάτου) Non dubitarunt vitam suam profundere, mortemque oppetere pro Christo.

12. Διὰ τοῦτο—σκηνοῦντες) Οἱ οὐρανοί, est Prosopopoeia, qualis Ps. CXLVIII, 1. sqq. Οἱ ἐν αὐτοῖς σκηνοῦντες, angeli: excitant enim se mutuo. καὶ τῇ γῇ — καιρὸν ἔχει) Τῇ γῇ καὶ τῇ θαλάσσῃ, i. e. *hominibus in insulis et aliis terris. Terra et mare* ponuntur pro hominibus qui in diversis terris, etiam ad mare habitant. Ita esse intelligendum, patet ex sequentibus verbis: ὅτι κατέβη ὁ διάβολος πρὸς ὑμᾶς, coelo detrusus Diabolus, iam ubicunque terrarum excitabit bella et seditiones, persecutiones etiam contra Christianos. Additur caussa, quod nempe sciat, parum temporis sibi restare, quo grassari possit in terrae incolas, ideoque brevitatem gravitate se compensare velle. *Ewaldus:* „Vs. 10 — 12. coelites ob tantum Messiae hostem coelo motum gaudio exultant eximio, nunc demum Messiae regno nil obstare, nec quidquam a delatore piis timendum esse sibi gratulantes; homines tamen in terra versantes ob mala a Satana per breve quod ipsi usque ad regnum Messiae in terra etiam stabiliendum firmum restet tempus iis struenda miseros deplorant. Quae omnia egregie sic ad miseram piorum in terra sortem levandam solatium-

que iis praebendum composita sunt. Quanta enim redundat spes laeta, si in coelo saltem delatore excluso Messias regnat suorum pstronus assiduus! imo si mox eum affore in terra ad omnem Satanae impiorumque potestatem evertendam certa est exspectatio!"

13. Καὶ ὅτι εἶδεν — τὸν ἄῤῥενα.) Redit Ioannes ad id, quod per anticipationem dixerat comm. 5. 6. *Ewaldus:* „Dehinc (Vs. 13 — 17.) vati monstrandum erat, qua ratione optima Satanas totam denique indignationem suam in solos Christi asseclas converterit. Satanam igitur vates, quae ipsi proxima est temporeque et ipsa re prior, foeminam prius matrem Messiae, seu ecclesiam Iudaeam, persequi, et cum ea ab ira eius satis muniatur, in Christianos cognatos Messiaeque propiores eo infestius irruere fingit. Quae fictio vatem suo tempore Christianos magis quam Iudaeos calamitatum immeritatum onere gravissimo pressos esse sibi cogitasse, monstrat; cetera haud singula premenda et ad vivum resecanda sunt, cum vatem tota fictione hac id tantum explicare voluisse pateat, qua ratione hoc tempore tantum calamitatum agmen in Christianos *solos* saeviat."

14. Καὶ ἐδόθησαν — τοῦ ὄφεως.) Ἐδόθησαν τῇ γυναικὶ δύο πτέρυγες etc. i. e. ὡς δύο πτέρυγες, *fugiebant tam celeriter Christiani, ac si alas haberent.* In singulis verbis pondus est. Nam et alae celeritatem indicant, et duabus volatur, non una, et aquila pernicius volat quam reliquae aves, et magna aquila parvam vincit volatu. Εἰς τὸν τόπον αὐτῆς, *in loca destinata illi.* Καιρὸς καὶ καιροὶ, καὶ ἥμισυ

καιροῦ, i. e. *triennium et sex menses*, vel ut supra Vs. 6. expressum erat: 1260. *dies*. Nam καιρὸς, hebr. עֵת est *annus*. Sic LXX. transtulerunt Gen. XVIII, 10. *Ewaldus*: „Quae temporis nota quanquam tempus tantum *satis longum* ex vatis mente notat, notandum tamen, eundem prorsus annorum numerum supra XI, 2. 3. Hierosolymae profanandae tributum esse, ut illo aeque ac hoc loco vatem de ultimo rerum tempore Messiae adventui praevio cogitasse appareat. Sed ita haec si se habent, vatem quod nec ab eo exspectari potest, *temporum* in tota fictione parum exactam curam habuisse concedendum est. Nam post Messiae statim ortum bellumque coeleste ipsi infaustum transactum, foeminam (i. e. ecclesiam Iudaeam), nec multo post Christianos draco adoritur.“ Ἀπὸ προσώπου τοῦ ὄφεως, *a serpente*. *Serpentem* autem vocat, quem prius draconem dixerat. Quod ad sensum attinet, vide notata supra ad comm. 6.

15. Καὶ ἔβαλεν—ποιήσῃ) Significatur, diabolum insidiatum esse per organa sua Christianis; voluisse ecclesiam illam vi fluminis abreptam submergere, sed irrito conatu.

16. Καὶ ἐβοήθησεν— στόματος αὐτοῦ) Symbolum irriti laboris. Flumina quaedam a terra absorberi constat. Sic etiam conatus Cacodaemonis vani fuerunt. Non potuit opprimere Christianos.

17. Καὶ ὠργίσθη — μαρτυρίαν Ἰησοῦ) *Nam iratus erat* etc. Καὶ saepe significat: *nam*. Caussa commemoratur, cur draco fecerit id, quod Vs. 16. dictum

erat. Quum nihil effecisset contra Christianos ex Iudaeis, vel coetus christianos in Iudaea, rediit ad pristinas cogitationes contra Christianos in aliis provinciis Romani Imperii viventes, ἀπῆλθε ποιῆσαι πόλεμον μετὰ τῶν λοιπῶν τοῦ σπέρματος αὐτῆς. Vide supra Vs. 5. Consilium suum frustra susceptum videns draco, foeminam dimittit totam rabiem in Christianos efflaturus. Dicuntur hi (ait *Ewaldus*) οἱ λοιποὶ τοῦ σπέρματος, *reliqua foeminae soboles*, cum post Messiam Iudaeosque ereptos soli Christiani ex ecclesia iudaea restent; ut enim ipse Christus ita Christiani ecclesiae huius soboles dici haberique possunt. Hos tamen intelligendos esse dilucidius vati dicendum erat; unde adiicit: *qui Dei praecepta servant Iesuque doctrinae professionem firmiter tuentur;* quae satis apta est Christianorum ex vatis mente descriptio cum legum Mosaicarum studio alacriori et saniori fidem in Iesum Messiam firmam iungentium.

18. Καὶ ἐστάθην — τῆς θαλάσσης) in littore Patmi: ibi enim Ioanni ὀπτασία contigit de fera, quae iam sequetur. Id initium est capitis proxime sequentis, quod potius ab hoc versu inchoandum erat.

CAP. XIII.

1. Καὶ εἶδον — βλασφημίας) Monstrum ingens, horrendum describitur, Symbolum idololatriae. Ostenditur praecipue, quibus mediis usi sint Imperatores Romani et magistratus, ad opprimendos Christianos. Habebat hoc monstrum, nempe Gentilium idololatrica superstitio

decem cornua, et *totidem diademata*. Est hoc monstrum nihil aliud nisi Symbolum horrendae crudelitatis, et malarum artium, quibus usi sunt idolorum cultores in vexandis Christianis. Numerus denarius et septenarius est symbolicus, ad amplificandam imaginem. *Cornua* sunt symbola potentiae, diademata autem regiae dignitatis. Capitibus monstri inscripta erant *nomina blasphema*. Character igitur huius monstri est, quod conviciis et calumniis petat Christianos, quod patet intra ex comm. 5. 6. 7. Obiecta nempe Christianis ab Ethnicis asinini capitis veneratio, Uranolatria, Heliolatria, Aedeolatria, Serapidolatria, Staurolatria, Atheismus, impostura, magia, laesae maiestatis crimen, odium generis humani, Thyesteae epulae, Oedipodeus concubitus, et alia multa crimina, de quibus peculiarem librum scripsit *Christianus Kortholtus*, sub titulo: *Paganus obtrectator, sive de calumniis Gentilium in Veteres Christianos, libri III.* Kiloni 1698. Vide, quam apte monstro horrendo comparaverit hunc furorem Gentilium Ioannes.

2. Καὶ τὸ θηρίον — λέοντος) Non potuit satis foeditas et saevitia Romanae idololatriae exprimi sub unius ferae imagine, itaque plures fuere assumendae. Et eas maxime nominat Ioannes, quarum ministerio Romani usi in poenas Christianorum. *Pardali*, varii coloris animal: sic idololatria Romana Deos hababat mares, foeminas, marifoeminas, maximos, medioximos, minimos, bonos, malos, medios, vario vultu, vario habitu, varia potestate. *Pedes similes pedibus ursi*, et *os leonis* ostendunt, idololatriae saepe comitem fore saevitiam, nonnunquam etiam leonibus et ursis usuram in

Christianos. καὶ ἔδωκεν — μεγάλην) Draco ille nominatus supra XII, 3. omnem suam potestatem, imperium et maiestatem tradidit huic monstro. Nam Diabolus repraesentatur tanquam Deus huius mundi, auctor omnis superstitionis et idololatriae. Diabolicis furoribus et artibus usi sunt Imperatores et magistratus Romani, instigante plebe, ad opprimendos Christianos in Romano imperio. *Ewaldus* quoque belluam istam *potentiam impietatemque Romanam*, et Urbis et Imperatorum, notare existimat, ita tamen, ut *Neronis* potissimum rationem habuerit vates. Satanam Neroni totam suam potentiam odiumque acre mandasse, qui loco eius in Christianos saeviat. Porro observat, poetis iam antiquis haud insolitum fuisse, terram imperiumve aliquod bestiae ibi commorantis signo notare (Ezech. XXIX, 3. Ps. LXXIV, 13. Ies. XXVII, 1.), unde etiam animalia in numis sigillisque regnorum obvia sunt insignia. Idem observat, monstrum illud non *unius* belluae robur formamque referre, sed multarum fortissimarum, ut belluarum seu regnorum trium a Dan. VII, 4—6. descriptorum robur immanitatemque iuncta possideat; toti enim terrarum orbi imperasse Romanam potentiam saevam. Praecipuum tamen hoc esse, Satanae omne hoc Romani imperii robur *immane* (unde hic tria vocabula δύναμις, θρόνος, ἐξουσία) deberi, ut loco eius Christianos imprimis infestet; sicut Christus ipsi oppositus omnem potestatem a Deo accepit II, 28. III, 21.

3. Καὶ μίαν—εἰς θάνατον) Significatur, superstitioni ethnicae lethale quasi vulnus, πληγὴν τοῦ θανάτου, esse inflictum, sc. per religionem christianam. *Grotius*,

Hammondus, *Clericus* et alii hoc *lethale vulnus* intelligunt de incendio Capitolii, bellantibus inter se Vitellianis et Flavianis, ut refert Tacitus Hist. L. III, c. 71. quod pro malo omine habitum est. Hic enim non res ipsa spectanda est, ut recte monet *Clericus*, sed opinio hominum, ex qua Christiani contra Ethnicos argumentari recte poterant. Vulgo igitur prodigii loco habitum, si Templum de coelo tangeretur idque prodigium eo maius erat, quo augustius existimabatur templum. Propterea incendium Capitolii sub Vespasiano gravissima clades habitum, ut liquet ex hisce tragicis *Taciti* verbis, Hist. L. III. c. 72. *Id facinus, post conditam urbem, luctuosissimum, foedissimumque populo Romano accidit: nullo externo hoste: propitiis, si per mores nostros liceret, Deis, sedem Iovis optimi maximi, auspicato a maioribus pignus imperii conditam, quam non Porsena, dedita urbe, neque Galli capta, temerare potuissent, furore principum exscindi* etc. Quae fuerit eius rei fama apud vicinos populos, et quemadmodum prodigium interpretati fuerint, docet idem scriptor Hist. Lib. IV, c. 54. ubi memoratis motibus Galliae et Germaniae, *nihil aeque*, inquit, *quam incendium Capitolii, ut finem imperii adesse crederent, impulerat. Captam olim a Gallis urbem; sed integra Iovis sede, mansisse imperium. Fatali nunc igne, signum coelestis irae datum, et possessionem rerum humanarum Transalpinis gentibus portendi, superstitione vana Druidae canebant.* καὶ ἡ πληγὴ — ἐθεραπεύθη) *Sed lethale vulnus eius curatum est. Vespasianus*, quod minime futurum putabatur, et urbem, et imperium, et Capitolium restituit; unde nummis eius additum: *Roma*

resurget. Quanta cum idololatriae pompa restitutum sit Capitolium, legi potest apud *Tacitum* Hist. Lib. IV, c. 53. ubi inter alia: *Tum Helvidius Priscus, praetor, praeeunte Plautio Aeliano, pontifice, lustrata suovetaurilibus area, et super cespitem redditis extis, Iovem, Iunonem, Minervam, praesidesque imperii Deos precatus, uti coepta prosperarent, sedesque suas, pietate hominum inchoatas, divina ope attollerent, vittas, quis ligatus lapis, innexique funes erant, contigit,* etc. καὶ ἐθαύμασεν — θηρίου) Oratio plena erit, si legas: *admirata et secuta est bestiam:* vel *admirata et secuta est eam.* Homines terrarum omnium, qui male existimare coeperant de Diis Romanis, Capitolio tam magnifice restituto, mutavere sententiam, rursumque in idololatria Romana facti sunt obstinatiores, tam inopinato eventu veluti attoniti. *Eichhornio* μία ἐκ τῶν κεφαλῶν, ita vulneratum, ut a morte procul haud abesset, est *Nero (quintum* caput, c. XVII, 10. 11.) qui ex Mathematicorum saltim ominibus, cum spe ad imperium vel totius orbis Romani vel Orientis redeundi, destitutus erat. Vid. *Suetonius* in Nerone c. 40. Eadem sententia est *Ewaldi*, Cuius annott. ad h. l. cf. et in Prolegg. p. 47. sqq.

4. Καὶ προσεκύνησαν — θηρίῳ) i. e. *Servierunt Diabolo;* denuo honorem et cultum exhibuerunt idolis. Est enim metonymia, quia, ubi alicui serviunt, coram eo prosterni solent. Vere autem diabolo serviunt, qui colunt idola: ipsius enim imperium etiam nescientes promovent, 1 Cor. X, 20. καὶ προσεκύνησαν — μετ' αὐτοῦ) Τῷ θηρίῳ, *idololatriae Romanae* inservierunt: sectati sunt ritus Romanos. Τίς ὅμοιος τῷ θη-

ρίφ; *quae religio par Romanae?* Τίς δύναται πολεμῆσαι μετ' αὐτοῦ; quis impune ei posset obsistere? Quasi dicerent, stulta sunt, quae moliuntur Christiani.

5. Καὶ ἐδόθη — βλασφημίας) Μεγάλα. *Tibullus*, II, 6. 11. *Magna loquor. Demosthenes* contra Midiam: Θρασὺς, μέγα φρονῶν, μέγα φθεγγόμενος, βίαιος. Romani idololatriae successibus elati prae suis diis alios spernebant. Per βλασφημίας, vel ut alii habent βλασφημίαν quid intelligat, patet ex comm. 6. καὶ ἐδόθη — δύο) Ποιῆσαι omisso, πόλεμον habent codices optimi, Vulgata, Andreas, Primasius, Pseudo-August. Ποιῆσαι autem, addita temporis nota, est *vivere, agere.* Menses 42. sive anni tres cum dimidio sunt intelligendi ut supra c. XI, 3. *aliquamdiu.*

6. Καὶ ἤνοιξε—σκηνοῦντας) Haec pertinere videntur ad persecutionem Christianorum sub *Nerone*, de quo quum incendere iussisset Romam, Tacitus Lib. XV, 44. refert: *Ergo abolendo rumori Nero subdidit reos, et quaesitissimis poenis affecit, quos, per flagitia invisos, vulgus Christianos appellabat — odio generis humani convicti sunt.* Huc etiam pertinere videtur, quod impotentiam obiecerunt Ethnici Christianorum Deo, qui aut non velit, aut non possit opitulari suis, adeoque aut invalidus sit, aut iniquus, ut Caecilius evomit apud Minucium Felicem. Καὶ τὴν σκηνὴν αὐτοῦ, i. e. cultum Christianorum et religionem. Vide supra com. 1. Praeterea quoque religio christiana Ethnicis audiebat vana, demens, praya, immodica, exitiabilis, malefica superstitio, stultitia, insania, amentia,

furiosa opinio, aniles et pueriles fabulae ac ineptiae, nugae maximae. Vid. Kortholtus l. c. Lib. I, c. IX, 2. Ἐν τῷ οὐρανῷ σκηνοῦντες, beati Martyres, quos post mortem etiam conviciis lacerare non desierunt Ethnici.

7. Καὶ ἐδόθη — αὐτούς) Ἐδόθη, permissum, concessum. Sic נתן usurpatur apud Hebraeos, quoties post se habet gerundium aliquod. Ποιῆσαι πόλεμον est hic hostiliter tractare, quamvis non resistentes. Intelligenda saevissima laniena, quod solum belli genus esse potest adversus eos, qui pati tantum, non et resistere didicerant. Καὶ νικῆσαι αὐτούς, interficiendo, in exilium, in carceres agendo, Deo ipsos in tyrannorum manus dante. καὶ ἐδόθη — ἔθνος) Hoc vult, exemplo Imperatorum, populique Romani, tractos fuisse populos ferme omnes, ut et idololatriam impudentius exercerent, et omni saevitiae genere in Christianos uterentur.

8. Καὶ προσκυνήσουσιν — τῆς γῆς) i. e. ἵνα προσκυνήσωσιν, ut serviant idololatriae omnes, qui in Romano sunt Imperio. ἂν οὐ — καταβολῆς κόσμου) Colebatur igitur monstrum ab omnibus, exceptis Christianis, quibus Deus ab aeterno praemia vitae aeternae ob praevisam constantiam decrevit. Est nempe traiectio vocum, et ipse liber dicitur ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, *ab origine mundi*, nempe *conscriptus*, ut patet ex simili loco infra c. XVII, 8. Similitudo sumta a bene moratis civitatibus, ubi ab initio conditae urbis extant perpetua monimenta, quae civium nomina continent. Nominatur autem liber vitae *agni occisi*, quia Christus, pro peccatis nostris mortuus, ab aeterno erat

destinatus, ut omnium sanctorum, inter quos martyres eminent, caput esset. Alii existimant, Christum dici agnum mactatum ante iacta mundi fundamenta, decreto scilicet divino. Sed prior explicatio est praeferenda.

9. Εἴ τις — ἀκουσάτω) Solemnis praefatio magnae, diligenterque observandae rei, ut supra II, 7. 11. 17. et in Evangeliis saepe.

10. Εἴ τις αἰχμαλωσίαν—ὑπάγει) *Qui alios captivos ducit, ipse captivus abducetur.* Αἰχμαλωσία hic dicuntur *captivi*, ut περιτομὴ *circumcisos* significat. Praedicitur hoc proverbio vexatoribus sors similis ei, quam patiebantur ab iis alii. εἴ τις—ἀποκτανθῆναι) Par pari referetur. *Eutropius* Lib. VII, cap. 9. de Nerone: *Propter haec Romanae urbi exsecrabilis, ab omnibus simul destitutus, et a senatu hostis iudicatus, quum quaereretur ad poenam (quae poena erat talis, ut nudus per publicum ductus furca capiti eius inserta, virgis usque ad mortem caederetur, atque ita praecipitaretur de saxo) e palatio fugit, et in suburbano se liberti sui — interfecit.* ὧδέ ἐστιν — τῶν ἁγίων) Ὧδε, *in hac re.* Sensus est, eo confirmari Christianorum patientiam et fidem, quod norint Deum miseriarum suarum fore vindicem; vel etiam, in his calamitatibus opus esse perseverantia, patientia et fide.

11. Καὶ εἶδον — δράκων) Bestia describitur externe similis agno, sed revera cum dracone faciens. *Agno* comparatur Christus, *draconi* diabolus. Habemus itaque hic Symbolum hominum, qui Christo eiusque reli-

gioni favere videbantur, sed revera hostibus nominis christiani erant annumerandi. Hoc tertium genus adversariorum Christi sunt falsi doctores, Antichristi nominati a Ioanne in prima epistola, qui sapientiam et pietatem singularem prae se ferebant, sed flagitiosissime vivebant, et alios etiam ad omne genus flagitiorum impellebant. De his multa leguntur in epistolis Petri, Ioannis et Iudae. *Eichhornius* hunc locum (Vs. 11—18.) explicat de idololatria, repraesentata sub alia imagine, nominatim de praestigiis et miraculis fictis, quibus superstitionem suam ornare et confirmare voluerint idolorum cultores. Equidem non repugno; nam ipsa monstri descriptio huic interpretationi favere videtur. Ex *Ewaldi* sententia describitur nunc Pseudopropheta, Antichristi quasi praecessor (cuius vero imagine *plures* complexos esse concedit), qui quascunque prophetae falsi imprimis ad Deorum cultum superstionemque plebi male cautae persuadendam commendandamque moliuntur artes, quibuscunque miraculis fidem sibi conciliare student, cuncta ea ad *Potentiae Romanae* et *Neronis* imprimis divinum cultum affectantis maiestatem adorationemque hominibus persuadendam adhibet; ut potentia simul nitens haud vulgari non ad impium tantum illum Neronis cultum divinum plurimos seducat male cautos, sed omnes etiam omnino imperii cives, nisi saluti suae male prospicere velint, Neronis se servos cultoresque publice profiteri cogat. Plura de hac re vid. in ipso Viri D. libro p. 320. sqq.

12. Καὶ τὴν ἐξουσίαν—ἐνώπιον αὐτοῦ) *Exercet eandem potestatem omnem qua prior bellua utebatur, ipsa inspectante.* Simile erat hoc monstrum priori in

eo, quod homines a vera pietate avertebat; in eo autem differebat, quod magis agebat dolo et fraudibus, quam vi. καὶ ποιεῖ — θανάτου αὐτοῦ) Pro ποιεῖ ἵνα ἡ γῆ τουτέστιν οἱ κατοικοῦντες ἐν αὐτῇ προσκυνήσωσι. Talis constructio supra III, 5. Προσκυνεῖν τὸ θηρίον τὸ πρῶτον est idololatriae *inservire*. Πρῶτον pro πρώτερον.

13. Καὶ ποιεῖ — ἀνθρώπων) Σημεῖα μεγάλα, ut ille, quem describit Paulus 2 Thess. II, 9. Inter illos falsos doctores erant multi, qui magicas artes exercebant, e. c. Simon Magus. Cf. Matth. XXIV, 24.

14. Καὶ πλανᾷ — θηρίου) Ἐνάπιον, i. e. *in honorem*. Eo illa signa tendebant, ut idololatriae labascenti et varii generis superstitionibus vires restituerentur. λέγων — ἔζησε) Εἰκὼν, Enallage sing. pro Plurali. Quod hic de imaginibus dicitur, id non proprie sumendum esse videtur. Nempe illi Pseudoprophetae non directe commendabant idololatriam, sed errores spargendo homines a vera pietate abducebant ad vitam flagitiosam.

15. Καὶ ἐδόθη — ἡ εἰκὼν τοῦ θηρίου) Πνεῦμα δοῦναι τῇ εἰκόνι, *Spiritum s. halitum vitalem; vocem dare simulacris*. Simulacra locuta esse, creditum Ethnicis. Lactant. II, c. 7. *Illud etiam mirabile, quod simulacrum Fortunae muliebris non semel locutum esse traditur. Item Iunonis Monetae* etc. Valer. Maxim. L. I, c. 6. *Apollonii* etiam imago vi daemonis locuta, ut est apud *Philostratum*. καὶ ποιήσῃ — ἀποκτανθῶσι) Quin Philosophi Ethnici saepe fuerint aucto-

res Imperatoribus vexandi Christianos, dubium non est. Sic Crescens Cynicus machinationibus suis effecit, ut Iustinus Martyr interficeretur. Euseb. H. E. IV, 16. Sed falsi etiam doctores et haeretici corruptis suis et pravis moribus efficiebant saepe, ut Christiani vexarentur. Nam christianae religioni imputata sunt eorum vitia.

16. Καὶ ποιεῖ — μετώπων αὐτῶν) *Et adigit omnes — ut signa manibus suis dextris aut frontibus inprimi patiantur.* Bene distribuit eos qui in Romano Imperio erant in liberos ac servos; liberos in divites ac pauperes, divites in honoratos et honore carentes. Quod Ioannes hic dicit de Characteribus, signis, nominibus, numeris impressis hominum manibus et frontibus, hoc non proprie intelligendum esse puto, sed simili modo, quo supra c. VII, 3. de Christianis dixerat, eos fuisse signatos in frontibus. Quemadmodum nempe isto Symbolo repraesentabantur Christiani: ita hic simili Symbolo denotantur Idololatrae, et idolorum cultoribus similes ingenio et moribus. Sed omnino desumta videtur imago a consuetudine, iis qui in sodalitates Deorum adscribebantur, imprimendi χάραγμα aliquod, i. e. Dei signum, aut exsertum Dei nomen, aut per numeros dissimulatum. Partes autem maxime frequentes corporis, quibus aut litterae, aut signa, aut numeri imprimebantur, erant frons et iunctura inter manum et brachium. Frontis notandae mos ex Oriente, ubi servi in fronte ferebant Dominorum nomina, ut nosci possent. Milites autem signati in manibus, ut probat Grotius.

17. Καὶ ἵνα — ὀνόματος αὐτοῦ) Sensus est, effectum, ut aqua et igni interdiceretur iis, qui non profiterentur,

se idolorum esse cultores. Nam bestia, de qua hic sermo, est monstrum illud, quod supra tanquam Symbolum ethnicae superstitionis erat propositum. Desumta imago a tribus modis signandi adscriptos Deorum Collegiis. Primus modus erat per χάραγμα, i. e. insigne Dei alicuius, dum e. g. hederae folium imprimebatur sodalibus Liberi Patris. Alter mos erat, inscribendi ipsa Deorum nomina, ut Ζεὺς, Ἄρης, Διόνυσος. Tertius mos erat ponendi numerum, quo obtegeretur nomen Dei mysticum, litteras habens, quae collectae numerum talem facerent. Sic nomen Solis mysticum ad numerum perveniebat octo et sexcentorum, et notabatur ΧΗ, ut nos docet Martianus Capella.

18. Ὧδε ἡ σοφία ἐστίν) Varie explicantur haec verba. Sensus esse videtur, hominis esse sapientis rem assequi, et opus esse sagacitate, atque acumine ad intelligendum mysterium. ὁ ἔχων--ψηφίσω) i. e. Si quis ingenio pollet, supputet numerum, qui litteris expressus indicat nomen bestiae, in antecedentibus descriptae. ἀριθμὸς γὰρ ἀνθρώπου ἐστὶ) Iterum varie explicantur haec verba. Clericus: numerus exiguus est, vel non tantus, ut ab homine iniri non possit. Alii aliter. Forsan rectius: *Hominem* indicat hic numerus, vel hominum quoddam genus. καὶ ὁ ἀριθμὸς αὐτοῦ χξ΄) Alii pro litteris habent vocabula ἑξακόσιοι sive ἑξακόσια ἑξήκοντα ἕξ. Sed χις΄ sive ἑξακόσιοι δέκα ἕξ habent Cod. Ephremi, quidam apud Irenaeum V, 30., quos tamen non probat, et Tychonius s. Pseudo-Augustinus, licet in editionibus quibusdam legat *sexcenti sexaginta sex*. Quominus hic numerus explicari a nobis possit, obstare videtur penuria historicorum monumentorum, quum ab Ethnicis,

tum a Christianis olim fortasse editorum; ex quibus, si extarent, multas sine dubio circumstantias cognosceremus, ad quas hic respicitur. Quod vero hoc nomen sit, me ignorare lubenter fateor. Notum est *Irenaeum* et alios quaesivisse hunc numerum in voce λατεῖνος, vel in voce τειτὰν. Sed recte monet Bengelius, λατεῖνος cum E sumi non debuisse. ει Graecum subsequente consona, Latini quidem per I exprimunt, ut εἰκὼν, *icon:* sed I Latinum Graece non transit in ει, neque λατεῖνος analogiam habet; non enim scribitur ἀκυλεῖνος κ. τ. λ. sed ἀκυλῖνος, ἀλβῖνος, ἀντωνῖνος etc. Eiusdem numeri 666 gratia fecere τειτὰν ex τιτὰν, παπεῖσκος ex παπίσκος, ἀρνοῦμε ex ἀρνοῦμαι. *Hippolytus* de Antichristo p. 25. edit. Fabric. Πολλὰ γὰρ εὑρίσκομεν ὀνόματα τούτῳ τῷ ἀριθμῷ ἰσόψηφα περιεχόμενα, οἷον, ὥσπερ εἰπεῖν, τὸ τειτάν ἐστιν, ἀρχαῖον καὶ ἔνδοξον ὄνομα, ἢ τὸ Εὐάνθας. Alia nomina, Hippolyti exemplo, *exercitii* caussa, adiecit Andreas Caesariensis, eiusve hac in parte amplificatores. In iis maxime insigne est ΒΕΝΕΔΙΚΤΟΣ, non solum in codice Augustano, qui alia aliis superaddit nomina, sed etiam in editione Sylburgiana; quo nomine notatur Benedictus IX. pontifex Romanus. Recentiora commenta recensere dignatus est *Scherzerus* in Syst. pag. 865. *Wolfius* Tomo IV. Curar. *Grotius* Traianum, cuius nomen erat ΟΥΛΠΙΟΣ significari putat. *Clericus* ad Hammondum invenit numerum bestiae χξς' in vocibus Διός εἰμι ἢ Ἥρας, *Iovis sum aut Iunonis.* Alias coniecturas vide ap. *Herderum* p. 146. sqq. *Eichhornius* in antiquissima acquiescit ab Irenaeo memorata interpretatione, sive in nomine λατεῖνος, quandoquidem illud et imperium Romanum exprimit, praetereaque no-

men hominis est, et numero 666 exacte respondet. Si enim pro nomine λατεῖνος valor tantum, quem literae eius ut numerorum signa praebent, spectatur, efficitur numerus ille, i. e. 30, 1, 300, 5, 10, 50, 70, 200 = 666. Dubitationem *Bengelii* aliorumque ita removere studet, ut dicat, Graecos, nonnunquam certe, in vocabulis latinis mutasse I longum ante N in ει veluti in Σαβεῖνος, Φαυστεῖνος, Παυλεῖνος etc. Iudicium sit penes lectores. Dignissima quoque sunt lectu, quae hac de re scripsit *Ewaldus* l. c. p. 234. sqq.

CAP. XIV.

1. Καὶ εἶδον — μετάπων αὐτῶν) Priora quinque huius cap. commata cohaerent cum praecedente capite. Repraesentatur Chorus eorum, qui in persecutionibus illis constantes fuerunt in professione nominis christiani. Hi laudant Deum et Christum. Mons Sion hic est Symbolum coelestis regiae: nam Sion fuit regia Davidis. *Agno* significari Christum, vix opus est, ut moneam. Μετ' αὐτοῦ, *apud ipsum.* Numerus 144,000. est idem, quem supra VII, 4. habuimus, et indicat insignem multitudinem. Quod habent nomen agni et Patris eius inscriptum frontibus, significat, illos in mediis malis professos cultum Dei et Christi. Opponitur hoc notis illis idololatricis, de quibus actum supra.

2. Καὶ ἤκουσα — κιθάραις αὐτῶν) Erat magnus ille sonus, sed modulatus. Beati illi in coelo, erepti huius vitae malis, laudabant Deum et Christum.

3. Καὶ ᾄδουσιν — πρεσβυτέρων) Canere canticum novum est signum gaudii, Ies. XLII, 10. Ps. XL, 3.

Coram throno, i. e. coram Deo. Ἐνώπιον τῶν τεσσάρων ζώων, *ubi erant quatuor animalia*, et Seniores, de quibus supra VII, 11. καὶ οὐδεὶς — ἀπὸ τῆς γῆς) Nemo hominum praeter ipsos particeps esse potuit huius gaudii, vel intelligere huius gaudii caussam. Ἀπὸ τῆς γῆς, *ex hominibus*, ut statim Vs. 4.

4. Οὗτοί εἰσιν — παρθένοι γάρ εἰσιν) i. e. non polluti idololatria. Nam idolorum cultores saepe comparantur Scortis; et παρθένοι, *virgines* hic vocantur, qui puros se ab idololatria servarunt. Aut sensus est: morum sanctitate et castitate ita eminent, ut *virgines* dici queant, foeminarum contagio haud contaminati; παρθένος enim Graeco-Iudaeis et Patribus de *viro* etiam casto dicitur. Porro si matrimonii abstinentiam tum temporis Iudaeis Christianisque haud paucis plurimi factam esse reputamus, verisimile fit, vatem hic vitam ab omni illecebrarum genere servatam, sanctissimam, describere voluisse. οὗτοί εἰσιν οἱ ἀκολουθοῦντες — τῷ ἀρνίῳ) *Sequuntur agnum*, i. e. imitantur Christum. Ἀπαρχή, *primitiae*, i. e. imprimis cari acceptique Deo et Messiae, in cuius vicinia iam versantur, cf. Iac. I, 18.

5. Καὶ ἐν — εἰσι) Non vocarunt Deos, qui Dii non sunt. Ἄμωμοι, *sine macula*, i. e. *integri*.

6. Καὶ εἶδον—καὶ λαόν) Praedicitur Romae, Romanique imperii exitium, ac poena a christiani nominis hostibus sumenda, Vs. 6. — XVI, 21. Angeli, ut saepe monuimus, sunt ministri providentiae divinae. Hoc igitur vult Ioannes, certissime eventurum esse, quod an-

geli Vs. 6—11. pronunciant. Frustra igitur quaeritur, quis sit primus, secundus et tertius angelus. Εὐαγγέλιον αἰώνιον, *laetum aeternum decretum*, i. e. volumen, in quo decretum divinum, de suis cultoribus e periculis liberandis, consignatum erat. Quicquid enim sit, id Deus ab aeterno decrevit. Simul significatur, non casu, sed providentia divina ita dirigente fore, ut idolorum cultus religioni christianae cedat. Sequentium verborum sensus est, religionem christianam ulterius progagandam esse inter omnes gentes. Matth. XXIV, 14.

7. Λέγων — ὑδάτων) Φοβήθητε τὸν θεὸν, perstate in vera religione, vel colite Deum. Αὐτῷ, ipsi, non Diis falsis. Τῆς κρίσεως αὐτοῦ, iudicii, nempe in idolorum cultores ut ex sequentibus patebit. Reliquis huius commatis verbis describitur Deus tanquam mundi huius opifex.

8. Καὶ ἄλλος — ἔθνη) Ἔπεσεν est Praeteritum pro Futuro, more prophetico, et breviter hic praedicitur, quod infra plenius XVIII, 2. Babylonis nomine designari videtur Roma pagana, aut sane a Paganismo non repurgata. Dicitur enim haec Babylon inebriasse omnes nationes vino suae scortationis. Quum vati Romae ipsius nomen celandum signisque tantum Iudaeis et Christianis innuendum videretur, *Babylonem* eam vocat. Ut enim Babylon olim potentissima peccatis omnis generis gravissimis, Iudaeis potissimum iniuria oppressis, notissima proptereaque poena excidii divina dignissima erat, ita Roma, cum aliis flagitiis innumeris, tum Christianis vexatis infamis haud minorem meruit

Dei poenam. Igitur quum tanta sit urbis utriusque similitudo, vates potiora omnia, quae Prophetae olim de Babylone effati erant, verbis fere iisdem ad Romam transfert. Πορνείκ est idololatria. Οἶνος τοῦ θυμοῦ, יין חמת *vinum aestus*, h. l. est vinum inebrians, vel venenatum, i. e. pharmaco infectum, Deut. XXXII, 24. 33. Hiob VI, 4. Describitur urbs, quae variis artibus usa est ad gentes sub iugum mittendas, ut meretrices, quae philtris aliisque artibus meretriciis ad amasios alliciendos uti solebant. Cf. *Eichhornium* ad h. l. Putaveram olim Babylonem h. l. esse Hierosolyma. Sed nec hoc, quod *omnes* i. e. permultas *nationes* infecisse dicitur suis vitiis, nec quae sequuntur admittere videntur hanc interpretationem.

9. Καὶ τρίτος — χεῖρα αὐτοῦ) Λέγων ἐν φωνῇ μεγάλῃ, ut praecones, edicta publicaturi. Εἴ τις προσκυνεῖ τὸ θηρίον, si quis idololatriae se mancipat. Supra XIII, 4. 12. 16.

10. Καὶ αὐτὸς — ὀργῆς αὐτοῦ) *Ipse bibet ex vino irae Dei, quod merum infusum est in poculum excandescentiae eius*, i. e. gravissimas poenas sentiet. Κεραννύειν passim est *infundere*. καὶ βασανισθήσεται—τοῦ ἀρνίου) Similes poenis illis, quas olim Sodoma et Gomorrha passae sunt. Iterum hortatur Christianos, ut in professione religionis constantes maneant, nec deficiant metu vexationum.

11. Καὶ ὁ καπνὸς—αἰώνων) Manebit semper memoria cruciatuum, quos pertulere. Fumus nota incendii. Ies. XXXIV, 10.

12. Ὧδε — πίστιν Ἰησοῦ) Hoc vult Ioannes: Hinc, nempe ex imminentibus vexationibus patebit, quinam sint ex animo Christiani. Tales autem erunt ii, qui quodvis periculum adibunt vexationum ab Ethnicis ferendarum, potius quam Christum abnegent; quique constanter ad praccepta eius vitam component. Sed ὑπομονὴ significare etiam potest *praemia constantiae*, quemadmodum ἡ παῤῥησία est *effectus fiduciae*, ἡ μαρτυρία *effectus testimonii*, 1 Io. V, 11. 14. Tum sensus erit: *Hic cernitur, quibus praemiis cumulati sint constantes Dei cultores.*

13. Καὶ ἤκουσα — ἀπάρτι) Vocem audit divinam, quo res esset certior. Γράψον, sc. nobilem sententiam. Sensus est: ab hoc tempore eos habitum iri felicissimos, qui citissime mortui essent, ne participes fierent mali futuri. Μακάριοι οἱ νεκροὶ est Proverbium, quo non tam declaratur, quid mortui sentiant, quam quid non sentiant. Tam gravia imminent pericula, tantaeque calamitates, ut qui haec praevident metuuntque, nunc mallent mori, beatioresque iudicent eos, qui nunc moriuntur, quam superstites; eosque qui se tempestati subduxerunt, illis qui adhuc iactantur. *Od. ε.* 306. Τρισμάκαρες Δαναοί, καὶ τετράκις, οἱ τότ' ὄλοντο. Aen. I, 94. *O terque quaterque beati, Queis ante ora patrum Trojae sub moenibus altis Contigit oppetere. Ewaldus:* „Haud dubitandum quin, voce ἀπάρτι ad μακάριοι relata, sensus hic sit: *beati pie defuncti* et porro defungentes (hoc enim partic. praesentis notat) sunt, *ab hoc inde tempore*, mox! cf. Matth. XXVI, 64. Ioh. I, 51.; nempe quia iam aevum messianum proximum certissimumque est, quo ut omnes mortui *resuscitati*

iudicis sententiam de sorte futura aeterna ferent, ita pie imprimis defuncti salutem promissam experientur, cf. XI, 15—18. XX, 4. 5. " ναὶ, λέγει—κόπων αὐτῶν) Ita esse confirmat Spiritus. Omnino optandam esse mortem piis, *ut requiescant a laboribus suis*, i. e. ut eximantur vexationibus, quos postea fuissent passuri, et a quibus morte sola potuissent liberari. τὰ δὲ μετ' αὐτῶν) i. e. reportabunt praemia virtutis. Negantur divitiae sequi divites, quia nihil prodest post mortem, divitem aliquando fuisse: contra opera dicuntur sequi pios, quia eorum mercedem a Deo accipiunt. Pirke Aboth. cap. penult: *Hora, qua decedit homo ex hac vita, non comitantur eum argentum, aut aurum, lapides pretiosi aut margaritae, sed Lex et bona opera.*

14. Καὶ εἶδον — δρέπανον ὀξύ) Ab hoc versu usque ad Vs. 20. excidium Romae declaratur symbolis messis et vindemiae, quae antiquis Prophetis vulgares erant imagines *poenarum* et *interitus*. Ioel IV, 12—14. Ies. XVII, 5. LXIII, 1. Matth. XIII, 37. Per reticentiam articuli υἱῷ ἀνθρώπου hic ponitur pro τῷ υἱῷ ἀνθρώπου. Describitur angelus personam Christi referens, sicut in V. T. angelus referebat Dei personam. *Corona aurea* est signum victoriae, quam Christus erat consecuturus super hostes nominis sui, vel maiestatis regiae insigne. *Falx in manu* est signum, segetes maturas esse messi.

15. Καὶ ἄλλος—ὁ θερισμὸς τῆς γῆς) Ἐκ τοῦ ναοῦ, *e templo coelesti*, ubi res Christianorum agitur, (c. XI, 19. coll. XVIII, 8. c. XVI, 18.) et angelo personam Christi referenti denuntiat, demetendae terrae tempus iam

adesse. πέμψον—θέρισμον) *Emissa falce nunc mete*, i. e. poenas inflige Romae, implacabili Christianorum hosti. Ἐξηράνθη ὁ θερισμὸς τῆς γῆς, *maturuit messis*, i. e. seges metenda. Cf. Ioel IV, 13. Ἦλθεν ἡ ὥρα hic est: *Venit summa dies, et ineluctabile tempus.*

16. Καὶ ἔβαλεν--ἡ γῆ) Καὶ ἐθερίσθη ἡ γῆ, *ut meteretur terra.* Messias *metere*, i. e. Romam evertere, et idolorum cultoribus poenas infligere iubet. 17—20. Eadem res *vindemiae* imagine describitur.

17. Καὶ ἄλλος—δρέπανον ὀξὺ) Falx hic intelligitur putatoria, sive ut Varro loquitur, vineatica.

18. Καὶ ἄλλος—πυρὸς) Designatur angelus ille, qui alias hominum piorum preces thure accenso ad Deum deferebat (c. VIII, 3. IX, 13.), et stationem suam ad altare suffitus assignatam habebat. Τοῦ πυρὸς, ignis super altari suffitus. Τρύγησον—σταφυλαὶ αἱτῆς) Amputa uvas; nam maturuerunt. Cf. Vs. 15.

19. Καὶ ἔβαλεν—τὴν μεγάλην) Ληνὸς hic significat torcular una cum lacu, ut Matth. XXI, 33. Per pressuram autem uvarum, ubi ira Dei aut nominatur, ut hic, aut ex circumstantiis intelligitur, denotari solet ingens effusio sanguinis, qui sanguis vino comparatur, ut vinum sanguini.

20. Καὶ ἐπατήθη—πόλεως) Ληνὸς hic metonymice vocatur id, quod erat ἐν τῷ ληνῷ, *uvae*, quemadmodum calix pro vino ponitur. Ἔξωθεν τῆς πόλεως,

extra urbem. Alluditur ad consuetudinem Hierosolymitanam. καὶ ἐξῆλθεν — ἑξακοσίων) *Usque ad fraenos equorum*, est hyperbolica locutio, quae significat ingentem sanguinis copiam. Est autem hic ἀπόδοσις permixta comparationi; nam pro vino dixit sanguinem, quia vinum significabat sanguinem. Ἀπὸ σταδίων χιλίων ἑξακοσίων, i. e. longe lateque, per immensum terrae spatium.

CAP. XV.

1. Καὶ εἶδον — τοῦ θεοῦ) Hoc et sequenti cap. idem Romae excidium sub novo signorum et figurarum apparatu oculis subiicitur. Imago desumta ex historia Israelitarum, ante eorum exitum ex Aegypto. Angeli autem hic iterum sunt ministri providentiae divinae. *Plagas septem ultimas* habebant, Symbola malorum, quae evenire debebant Romae, Christianis, novo populo Dei inimicae. Aegyptus Iudaeis typus erat imperii insidias populo Dei struentis. Ab hoc typo eo deductus est Poëta, ut in alteram Aegyptum, Romam puta, similes, quos prior illa subierit, rerum conversiones et plagas transferret, quibus Christiani, novus Dei populus, e simili tyrannide eximerentur. Cf. *Eichhornium* ad h. l. Angeli, ex aëre imminentes conspecti, in mandatis habebant, plagas septem *ultimas* Romae inferre; devicta enim Roma, (idolorum cultu oppresso) nullus amplius populi Dei adversarius subigendus erat. Hinc subiungitur: ὅτι — τοῦ θεοῦ, *his enim poenis inflictis*, nullae infligendae supererant.

2. Καὶ εἶδον — μεμιγμένην πυρὶ) Θάλασσα ὑαλίνη, *mare electreum*, ut supra c. IV, 6. Intelligitur

autem stratum sive pavimentum circa thronum Dei, et alluditur ad solum templi Salomonei auro obductum, 1 Reg. VI, 30. Comparatur vero *mari*, quod interdum ex Hebraismo *quamcunque planitiem magnam* denotat. Erat μεμιγμένη πυρί, fulguribus quasi micantibus in planitie ista splendida, qua thronus Dei circumdabatur. καὶ τοὺς νικῶντας — ὀνόματος αὐτοῦ) Τοὺς νικῶντας ἐκ τοῦ θηρίου, *qui victoriam reportaverant de bestia.* Confessores repraesentantur, et fideles Christiani, qui neque blanditiis neque minis adduci potuerant, ut aut Deos Romanos invocarent, aut coram imaginibus se flecterent, aut signum saltem aliquod idololatriae susciperent. ἑστῶτας—τοῦ θεοῦ) Stantes circa thronum Dei, et laudem Deo reddentes. Nam illis nihil metuendum erat a malis, quae tum imminebant Romanis. Levitae olim usi citharis. Citharae Dei vero sunt eximiae, ut arbores Dei, cedri Dei etc.

3. Καὶ ᾄδουσι—τοῦ ἀρνίου) *Canticum Mosis*, i. e. eum cantum, quem Moses cecinit ad mare rubrum, ubi Aegyptiis perditis, servatus erat is, qui tunc erat Dei populus, Exod. XV. Hoc ideo, quia paria iis, quae Aegyptii senserant, sensuri erant ii, qui hactenus vexaverant Christianos, Gentiles. Καὶ τὴν ᾠδὴν τοῦ ἀρνίου, i. e. Mosis canticum applicatum Christo et rebus Christi. μεγάλα—τῶν ἐθνῶν) *Iustae et aequae sunt viae tuae*, i. e. consilia tua. Nemini iniurium facis, et stas promissis. Ostendis te Dominum gentium.

4. Τίς οὐ—ἐφανερώθησαν) Verba ex c. XV. Exodi sumta. τὰ ἔθνη ἥξουσι etc. venient et adorabunt, i. e. venient, ut adorent. Nam fracta vi idololatriae ulterius propagata est religio christiana.

5. Ἠνοίγη — οὐρανῷ) Ἡ σκηνὴ τοῦ μαρτυρίου, dicebatur tabernaculum Mosaicum, ante conditum templum; habraice אֹהֶל מוֹעֵד, *tabernaculum conventus* Exod. XXVII, 21. et *tabernaculum testimonii* Act. VII, 44., quia Deus in eo praesentem se exhibebat, testimoniumque praesentiae suae praebebat. Ναὸς hic ponitur pro דְּבִיר, *oraculum*, vel *Sanctum Sanctorum*, pars tabernaculi sanctissima. Quia responsa reddebat Deus ex illo adyto, apertio eius in coelesti tabernaculo testimonii significat revelationem divinorum oraculorum.

6. Καὶ ἐξῆλθον — χρυσᾶς) Ἐκ τοῦ οὐρανοῦ construendum cum verbo ἐξῆλθον, et per coelum intelligitur adytum illud coeleste, quod Ioannes viderat. Erant autem septem illi angeli vestiti instar Pontificis Maximi, quem solum ingredi Adytum fas erat.

7. Καὶ ἓν — τῶν αἰώνων) Significatur, hos septem angelos, providentiae divinae ministros, instructos esse potestate exsequendi decreta divina de puniendis persecutoribus Christianorum.

8. Καὶ ἐγεμίσθη — δυνάμεως αὐτοῦ) Coeleste Sacrarium implebatur fumo, sicuti Is. VI, 4. aedes densa nube erat repleta. Hoc fieri solebat, ubi Deus maiestatem suam et potentiam volebat manifestare. καὶ οὐδεὶς — ἑπτὰ ἀγγέλων) Sensus est, noluisse Deum alia praeter ista edere oracula, donec consumerentur septem plagae, exsequendae per septem angelos. Unde intelligere licebat, gravissimas fore poenas, quas daturi essent Gentiles.

CAP. XVI.

1. Καὶ ἤκουσα—εἰς τὴν γῆν) Ἐκ τοῦ ναοῦ, ex adyto. *Phialae ira plenae* significant iram Dei in malos. *In terram*, i. e. in imperium Romanum. Iubentur igitur angeli, ad inferendas plagas parati, exsequi munus sibi demandatum.

2. Καὶ ἀπῆλθεν — τὴν γῆν) Non opus est *terram*, *mare* ac *fluvios* subtilius de rebus diversis interpretari, sed omnia coniunctim sunt sumenda una cum terra Vs. 1. Sic enim series orationis postulat, ubi Angeli iussi effundere phialas suas *in terram*, dicuntur eas effudisse in tria haec, unde colligere est, esse tres partes unius eiusdemque rei, neque ab ea distinguendas. Similis est locutio c. XIV, 7. Eodem modo, quum poenas dicebatur dare Iudaea, nonnullae plagae dicuntur imponi *terrae*, aliae *mari* aliae *arboribus*, c. VII., nec tamen necessario hinc colligitur distinctio poenarum, quarum alii alias dederint, sed intelliguntur supplicia de universa gente sumta. Atque haec consentanea sunt iis, quae legimus de plagis Aegyptiacis; quarum nonnullae secutae sunt percussionem *terrae* a Mose, Exod. VIII, 16., aliae vero percussionem *aquarum*, Exod. VII, 19. VIII, 5., quae tamen plagae ad totam regionem pertinuerunt, non aliae ad alias partes. Similiter hic res capienda est, quum variae poenae essent de imperio Romano sumendae. καὶ ἐγένετο ἕλκος—προσκυνοῦντας) Haec plaga et duae sequentes alludunt ad plagas Aegypti. Quum septenarius numerus pro perfecto habeatur, *septem Angeli* eorumque *septem phia-*

lae, et *septem* earum *effusiones* significant maximas calamitates, sed quae gradatim immissae fuerint Romanis. Prima plaga, quae dicitur creasse ἕλκος κακὸν καὶ πονηρὸν, *ulcus afferens malum et dolorem*, respondet inflammationi pustulas emittenti per universam Aegyptum, Exod. IX, 9., quae fuit genus quoddam *pestilentiae*, quae solet in pustulas erumpere. Nonnulli hoc pertinere putant ad morbos, quibuscum conflictatus est exercitus Vitellii. Tacit. Hist. II, 93. *crebrae in vulgus mortes.* c. 70. *putres virorum equitumque formae, infesta tabo humus.* Sed videtur esse mera allusio ad plagam Aegyptiacam Exod. IX, 9. Ex *Ewaldi* sententia quatuor priores plagae Vs. 2 — 9. *totum* mundum hominum in noxam infestant; tres posteriores gravissimae Vs. 10 — 21. propius ad *Romanum* imperium Romamque accedunt funditus evertendam.

3. 4. Καὶ ὁ δεύτερος—θαλάσσῃ) Αἷμα ὡς νεκροῦ, i. e. sanguis hominis ad mortem vulnerati, vel νεκροῦ pro νεκρῶν, i. e. ἀποκταυθέντων, ita mare ab iniecto pharmaco *rubuit*, ac si multorum hominum occisorum sanguine tinctum fuisset. Πᾶσα ψυχὴ ζωῆς, *omne quod vivebat*, i. e. plurimi, per Hyperbolen. Respicitur, ut nonnulli opinantur, ad defectionem classis, occupationem locorum maritimorum, pugnas navales etc. Tacit. Hist. II, 100. III, 6. 42. 43. 57. 76. 77. Sed non opus est hoc aptare singulis eventibus. Nam quod, effusis secunda et tertia phialis, dicuntur aquae *factae instar sanguinis*, id respicit ad id, quod narratur de mutatione aquarum Aegypti in sanguinem, Exod. VII, 19. 20. Florus II, 6. 8. *Documenta cladis cruentus aliquando Aufidus.*

5. Καὶ ἤκουσα—ὑδρίνας) *Angelus aquarum* hic dicitur, qui in aquas immiserat phialam, vel potius, ut *Eichhornius* monet, angelus, qui aquis praeest. Iudaei enim ut singulis rebus, ita etiam aquae angelum tutelarem praeficiunt. Is igitur angelus, aquis praefectus, laudat et probat haec Dei iudicia in Romanos, christiani nominis hostes.

6. Ὅτι αἷμα—εἰσί) Ἁγίων καὶ προφητῶν, *Christianorum et Doctorum*, quorum multos magistratus et populi provinciales occiderunt. Καὶ αἷμα αὐτοῖς ἔδωκας πιεῖν, *propterea par pari retulisti.* Καὶ hic valet *propterea.* Bibere dicuntur sanguinem, qui moerore implentur ob interfectos parentes, liberos, cognatos, affines, amicos, populares. Ἄξιοί εἰσι, hoc meruere.

7. Καὶ ἤκουσα—αἱ κρίσεις σου) Vera lectio est: καὶ ἤκουσα τοῦ θυσιαστηρίου, sic enim habent codices antiqui, versiones, Andreas, Rupertus, Beda. Sed sensus est, ac si scriptum esset: ἤκουσα ἄλλου, sc. ἀγγέλου, ἐκ τοῦ θυσιαστηρίου, *audivi alium angelum dicentem e sanctuario*, i. e. sacrario. Etiam hic Angelus probavit Dei iudicia.

8. Καὶ ὁ τέταρτος — ἐν πυρὶ) Καυματίσαι τοὺς ἀνθρώπους ἐν πυρὶ, *ardore vel aestu excuciare homines per ignem.* Subintelligitur nota similitudinis, ut dicat ὡς ἐν πυρὶ, *tanquam igne;* nota enim illa saepe hoc modo desideratur. Aestus quo omnia torrentur, antiquis Hebraeorum poëtis erat Symbolum calamitatis publicae, Ies. XVIII, 4. Tacitus II, 93. et adia-

centia Tiberi Germanorum Gallorumque obnoxia morbis corpora, fluminis aviditas et *aestus impatientia* labefecit.

9. Καὶ ἐβλασφήμησαν—αὐτῷ δόξαν) Potest hoc intelligi de exprobrationibus Ethnicorum, qui religionem christianam horum malorum caussam esse dictitabant. Veteres enim prodiderunt, quum pestis et fames ingruerent, continuo exclamasse Ethnicos: *Christiani ad leones*, quasi calamitatum auctores fuissent. Vide *Cyprianum* ad Demetrianum, *Ambrosium*, *Prudentium* contra Symmachum, *Augustinum* libris quinque primis de civitate Dei, et *Orosium* Lib. VII.

10. Καὶ ὁ πέμπτος—τοῦ θηρίου) Θηρίον significat idololatriam, c. XIII, 1. ideoque *sedes* eius potest significare et locum in quo habitabat, et id quod eam sustentabat, nam *sedes* obstat quominus id cadat, quod ei innititur. Potest etiam intelligi ipse Imperator Romanus, qui tum regnabat, nempe Vitellius, vel imperium Romanum, ut statim explicatur. καὶ ἐγένετο — ἐσκοτωμένη) Βασιλεία, idem quod *thronus bestiae*. Dicitur autem hic eius βασιλεία effusione quintae phialae ἐσκοτωμένη, *obscurata*, i. e. multum pristini sui splendoris amisisse. Hoc factum regnante *Vitellio*, de quo inter alia Tacitus Hist. III, 63. *tanta torpedo invaserat animum, ut, si principem eum fuisse ceteri non meminissent, ipse olivisceretur.* καὶ ἐμασσῶντο — πόνου) Ἐκ τοῦ πόνου, *prae dolore*. Ita solent, qui irascuntur, nec vindicare se possunt.

11. Καὶ ἐβλασφήμησαν—ἔργων αὐτῶν) Iterum Ethnici existimarunt haec mala sibi contingere a Diis suis,

quasi poenas, quod tolerarent Christianos; itaque eos gravius vexarunt, nedum ut calamitatibus illis emendarentur.

12. Καὶ ὁ ἕκτος — ἡλίου) Per Euphratem intelligere videtur Tiberin; nisi potius exsiccatio Euphratis sit Symbolum repentini auxilii divini; quam sententiam nunc magis probo. Alluditur ad historiam Cyri, Ierem. LI. Fingit nempe Poëta, ante ipsum Romae excidium e medio tollendum fuisse, quicquid illud impedire potuisset. Videtur Poëta describere non ipsius urbis Romae verum excidium, sed idolotatriae destructionem sub imagine urbis expugnatae. Ornatum petiit ex Babylonis per Cyrum facta expugnatione. Quapropter in Romae vicinia sibi effinxit Euphratem, quo haec ipsa urbs inaccessa videretur, derepente exsiccatum tanquam vi magica veneni ab angelo quinto in illum iniecti, ut adeo nihil superesset, quod hostibus in urbem irrupturis obstaret. Reges, Romam expugnaturi dicuntur *orientales* ex mera fictione poëtica, cuius ratio quaerenda est in historia expugnatae Babylonis, vel potius in oraculis poëtarum hebraeorum, qui Cyrum, Israelitarum caussam in se suscepturum, ex Oriente prodire iubent (Ies. XLII, 27.), fortassis quia Media Palaestinae ab oriente fuit.

13. Καὶ εἶδον βάτραχοι) Sc. ἐκπορεύεσθαι, Vs. 14. Alii habent ὅμοια βατράχοις. Fingit Poëta aliam difficultatem, quae hosti, Romam eversuro obiici poterat, nempe ab exercitu, ad urbem defendendam convocato. Is igitur antequam urbis excidium symbolis declarari posset, internecione delendus erat. Fingit igitur auctor tres daemones malos, totum terrarum orbem peragran-

tes eo consilio, ut reges omnes excitarent ad auxilium sibi ferendum. *Draconem* esse Diabolum, et *bestiam* esse idololatriam, vel Regem idololatricum, supra ostendimus. Idem esse videtur ὁ ψευδοπροφήτης ac fera terrestris. Πνεύματα τρία ἀκάθαρτα nonnullis significare videntur edita a Vespasiano miracula, oracula et sortes ad eius imperium, de quibus *Tacitus* Hist. Libr. IV, c. 81. Narrationem his exorditur verbis: *Multa miracula evenere, quis e coelis favor et quaedam in Vespasianum inclinatio numinum ostenderetur.* Sed videntur potius hi daemones esse symbola malarum artium, quibus uti solent homines fraudulenti. Quod hi Spiritus dicuntur similes fuisse *Ranis*, id respicit ad ranas a Magis Aegyptiis, Pharaonis iussu in Aegyptum adductas, Exod. VIII, 7. Hae autem quum sint impura animalia, quae vivunt in coeno, et coaxant nullo cum fructu, non incommode iis comparantur impuri Spiritus.

14. Εἰσὶ γὰρ — παντοκράτορος) Dicuntur *fecisse signa*, quod falsa miracula ostentarent. Hi Spiritus *egressi sunt ad omnes reges totius orbis.* Alluditur ad 1 Reg. XXII, 12. 13. *Congregarunt omnes Reges in proelium committendum magno illo die, quem constituit omnipotens.*

15. Ἰδοὺ — αἰσχημοσύνην αὐτοῦ) Legenda sunt haec per parenthesin, et sunt verba Christi, ut supra III, 3. Is ex improviso se superventurum esse Romanis eorumque sociis praedicit, ad eos delendos, tum vero beatos fore omnes eius cultores veros. Τηρῶν τὰ ἱμάτια αὐτοῦ, *qui perstat in bonorum operum studio*, infra XIX, 8. Γυμνὸς, ut supra III, 17.

16. Καὶ συνήγαγεν — ἁρμαγεδδών) Quid significet hebraica vox ἁρμαγεδδών, de eo non convenit inter Interpretes. Nonnulli cum Grotio existimant, הר מגדון dici *montem congregationis*, locum in quo concurrunt exercitus. *Ioan. Drusius* vult vocem constare ex vocibus חרמה *excidium*, *deletio*, *et* גְּדוּדוֹן vel גְּדוֹן *exercitus eorum*, et ab eventu proelii sic locum appellatum fuisse. Est etiam חרמה loci nomen prope Hor montem, iuxta quem Israelitae occiderunt Cananaeos, Num. XXI, 3. גד autem est *turma*, *exercitus*. *Eichhornio* Ἁρμαγεδδών est הַר מְגִדּוֹ, *mons Megiddo*, i. e. locus supplicii. *Vallis* Megiddo, ad radices montis Carmel sita, duplici clade celebris erat, altera Israëlitarum, 2 Reg. XXIII, 29. altera Cananaeorum, Iud. V, 19. c. IV, 16. Ioannes autem non *vallem*, sed *montem* Megiddo, i. e. Carmelum, voluit esse locum, in quo exercitus ad Romam defendendam collectus caederetur. Igitur *exercitum in montem Megiddo colligere* idem est, ac *internecione eum delere*.

17. Καὶ ὁ ἕβδομος — γέγονε) Εἰς τὸν ἀέρα, ut significaret, haec mala esse late spargenda. Ἀπὸ τοῦ ναοῦ τοῦ οὐρανοῦ, *ab adyto coelesti*, quia ingens arcanum erat patefaciendum. Γέγονε, *fuit*, actum est de ea, ut: *fuimus Troes, fuit Ilium*. Finis exitiumque imperii Romani adest, revocarique nequit.

18. Καὶ ἐγένοντο—οὕτω μέγας) Ἀστραπαὶ etc. ut supra IV, 5. VIII, 5. Σεισμὸς, *terrae motus* h. l. est ingens rerum mutatio, ut apud Prophetas saepe. Matth. XXIV, 21.

19. Καὶ ἐγένετο—ἔπεσον) *Urbs magna in tres factiones est divisa, postquam urbes gentium fuerant*

eversae. Urbs magna, i. e. Roma terrae motu in tres, h. e. in plures partes (numero certo posito pro incerto,) discissa, penitus eversa est. Ruinam metropoleos secuta est ruina et calamitas minorum urbium; *αἱ πόλεις τῶν ἐθνῶν ἔπεσον*. Haec *gentium* mentio confirmare videtur eorum sententiam, qui totum hunc locum de Roma interpretantur. Qui exponunt de Hierosolymis, ii per urbes gentium intelligunt minores civitates in Iudaea, praesertim vero in Galilaea, ubi etiam Gentiles permixti erant Iudaeis. Tacitus Hist. V, 10. *Vespasianus — intra duas aestates, cuncta camporum, omnesque, praeter Hierosolyma, urbes, victore exercitu tenebat.* Addunt, urbem Hierosolyma, quum Titus eam oppugnaret, in tres factiones fuisse divisam. Tacit. l. cit. cap. 12. *Tres duces, totidem exercitus. Extrema et latissima moenium Simon — mediam urbem Ioannes, templum Eleazarus firmaverat* etc. Cf. Ioseph. V, 1. Quum vero pleraeque huius imaginis partes Romae conveniant, equidem in *Eichhornii* sententia acquiesco. Grotius respici putat ad remotiora tempora, nempe ad Totilam, qui partem tertiam moenium urbis Romae destruxit, et sequentia verba: *αἱ πόλεις τῶν ἐθνῶν ἔπεσον* ad urbes in Italia et in provinciis a Gothis eversas refert. Alii alios populos et alia tempora hic inveniunt. Quisque sua fruatur opinione. Ego vero vix mihi persuadeo, Ioanni tales populos, vel Reges vel Imperatores ob oculos obversatos fuisse, quos in his rebus gerendis partes suas habuisse scimus. *καὶ Βαβυλὼν — ὀργῆς αὐτοῦ*) Καὶ hic valet *sic;* et *ἐμνήσθη* est Passivum, ut Act. X, 31. *Meminisse* autem Deus malarum actionum dicitur, quum eas ulciscitur. Illa verba *Βαβυλὼν ἡ μεγάλη* sumta ex Dan.

IV, 27. Deus nunc ostendit se non oblitum esse criminum a Paganis contra Christianos perpetratorum. Τοῦ οἴνου τοῦ θυμοῦ, vid. supra XIV, 8. 10.

20. Καὶ πᾶσα — εὑρήθησαν) Non aliter fuit, ac si insula et montes dimoti fuissent suis locis. Ingens facta est rerum conversio.

21. Καὶ χάλαζα—ἀνθρώπους) Ταλαντιαῖον Graecis dicitur omne quod grave est, ut νοσημάτων ταλαντιαίων apud *Alcaeum*, teste Polluce IX, 53. Est autem *grando* Symbolum magnarum calamitatum, desumtum ex Exod. IX, 24. sqq. καὶ ἐβλασφήμησαν — σφόδρα) Tanta erat animorum obduratio, ut reliqui idololatrae magis obfirmarentur in obstinatione.

CAP. XVII.

1. Καὶ ἦλθεν — τῶν πολλῶν) Auctor huius carminis novis figuris et symbolis describit urbem eversam, talibus quidem, quae aperte docent, Romam, idololatriae sedem esse intelligendam. Primo igitur prodire iubet angelum ex eorum numero, quibus Romae evertendae officium demandatum erat. Venit *unus ex septem angelis* etc. clarius fusiusque explicaturus, quae de Romae calamitatibus breviter dixerat. Τὸ κρίμα, *poenam*. *Meretrix illa magna* uberius describitur infra Vs. 3. sqq. Repraesentari hac imagine non Imperatoriam potentiam Ethnicae Romae, ut nonnulli putant, sed ipsam urbem Romam, idolis refertam, patet ex Vs. 18. huius capitis. Cf. Ies. XXIII, 15. *Sedet ea super*

aquas multas, i. e. imperat multis populis. Sic enim mox seipsum explicat Ioannes com. 15.

2. Μεθ' ἧς — τὴν γῆν) Sensus est, eius auctoritate multa alia regna confirmata fuisse in idololatricis institutis, quum totum imperium Romanum, superstitione furens, idololatriam eius imitaretur. Antiquis Hebraeorum Prophetis solemne fuit, urbes primarias, vel mercaturam terra marique exercentes, vel foederibus cum aliis terris iunctas, vel sub suo imperio tenentes terras multas vi subactas, meretricum personis indutas in scenam producere Vid. Ies. XXIII, 15 — 17. Nah. III, 4. Ies. XLVII, 1. Cf. supra XIV, 8.

3. Καὶ ἀπήνεγκε — πνεύματι) Aptum hoc erat ad describendam desolationem, de qua in hac visione sermo est. καὶ εἶδον — κόκκινον) Mulierem hac, seu *magnam meretricem* esse urbem Romam, patet ex Vs. 1. 18. et ex eo, quod *insidere* dicatur *aquis multis*, i. e. imperare populis multis, et quod *Reges terrae* fornicati cum ea, i. e. eius idololatriam imitati sint, comm. 2. *Ferae coccineae*, vel coccino instratae dicitur insidere. Hac bestia significari Reges aliquos, vel imperatores (*Nero* imprimis ex *Ewaldi* sententia), ex comm. 11. discimus. Color coccineus indicare videtur hominem sanguinarium et truculentum. γέμον — δέκα) Nomina blasphemiae indicare videntur, imperatores illos fuisse iniurios in cultum divinum et Christianos. Quid significent *septem capita* et *decem cornua*, explicatur infra comm. 9. 12.

4. Καὶ ἡ γυνὴ—μαργαρίταις) Induta erat mulier vestitu partim purpureo, partim coccineo, i. e. splendido

et pretioso; ornata erat etiam pretiosis lapidibus et margaritis, ad amasios et procos alliciendos. Omnis haec descriptio ad ornatum pertinet, nec in singulis partibus est argutandum. ἔχουσα—πορνείας αὐτῆς) *Philtrum* dicitur βδέλυγμα καὶ τὸ ἀκάθαρτον τῆς πορνείας, aliquid quod ad fornicationem *detestandam* (βδέλυγμα) morumque *impuritatem* (ἀκάθαρτον) pellicit. *Vinum* vero erat mixtum veneno ad amores stimulante. Cultus idololatricus cum magna pompa peragebatur, sed qui Diis serviebant, omni se libidinum genere contaminabant. Hinc comparatur poculo aureo, quod autem plenum erat humore foetente. Hoc idololatriae et impurae scortationis poculum Roma aliis propinabat.

5. Καὶ ἐπὶ—μυστήριον) Quemadmodum pontifex maximus *frontale* gerebat cum titulo, munus eius indicante: sic etiam haec foemina describitur tanquam templi alicuius sacerdos gerens frontale cum titulo lascivos eius mores exprimente. Μυστήριον intelligo τῆς ἀνομίας 2 Thess. II, 7. Sic recte Roma ethnica nominatur, ob inaudita flagitia publice et latenter in ea commissa. Potest etiam sensus esse: *meretricem* hic introduci sensu mystico sive aenigmatico, h. e. esse illam symbolum urbis, quam quis *Babylonem alteram* nominare posset. Cf. Vs. 7. Βαβυλὼν—τῆς γῆς) *Roma* vocatur Babylon, quemadmodum Hierosolymorum urbs c. XVI, 19. et infra XVIII, 2. sqq. quia Roma fuit Romanis, quod Hierosolyma erat Iudaeis. *Mater scortationum* vocatur, quia latissime propagavit idololatriam suam. Simili de caussa vocatur etiam *mater omnium turpitudinum*.

6. Καὶ εἶδον—Ἰησοῦ) Ebria sanguine Christianorum repraesentatur, quia eos vexabat, et edicta contra eos

promulgabat, ut in aliis etim provinciis occiderentur. Hanc etiam ob caussam similis fuit Hierosolymis Iudaeorum metropoli. Ἁγίους vocat Christianos quosvis; μάρτυρας Doctores, qui eximie supra alios testimonium Christo praebebant. καὶ ἐθαύμασα — μέγα) Obstupui, foeminam tam speciosam, tam ornatam, sic furere et cruentari.

7. Καὶ εἶπε μοι — κέρατα) *Quid miraris?* Ubi rem intelliges, non miraberis hoc visum. Τὸ μυστήριον τῆς γυναικὸς, quid sub hac figura lateat.

8. Θηρίον — ὑπάγειν) Θηρίον esse quendam Imperatorem Romanum, supra ad comm. 3. monuimus. Indicari autem unum ex primis Imperatoribus, e versu 11. discimus. Is dicitur primum *adfuisse*, deinde *non adfuisse, sed spem fuisse, fore ut denuo adsit,* fuisse illum *unum ex quinque primis Imperatoribus* Romanis; multis autem fuisse persuasum, eundem denuo rediturum, et *octavum* inter Imperatores Romanos locum occupaturum esse. *Eichhornius* non dubitat, Neronem esse intelligendum. Is enim omnino cum immani bellua comparari poterat, quia primus tumultum contra Christianos excitavit. Is porro, *Suetonio* teste (in Nerone c. 40.) postquam destitutus erat, diu exspectabatur redux, vel ad totum imperium Romanum denuo capessendum, vel ad dominationem saltem Orientis; adeoque quum ipse unus e quinque, sive *quintus* fuisset Imperatorum Romanorum, exspectari poterat, ut *octavum* aliquando locum occuparet inter Caesares Romanos. — Haec *Eichhornii* sententia, quanquam speciosa est, difficultatibus tamen non caret. Igitur eam aliis di-

ligentius examinandam relinquimus. (Eandem sententiam adoptavit *Ewaldus*, cuius haec sunt verba: „*Bellua, quam modo vidisti, erat et non est*, quia *Nero* tempore operis scripti regno suo ditioneque romana pulsus erat caesusque credebatur; sed cum mox mortis periculo ereptus, vel ut credebatur, vitae redditus ex Oriente rediturus videretur, addit vates *et ascensurus est ex orco*, ex inferis restitutus, Satana quasi eum, qui caesus mortuusque videbatur, sanante (cf. XIII, 2. 3.) et ex orco iterum educente, prout iam supra XI, 7. Antichristus ex orco ascensurus dicebatur; sed denique (ubi ita in terra per tempus XIII, 5. saeviit) *in perniciem ruet*, interibit, Messia scilicet eum debellante et occidente, ut disertius Vs. 14. dicitur, et quomodo ratum fiat XIX, 20. describitur.“) Nos olim suspicati sumus, *Vitellium* intelligi; nec nunc huius coniecturae nos poenitet; sed certi aliquid definire in re tam difficili non audemus. Si hoc et 10. commate de uno eodemque monstro sermo est, τὸ θήριον, ὃ ἦν καὶ οὐκ ἔστι videtur esse *Galba;* nam is post *quintum* Imperatorem (Vs. 10.) regnavit, sed imperium eius breve fuit; occisus enim est imperii mense septimo insidiis Othonis, qui et ipse mox voluntaria morte obiit, quum eodem tempore Vitellius factus esset Imperator a Germanicianis exercitibus, Eutrop. VII, 10. 11. Quod cito perit, nec diu durat, *esse* dicitur et *non esse;* nam non est diuturnum. Christus erat, est, et erit. Adversarii eius contra pereunt. Καὶ μέλλει ἀναβαίνειν ἐκ τῆς ἀβύσσου, *nam ex orco quasi ascendet*, et totam vim suam ad tempus exseret; καὶ εἰς ἀπώλειαν ὑπάγειν, sed brevi peribit. καὶ θαυμάσονται — καὶ παρέσται) i. e. Homines cultui Deorum mancipati mi-

rabuntur, non autem Christiani, verum Deum colentes, et de iudiciis Dei in malos edocti. De phrasi ipsa vide supra XIII, 8.

9. Ὧδε ὁ νοῦς ὁ ἔχων σοφίαν) *Hic est sensus, continens sapientiam.* Haec est apertior figurarum explicatio, ostendens mirabilem Dei sapientiam, res praeteritas, et praesentes et futuras simul ob oculos ponentis. αἱ ἑπτὰ—ἐπ' αὐτῶν) Phrasis hebraica, pro: ἐφ' ὧν ἡ γυνὴ κάθηται. Nulla poterat ad describendam Romam afferri nota illustrior. *Horatius* Carm. Sec. 7. *Di, quibus septem placuere colles. Propertius III.* 10. *Septem urbs alta iugis, quae toti praesidet orbi.*

10. Καὶ βασιλεῖς ἑπτά εἰσιν. Hi septem reges vel Imperatores erunt: 1) Augustus. 2) Tiberius. 3) Caius Caligula. 4) Claudius. 5) Nero. 6) Galba. 7) Otho. οἱ πέντε — μεῖναι) *Quinque* (Reges) *iam perierunt.* Si ab Augusto numeres, hi quinque erunt: Augustus, Tiberius, Caius, Claudius, Nero. Hi partim mortui, partim interemti erant. Errare mihi videtur Wetstenius, qui a Caesare numerat. Caesar enim non fuit primus Imperator, sed Augustus. Nec quae de bellua dicuntur in Othonem quadrant, sed potius in Vitellium. καὶ ὁ εἷς—μεῖναι) is, qui tum erat, vel regnabat, erat *Galba. Alius nondum venit*, nempe *Otho*, qui non diu regnavit, ut vidimus ad com. 8.

11. Καὶ τὸ θηρίον—ὑπάγει) *Othoni* successit *Vitellius, octavus* ab Augusto Imperator, et bene comparatur belluae. *Eutropius* VII, 12. *Hic cum multo dedecore imperavit, et gravi saevitia notabilis; prae-*

cipue ingluvie et voracitate. Tacitus Histor. c. 36. *Vitellius — umbraculis hortorum abditus, ut ignava animalia, quibus si cibum suggeras, iacent torpentque, praeterita, instantia, futura, pari oblivione dimiserat.* Ἐκ τῶν ἑπτά ἐστι, i. e. ἐκ τοῦ θηρίου τοῦ ἔχοντος κεφαλὰς ἑπτά. Septem priores Caesares repraesentat imago unius belluae, ex qua nata est alia bellua, i. e. quibus successit Vitellius, octavus. Nisi malis ἐκ hic significari *post*, ut Rom. I, 4. quod mihi magis placet. *In perniciem abit.* „*Vitellius a Vespasiani ducibus occisus. Interfectus autem, et magno dedecore tractus per urbem Romam publice, nudus erecta coma et capite, subiecto ad mentum gladio, stercore in vultum et pectus ab omnibus obviis appetitus, postremo iugulatus, et in Tiberim deiectus, etiam communi caruit sepultura, — imperii mense XIII. et die uno.*“ Eutropius L. VII, c. 12.

12. Καὶ τὰ δέκα—τοῦ θηρίου) Βασιλεῖς saepe nominari *duces bellicos* notum est. Illi, de quibus hic sermo est, dicuntur *imperium nondum esse adepti, sed potestatem regiae similem ad breve tempus accepisse cum bellua.* Intelligo Duces partium Vitellianarum. An praecise decem fuerint, an vero numerus certus sit positus pro incerto, nemo facile dixerit. Hoc certum est, vel ex Tacito facile posse colligi nomina decem ducum Vitellianarum partium, si operae esset pretium. „Qua pictura quis non agnoscat *provinciis praefectos* describi, quos hucusque Romae Imperatorique ibi regnanti subiectos Neroni ex Oriente reduci ad Urbem ingratam ei subiiciendam opem laturos atque ita Romae obsequium prorsus denegaturos suoque ex

arbitrio, quasi reges essent, acturos esse prona erat coniectura? Quidque illis temporibus frequentius quam provinciis praefectos cernere ad novum Imperatorem sustentandum a Roma eiusque Imperatore desciscere suaque quam sibi arrogaverunt ut regia auctoritate abuti?" *Ewaldus.* Μίαν ἄραν, *ad breve tempus.* Nam Imperii mense XIII. Vitellius occisus est; com. 11.

13. Οὗτοι μίαν — διαδιδώσουσιν) *Unamini consensu pugnarunt pro Vitellio.* Nam ipse Vitellius iners erat, et *curis gravibus impar.* Tacit. Hist. II. c. 59. Cf. notata supra ad com. 11. Adde eundem L. I. cap. 52. *Valens — instigare Vitellium, ardorem militum ostentans. — Quatiebatur his segne ingenium, ut concupisceret magis, quam ut speraret.*

14. Οὗτοι μετὰ — νικήσει αὐτούς) Licet cum meretrice bellum gerant, i. e. Romam vastent, non ideo minus etiam agno bellum inferunt, i. e. Christianos vexant; idololatrae sunt et iniusti. *Christus vincit eos,* irritos reddet eorum conatus. Credibile est, etiam post persecutionem sub Nerone, Christianos saepe multa passos esse, quamquam in historia nihil legimus de his vexationibus, quia minoris momenti fuerunt ad alias mox insecutas sub Domitiano et aliis Imperatoribus. ὅτι κύριος — βασιλέων) *Dominus Dominorum* vocatur dominus magnus, qui alios multos dominos sub se habet, quibus cum potestate praeest. Sic *Rex Regum* est, qui multis aliis regibus imperat. καὶ οἱ — πιστοί) Etiam boni Christiani vincent eos, nempe sua patientia.

15. Τὰ ὕδατα — γλῶσσαι) Ps. XVIII, 37. *aquae multae.* Targum: *populi multi. Bemidbar* R. II. non

sunt aquae multae nisi gentes mundi S. D. Ies. XVII, 12. *Schir* R. VIII, 7. aquae multae sunt multitudo populorum S. D. Ies. XVII, 12. 13.

16. Καὶ τὰ δέκα — ἐν πυρὶ) Πόρνην esse Romam, iam supra ad com. 1. ostendimus. Referendum huc videtur incendium Capitolii bellantibus inter se Vitellianis et Vespasianis, de quo vide notata ad c. XIII, 3. Eutrop. VII, 12. *Occisus est* (Vitellius) *interfecto prius Sabino, Vespasiani Imperatoris fratre, quem cum Capitolio incendit.* Adde Tacit. III, 73. *Vitelliani — cuncta sanguine, ferro, flammisque miscent.* Μισήσουσι τὴν πόρνην, hostiliter se gerent in ipsa urbe Roma. Ἠρημωμένην ποιήσουσιν αὐτὴν, magnis afficient eam cladibus. Γυμνὴν ποιήσουσιν αὐτὴν, divitiis ornamentisque spoliabunt. *Igni crematabunt eam*, sc. magnam eius partem.

17. Ὁ γὰρ θεὸς — οἱ λόγοι τοῦ θεοῦ) Sensus est, Deum iusto iudicio permisisse, ut duces partium Vitellianarum coniungerent vires suas ad vindicandum imperium Vitellio, donec adesset tempus, quo decretum divinum de evertendo Romano imperio foret exsequendum. Cicero pro Milone 33. *Hic Dii immortales — mentem dederunt illi perdito ac furioso, ut huic faceret insidias.*

18. Καὶ ἡ γυνὴ—τῆς γῆς) *Mulier ista, quam conspexisti, significat urbem illam magnam, quae imperium habet super Reges terrae.* Haec non in Hierosolyma, sed in solam urbem Romam quadrant. Aen. V, 660. *Nunc maxima rerum Roma colit.* Ovid.

Metam. XV, 445. *Urbem, quanta nec est, nec erit, nec visa prioribus annis — Dominam rerum. Valerius Max.* VII, 1. *in urbe terrarum principe. Plinius H. Nat.* III, 6. *Et Roma terrarum caput. Aethicus* in Cosmogr. *Dominam totius mundi Romam.*

CAP. XVIII.

1. Ex *Eichhornii* sententia hoc et sequenti c. XIX. ornatur nunc Romae excidium, primum planctu publico et lamento de urbis tam gravi ruina, (c. XVIII, 1—24.), deinde epinicio in tam memorabilem victoriam in coelo per orbem decantato (c. XIX, 1—10.), tandem solemni pompa triumphali (c. XIX, 11—21.). Ἔχοντα ἐξουσίαν μεγάλην, i. e. *ἰσχυρὸν. καὶ ἡ γῆ — δόξης αὐτοῦ*) Δόξα hic, ut כבוד Hebraeis *fulgorem* significat, Exod. XL, 34.

2. Καὶ ἔκραξεν — φωνῇ) Alii habent *ἐν ἰσχυί, valde, admodum, vehementer*, eodem sensu. Rem magnam magno clamore significavit. ἔπεσεν—ἡ μεγάλη) *Cecidit, corruit.* Respicitur ad Ies. XXI, 9., ubi in Babylonis vicinia publicus praeco fingitur, quem urbis obsidio exitum habitura sit, de specula observasse, eaque expugnata proclamasse: נָפְלָה נָפְלָה בָּבֶל. De Roma haec dicta esse, *Eichhornius* pro certo affirmat, ut modo diximus. Sunt quidem nonnulla in descriptione, quae sequitur, quae ad Romam vix referri posse videntur, e. c. comm. 8. 10. 17. 21. 22. 24. Putaverat igitur, intelligenda esse Hierosolyma, quae urbs in multis habuit similitudinem cum Roma et vetere Babylone, ut

Ioannes, postquam dixisset, quid durante obsidione Hierosolymorum gestum sit Romae et in Imperio Romano, nunc redeat ad rem propositam, et miserandam sortem illius urbis, quae caput fuerat Iudaeae, graphice depingat. Sed ingenue fateor, esse etiam permulta in hac descriptione, quae non commode ad Hierosolyma, sed ad Romam aptius referri possunt. Itaque certi quicquam definire non ausim; puto tamen, pleraque rectius ad Hierosolyma, penitus devastata, quam ad Romam, quae hoc fatum nunquam experta est, referri. Vid. inprimis Vs. 21. 24. cap. XIX, 3. *καὶ ἐγένετο — μεμισημένου*) Hanc esse descriptionem *summae vastitatis*, nemo facile negaverit, qui meminerit, iisdem fere imaginibus depingi devastationem Babylonis a Iesaia cap. XIII, 20. sqq. XXXIV, 11. sqq., ex quo haec desumta sunt. *Κατοικητήριον δαιμόνων*, hebr. שְׂעִירִים Ies. XIII, 21. *Satyrorum*, ubi LXX. habent *δαιμόνια*. Quaedam daemonum genera delectari locis desertis, vetus fuit Iudaeorum persuasio, Matth. XII, 43. *Παντὸς ὀρνέου ἀκαθάρτου*, avium rapacium, quae cadaveribus pascuntur, quales designat Iesaias XIII, 21. et aliis locis. *Μεμισημένου*, *avium odiosarum*, quales sunt bubones, ferales *Virgilio*; dirum mortalibus omen *Ovidio*. Haec ad Romam (sensu proprio) referri non posse, facile patet.

3. *Ὅτι ἐκ—ἔθνη*) Eadem fere verba habuimus supra c. XIV, 8. Fuit haec urbs scelerum plena, et propagavit impietatem in alias etiam regiones et terras. *καὶ οἱ ἔμποροι — ἐπλούτησαν*) Sensus par Ies. XXIII, 8. Comparatur igitur haec urbs Tyro, ut antea Babyloni, non tantum propter magna et multa scelera in ea com-

missa, sed et propter opulentiam et luxum. Στρῆνος est *luxus*; δύναμις vero, חַיִל, divitiae, ad tantum luxum suppetentes.

4. Καὶ ἤκουσα — μὴ λάβητε) Verba sumta ex Ies. XLVIII, 20. Ierem. L, 8. LI, 6. 45. *Ex urbe egredimini.* Quum Urbi ob scelerum immanitatem excidium certum proxime immineat (Vs. 5 — 7.), Deus piis suis qui Romae versentur cultoribus, ne et ipsi insontes poena Urbi debita plectantur, urbe prius excedere velint, acclamat. Mantuanus: „Vivere qui sancte cupitis, discedite, Romae Omnia quum liceant, non licet esse bonam.“ *Ewaldus:* „Deinceps oratio in poenae huius atrocitate luctuque inde regibus Romae subiectis (Vs. 9. 10.) mercatoribusque et nautis ex ea lucrum ingens facientibus (Vs. 11 — 19.) oborto describendis tam longe exspatiatur, ut vocis divinae loquentis fictio fere negligatur, quae ipsa sermonis inconstantia in scriptis huius generis saepissime obvia est. Ceterum ne miremur, Urbem cuius eversio supra iam semel iterumque descripta est, hic ut *evertendam* depingi, vatem qui in toto opere *futuram* tantum Urbis eversionem ominatur, fictionem facile mutare potuisse tenendum est.“

5. Ὅτι ἐκολλήθησαν — ἀδικήματα αὐτῆς) Ἐκολλήθησαν, pro quo alii legunt ἠκολούθησαν, hic per κατάχρησιν quandam valet *coacervatae sunt*; proprie: *peccata adhaeserunt* quasi perpetui comites, ac accusatores coram Deo surrexerunt. Vulgata: *ad coelum pervenerunt.* Dictum id olim de Sodomis Gen. XVIII, 20. et de Ninive Ion. I, 2. Ἐμνημόνευσεν, i. e. *punit.*

6. Ἀπόδοτε—ἀπέδωκεν ὑμῖν) Abest ὑμῖν in plurimis codicibus, versionibus et Patribus. Tractate eam, sicut ipsa tractavit alios. καὶ διπλώσατε — ἔργα αὐτῆς) *Duplum reddere* hic in malam partem dicitur, ut Ierem. XVI, 18. ἐν τῷ ποτηρίῳ — διπτοῦν) Ποτήριον h. l. est θλῖψις, ut Matth. XX, 22.

7. Ὅσα ἐδόξασεν — πένθος) Ἐδόξασεν, *se iactavit.* Ἐστρηνίασε, *luxuriata est.* Cf. de hoc verbo notata ad 1 Tim. V, 11. Βασανισμὸς dicitur omnis vexatio, ut supra IX, 5. κάθημαι—οὐ μὴ ἴδω) Ies. XLVII, 7. 8. Ezech. XXVII, 3. Zeph. II, 15. Κάθημαι βασίλισσα, i. e. *regno in perpetuum;* nam praesens hoc sumendum pro omni tempore. Χήρα οὐκ εἰμὶ, i. e. *non viduata populo*, et hoc iterum: *populosa sum admodum*, sicut *via non bona*, i. e. pessima, et similia. *Nec luctum videbo*, ut vidua quae luget maritum defunctum.

8. Διὰ τοῦτο—λιμὸς) Ἐν μίᾳ ἡμέρᾳ, i. e. *subito*, locutione Hebraea. Πένθος, *luctus ex orbitate*, adeoque ipsa *orbitas*. Fames et incendium calamitatum gravium exempla sunt et signa. Ὁ κρίνας, i. e. κατακρίνας. Deus, qui urbem in haec mala damnavit, facillime decreta sua exsequitur. Parent illi creaturae omnes.

9. Καὶ κλαύσονται—πυρώσεως αὐτῆς) Κλαύσονται καὶ κόψονται, fletu et planctu moerorem suum testabuntur. Alii legunt: κλαύσονται, κόπτονται, quam lectionem *Eichhornius* praefert. Inferuntur nempe lamentationes profanorum hominum, quibus aliqua communio cum urbe eversa intercesserat. Οἱ μετ' αὐτῆς

πορνεύσαντες, *qui cum ea habuerunt commercium*, nam hoc commercium fuit caussa luxus illiciti, de quo Vs. 11. sqq. est sermo; nec πορνεύειν hoc et similibus locis necessario de idololatria explicandum videtur. „Reges Romanae meretrici allicienti devincti et subiecti, qui ruinam eius deflent et lugent, sunt reguli intra Imperii ditionem, ut Cappadociae, Numidiae, Germaniae etc., quos innuit quoque vates XVII, 18.“ *Ewaldus.*

10. Ἀπὸ μακρόθεν—ἡ κρίσις σου) *E longinquo adstabunt*, neque accedere audebunt, quia urbem mire devastari cernentes poenamque inde divinam eam pati ominantes sibi quoque timent, sicut ab aegroto et infelice poena, ut putatur, divina notato amici procul absunt eumque detestantur, Ps. XXXVIII, 12. LXXXVIII, 19. Οὐαὶ hic est condolentium. Μιᾷ ὥρᾳ, i. e. *brevissimo tempore.*

11. Καὶ οἱ ἔμποροι — οὐκ ἔστι) Desumta haec ex Ezech. XXVII, 36. et quae sequuntur ex eodem capite. Non tantum Babyloni aperte, sed et tacite Tyro urbem comparat, ob ingentia eius cum aliis nationibus commercia. Γόμος, in Glossario: *onus*, inprimis quod navibus fertur. Eustathius in Iliad. o. p. 1041. *Φόρτος νηὸς, ὁ καὶ γόμος. Ladung.*

12. Βύσσου — κοκκίνου) *Byssus* est tenuissimum ac praestantissimum lini genus. *Sericum* est a *Seribus* i. e. a Sinensibus dictum, quod vermes nent. Virg. Georg. II, 121. *Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres.* καὶ πᾶν ξύλον—μαρμάρου) ξύλον θυΐνον, *lignum citreum.* Θυΐα vel θύα Theophrasto Hist. Plant. V, 5.

est *arbor odora*, unde θυΐον, lignum ex illa arbore. Glossae: *Citreum*, θυΐον. Plinius Hist. Nat. XIII, 16. *inter pauca nitidioris vitae instrumenta haec arbor est. — Nota etiam Homero fuit*, θύον *graece vocatur, ab aliis Thya. Hanc itaque inter odores uri tradit.* Σκεῦος ἐλεφάντινον, ut lectos ex ebore, quos iam sua aetate usitatos nos docet Varro de lingua Latina. Glossae: *ebur.* ἐλέφας, οὐ τὸ ζῶν, ἀλλ' ἡ ἐκ τοῦ ὀδόντος ὕλη. Aen. VI, 896. *Altera candenti perfecta nitens elephanto.* Herodianus IV, 2. ἐπὶ μεγίστης ἐλεφαντίνης. Πᾶν σκεῦος, כְּלִי, omnis suppellex atque instrumentum. Μαρμάρου, *marmoris* Parii aut Laconici, unde columnae et statuae.

13. Καὶ κινάμωμον — ἀνθρώπων) Κινάμωμον καὶ ἄμωμον. Plautus Curcul. I, 2. 5. *nam omnium unguentorum odor prae tuo nautea est: tu mihi stacte, tu cinamomum, tu rosa, tu crocium et cassia es.* Lucanus X, 166. *Multumque madenti infundere comae, quod nondum evanuit aura Cinnamon, externa nec perdidit aera terra: Advectumque récens vicinae messis amomum.* Θυμιάματα, *suffitus*, cuius non tantum in sacris, sed et in deliciis usus. Λίβανον, *thus* etiam potui miscebatur. Σεμίδαλις, *simila, similago.* Ῥέδα, vel ῥέδη est vox Gallica, *rheda*, genus vehiculi quatuor rotarum. Σώματων *corporum*, i. e. servorum. Sic enim certe Graeci vocant servos, unde in Epigrammatibus Graecis σώματα πολλὰ τρέφειν etc. Καὶ ψυχὰς ἀνθρώπων, i. e. *homines.*

14. Καὶ ἡ ὀπώρα — ἀπῆλθεν ἀπὸ σοῦ) *Et poma desiderii animae tuae discesserunt a te*, i. e. non am-

plius erunt tibi poma, abs te in deliciis habita. Intelliguntur bellaria post usitatas epulas in ditiorum mensis apponi solita. Ὀπώρα, *autumnus*, significat etiam *fructus autumnales* (Ierem. XLVIII, 32.), veluti poma, limones, malogranata, persica, citrea etc. Alii per κατάχρησιν intelligunt per ὀπώραν *tempus fruendi*, sicut *veneris fructus carpere* dicunt Latini. Ἐπιθυμία τῆς ψυχῆς exprimit תַּאֲוַת נַפְשׁ Ps. X, 3. Est in his verbis et sequentibus usque ad illa οἱ ἔμποροι allocutio Regum, qualem Graeci ἀποστροφήν vocant. καὶ πάντα — εὑρήσῃς αὐτά) Τὰ λιπαρὰ, *lauta*, ad epulas pertinent, sicut τὰ λαμπρὰ, *splendida*, ad vestes.

15. Οἱ ἔμποροι—ἀπ' αὐτῆς) Τούτων, i. e. omnium istarum mercium, quae iam indicatae sunt. Ἀπ' αὐτῆς, sc. luxu eius. A regibus venit ad mercatores, deinde ad nautas venturus, ut Ezechiel cap. XXVII.

16. Ἡ περιβεβλημένη — κόκκινον) Pro urbe menti Scriptoris obversabatur *meretrix*. κεχρυσωμένη—μαργαρίταις) Est σύλληψις in his verbis; nam κεχρυσωμένη ad aurum recte refertur, quanquam pleonastice; ad lapides vero pretiosos et margaritas improprie. Potest etiam κεχρυσωμένη sumi pro κεκοσμημένη.

17. Καὶ πᾶς κυβερνήτης—ἔστησαν) Naucleri, vectores et remiges. Desumtum ex Ezech. XXVII, 26—28. Ἐπὶ τόπον, sc. τοῦτον. Rectius per enallagen intelliguntur οἱ ἐπὶ τόπους πλέοντες; ii, qui non totam navigationem absolvunt, sed mercibus tantum ex emporiis primariis ad loca non procul dissita devehendis vacant. Ἐργάζεσθαι θάλασσαν, elegans locutio pro τὴν

θαλασσικὴν, vel θαλάσσια ἔργα. Dionysius Hal. Ant. III, 46. τὴν αὐτὴν εἰργάζετο συνεχῶς θάλασσαν. Strabo III. τὴν θάλασσαν ἐργάζεσθαι. *Mare exercere* est *per mare iter facere.*

18. Τίς — μεγάλη;) *Quae urbs olim huic similis erat,* magnitudine, potentia, luxu? Vel: quae urbs tam misere penitusque destruitur, ut nunc urbem hanc magnam destrui videmus?

19. Καὶ ἔβαλον — αὐτῶν) In gravissimi luctus sui argumentum, Ies. VII, 6. 9. 1 Sam. IV, 12. 1 Sam. XIII, 19.

20. Εὐφραίνου — ἐξ αὐτῆς) Post descriptam urbis vastitiem, et admirationem doloremque eorum, qui ex ea commoda perceperant, pergit angelus excitare pios ad approbandum laudandumque hoc Dei iudicium. Coeli laetitiam ex Babylonis lapsu etiam Ieremias praedicit LI, 48. Ὅτι ἔκρινεν ὁ Θεὸς τὸ κρῖμα ὑμῶν ἐξ αὐτῆς, quod Deus vindictam ob mortem iniuriasque vobis illatas sumsit de hac urbe. *Iudicium iudicare* sic dicitur, sicut mori mortem, servitutem servire.

21. Καὶ ἦρεν — εὑρεθῇ ἔτι) Εἷς ἄγγελος, alius ab illo, qui locutus est. Imago desumta ex Ierem. LI, 63. 64. Ὁρμήματι βληθήσεται, sicut magni lapides non solum sonitu magno, sed et praecipitantius deorsum ferri solent. Οὐ μὴ εὑρεθῇ ἔτι, *non amplius reperietur.*

22. Καὶ φωνὴ — μύλου οὐ μὴ ἀκουσθῇ ἐν σοὶ ἔτι) Rursus Apostrophe ad urbem, qualis supra Vs. 14. La-

tius per species suas explicat Ioannes, quod Ieremias solet dicere, perituram vocem gaudii ac laetitiae VII, 34. XVI, 9. XXV, 10. *Φωνὴ μύλου*, strepitus tot molarum ad alenda tot hominum millia, vel cantica puellarum molam trusantium.

23. *Καὶ φῶς—ἐν σοὶ ἔτι*) Ex Ierem. XXV, 10. Videtur esse dictio proverbialis, qua summa terrae vastatio et solitudo indicatur. *Φωνὴ νυμφίου καὶ νύμφης*) Solemnes cantus ad thalamum. Ex iisdem Ieremiae locis Vs. 22. citatis. Vocem sponsi et sponsae vocat carmina de sponso et sponsa. Sic Genitivus saepe sumitur obiective. *ὅτι οἱ ἔμποροι—τῆς γῆς*) Sumtum ex Ies. XXIII, 8. de Tyriis. Luxus indicatur, quod institores velut principes ibi viverent. *ἐν τῇ φαρμακείᾳ σου*) Ut Ies. XLVII, 9. Multos alios corruperant infecerantque pravis suis moribus.

24. *Καὶ ἐν αὐτῇ—ἐπὶ τῆς γῆς*) Idem sensus Matth. XXIII, 35. *Ἐσφαγμένων ἐπὶ τῆς γῆς*, *in terram deiectorum et occisorum*, Ierem. LI, 49.

CAP. XIX.

1. **Μ**ετὰ ταῦτα—Ἀλληλουΐα) Beati coelicolae approbant et laudant iudicia Dei. Ἀλληλουΐα, הללו יה laudate Iovam. *ἡ σωτηρία—τοῦ θεοῦ ἡμῶν*) Τοῦ θεοῦ omnino legendum videtur pro eo, quod alii habent *κυρίῳ τῷ θεῷ*. Sensus est: Deo debetur laus ob acceptam salutem: *ἡ σωτηρία*. Is omni dignissimus est veneratione: *ἡ δόξα*. Is potentissimus est: *ἡ δύναμις*.

Deleta urbe, non amplius metuendus erat Christianis furor Iudaeorum Romanorumque. „Proinde tandem aliquando tempus advenit dudum exspectatum exoptatumque, quo Messias ipse in terram adveniens tum impios quotquot reliqui sunt omnes debellet removeatque, tum regnum inchoet coeleste, piorum praemium iustum. Iam enim fracta iacet potentia, diruta Urbs Romana; territi punitique sunt impii plurimi; nec nisi Antichristus cum eius comitibus reliquisque impiis frustra poena divina monitis (XVI, 21.) superest Messiae debellandus unoque ictu et momento vincendus; et hi soli Messia ipso vindice et victore digni sunt. Ad hunc igitur Messiae adventum ut satis digne praeparetur, XIX, 1—10. primum scena praeluditur coelesti.“ *Ewaldus.*

2. Ὅτι ἀληθιναὶ — χειρὸς αὐτῆς) Supra XV, 3. XVI, 7. De urbe egregie hic ponitur vox διέφθειρε, qua de Babylone Ieremias agens utitur c. LI, 25. Ultima huius commatis verba sumta sunt de Deut. XXXII, 43.

3. Ὁ καπνος—τῶν αἰώνων) Ies. XXXIV, 10. *Perpetuo erit vastata urbs*, sicuti dicto loco Prophetae explicandi gratia additur.

4. Καὶ ἔπεσον—ἀλλελουΐα) Vid. supra IV, 10. V, 14. Ἀμήν, certo id eveniet, quod praedictum de hac urbe.

5. Καὶ φωνὴ — οἱ μεγάλοι) Excitantur omnes veri Dei cultores in his terris ad laudandum Deum propter iustitiam eius, et in implendis promissis veracitatem. Nam post debilitatam vim Iudaismi et idololatriae, Christiani confirmati sunt in religionis fide, et ipsa religio

latius est propagata. *Ewaldus: μικ. καὶ μεγ.* coelites minores, ut angeli, beati, et maiores, ut archangeli, presbyteri, animalia.

6. Καὶ ἤκουσα — ἰσχυρῶν) Ex Ezech. I, 24. Vocem audivit Ioannes maxime sonoram, quasi maximae hominum multitudinis conclamantis. ὅτι ἐβασίλευσε — ὁ παντοκράτωρ) i. e. ostendit nunc Deus eximio quodam modo, se esse Regem, omnipotentem humanarum rerum gubernatorem.

7. Ὅτι ἦλθεν — ἡτοίμασεν ἑαυτήν) Nuptias quasi celebrabit Christus olim mactatus, cum sponsa, quae se iam ad id festum praeparavit et ornavit. Cf. 2 Cor. XI, 2. Eph. V, 31. Sensus est, nunc nitidiorem quasi et pulcriorem fore ecclesiam Christi, non amplius turbatam per christiani nominis hostes.

8. Τὸ γὰρ βύσσινον — ἁγίων) *Byssinum enim significat virtutes Christianorum.* Δικαιώματα, *opera iusta*, quae recte describuntur veste alba; nam albor est innocentiae Symbolum.

9. Καὶ λέγει — κεκλημένοι) Λέγει μοι, sc. angelus. Γράψον, tanquam rem magnam, et memoriae ad posteros mandandam. Felices ait esse Christianos, beneficiorum Messiae participes.

10. Καὶ ἔπεσον — προσκυνῆσαι αὐτῷ) Maximo honore afficere voluit Ioannes rei tantae nuntium, nec tamen divinum cultum ei exhibere voluit, nam προσκυνεῖν, *ad genua procidere* honos erat civilis, qui Re-

gibus virisque summis exhibebatur in Orientis partibus. Scriptor vitae *Cononis*: *Venerari regem, quod προσκυνεῖν ipsi vocant.* ὅρα μὴ—θεοῦ προσκύνησον) Ὅρα μή, *cave feceris: nam* ὁρᾶν, *cavere.* Non mihi debes gratias ob tantarum rerum revelationem, sed Deo. Nos inter nos pares sumus, eiusdem Regis legati. *Fratres, habentes* s. *servantes testimonium Iesu*, i. e. doctrinam Iesu, sunt Apostoli et alii donis Apostolicis praediti. τῷ θεῷ προσκύνησον, i. e. *Deo gratias age.* Non dicit προσκύνησιν soli Deo licite exhiberi: repugnat enim tota vetus historia: sed benigne agit, ut si quis Collega Collegae dicat: Serva hunc honorem Regi. ἡ γὰρ μαρτυρία—προφητείας) *Nam etiam doctrina Iesu auctorem habet Spiritum Propheticum.* Non consentiunt interpretes, an haec verba sint angeli, an vero Ioannis? Mihi videntur esse verba angeli, rationem commemorantis, cur Ioannem et ceteros Apostolos pro conservis agnoscat. Non minor est nuntius de remissione peccatorum et de vita aeterna per Christum data credentibus, quam nuntius futura praedicens.

11. Καὶ εἶδον—πολεμεῖ) Pompa triumphalis describitur Vs. 11 — XX, 3. Theatrum quasi est coelum. Vidit nempe Ioannes τὸν οὐρανὸν ἀνεῳγμένον, quod magni visi erat antecessio. Supra IV, 1. XI, 19. Tanquam *equo albo insidens* sistitur Christus etiam supra VI, 2. Imago est victoris et triumphantis. Πιστὸς καὶ ἀληθινός, ut supra III. 14. Semper quidem talis est Christus, sed eximie sic vocatur, quum promissa sua et minas implet. Ἐν δικαιοσύνῃ κρίνει, iustissima exercet iudicia in veritatis et religionis suae adversarios.

Πολεμεῖ, bella ex coelo gerit, quibus hostes suos deiicit. „Proinde Messiae cum selecto piorum agmine descensus in terram sequitur ad Antichristum et Pseudoprophetam, duos inter homines hostes summos hoc solo victore dignos, reliquosque quotquot supersunt impios profligandos poenaque merita plectendos ultima.“ *Ewaldus.*

12. Οἱ δὲ ὀφθαλμοὶ — διαδήματα πολλὰ) *Oculi flammae ignis* similes tribuuntur Christo etiam supra II, 18. Notant severitatem Christi iudicis. Διαδήματα πολλὰ, sc. regum devictorum, 2 Sam. XII, 30. 1 Macc. XI, 30. ἔχων ὄνομα — εἰ μὴ αὐτὸς) Nomen esse videtur ὁ λόγος τοῦ θεοῦ, quod statim com. 14. subiicitur. Huius nominis rationem nemo mortalium penitus perspicit. Post ἔχων nonnulli codices addunt ὀνόματα γεγραμμένα, sine necessitate. *Eichhornius* intelligit *nomen ineffabile*, coronae Christi Imperatoris ipsi, aut laminae aureae, ornatus caussa coronae superimpositae insculptum. Simili ornatu Iehovam etiam induere consueverunt Iudaei. Ex quo enim (verbis Eichhornii utor,) septem in Deo virtutes exsculpserant, iisdem etiam Deum ita ornarunt, ut per figuram eius, ad corporis humani exemplum (quo maius et dignius nihil noverant,) revocatam, virtutes dispescerentur, et singula corporis membra singulas naturae divinae virtutes vindicata haberent, h. e. ut capiti imponeretur *corona*, bini oculi instruerentur *sapientia* et *intelligentia*, brachium dextrum et sinistrum *fortitudine* et *vi* armarentur, cingulo intexeretur *pulchritudo*, femora *victoriae* et *gloriae* nominibus ornarentur, genitalia *fundamentum* dicerentur, et pedibus denique subster-

neretur *regnum*. Coronae autem capitis superimponebatur אֵין סוֹף, *nomen ineffabile*, talisque figura artificiose exornata dicebatur עֶשֶׂר סְפִירוֹת בְּלִימָה *decem Sephiroth praeter illud ineffabile*. Figuram exhibet Eichhornius. His ita constitutis locum nostrum sic resolvit: καὶ ἐπάνω τῶν διαδημάτων εἶχε ὄνομα γεγραμμένον, ὃ οὐδεὶς οἶδεν εἰ μὴ αὐτὸς, *coronae superimpositum legebatur nomen illud* הֲלֹא, ἄῤῥητον, ἀνέφικτον יהוה. Cf. c. II, 17.

13. Καὶ περιβεβλημένος—αἵματι) Tinctum erat eius vestimentum sanguine impiorum. Iterum imago est victoris, depromta ex Ies. LXIII, 2. καὶ καλεῖται — θεοῦ) Eodem sensu Christus hic dicitur ὁ λόγος τοῦ θεοῦ, quo Io. I, 1. sqq. quem locum hic confer.

14. Καὶ τὰ στρατεύματα—καθαρὸν) Τὰ στρατεύματα τὰ ἐν τῷ οὐρανῷ, *exercitus coelestes*, hebraice הצבאות בשמים. Hi sunt angeli, Deo et Christo, ut in aliis rebus, ita etiam adversus hostes christiani nominis servientes. Sequebantur Christum, ducem, *equis albis insidentes*, ut Christus ipse, Vs. 11. *Byssino albo et puro induti erunt*, eodem nempe ornatu, quo Christiani iam in his terris gaudent, supra Vs. 8.

15. Καὶ ἐκ τοῦ στόματος—τὰ ἔθνη) Post ῥομφαία nonnulli addunt δίστομος. Est autem gladius acutus et anceps Symbolum minarum adversus impios. Τὰ ἔθνη, idololatrae contumaces, et alii superstitiosi atque impii homines. καὶ αὐτὸς — σιδηρᾷ) Ex Ps. II, 9. Eandem phrasin habes supra XII, 5. Victor, qui hic apparet est iudex et rex. καὶ αὐτὸς πατεῖ — παντοκράτο-

ρος) Ex Ies. LXIII, 3. Ἡ ληνὸς significat *torcularii preli lacum*, ubi nempe uvae prelo exprimuntur, hebr. יְקֶב, saepius גַּת, quod reddunt *torcular*. Ex uvis, quas calcat hic Christus, exprimitur vinum irae Dei, quod gentibus propinatur. Significantur itaque poenae, quae parantur impiis et contumacibus Christi hostibus.

16. Καὶ ἔχει — κυρίων) Ἐπὶ τὸ ἱμάτιον, super paludamentum suum imperatorium. Ἐπὶ τὸν μηρὸν αὐτοῦ, i. e. in capulo ensis, qui pendebat ad femur. Nomen, quod Christus in hac imagine gerit, ipsi tribuitur ob summam in omnes Reges huius terrae potestatem, Eph. I, 20. 21.

17. 18. Καὶ εἶδον — θεοῦ) Ἑστῶτα ἐν τῷ ἡλίῳ, *stantem in sole*, loco editiore, ut ab omnibus conspici posset. Significatur, valde conspicuum fore id, quod hic angelus nuntiat. Poetica autem haec allocutio ad volucres sumta est ex Ezech. XXXIX, 17. In signum victoriae plenissimae atque certissimae invitantur aves omnes ad devorandas carnes hostium occisorum. Nam post proelium commissum advolare solent aves carnivorae, occisorum cadavera depascentes. Indicatur itaque hac imagine posthac de hostibus ecclesiae prorsus fore actum.

19. Καὶ εἶδον — στρατεύματος αὐτοῦ) Τὸ θηρίον esse idololatriam, ostendimus supra c. XIII, 1. sqq. Iterum Ioanni sese ostendebat imago, quam l. c. descripserat, sed simul cum poenis de bestia sumendis.

20. Καὶ ἐπιάσθη — τῇ εἰκόνι αὐτοῦ) Hi christiani nominis hostes, et idololatriae fautores uberius descri-

buntur supra c. XIII, 13. sqq. quem locum confer. Ὁ μετ' αὐτοῦ ψευδοπροφήτης, imago haereticorum et falsorum doctorum in ipsa ecclesia christiana. Perniciosi errores per omnium Seculorum decursum sparsi sunt, quibus ipsi Christiani a vero Dei cultu sunt abstracti, teste historia ecclesiastica. Hic autem innuere videtur divinus vates, fore tempus, quo plerisque erroribus huius generis extirpatis, purior apparitura sit ecclesiae facies. ζῶντες — θείῳ) Vivi coniecti sunt in stagnum ignis ardens sulphure. Comparationem non dissimilem habes Ies. LXVI, 24., qua continetur descriptio gravissimarum poenarum. Repetitur idem hoc infra XX, 10., ubi et diabolus additur. Significat divinus vates, idololatriam et cultum idolorum in Imperio Romano sic extinctum, ut eius non magis quidquam appareret, quam rei combustae, e. g. Sodomorum et vicinarum urbium. Hoc idem etiam de gravioribus erroribus in ipsa ecclesia sparsis valere videtur.

21. Καὶ οἱ λοιποὶ) Seducti a bestia et falso Propheta. Lenior poena eorum, qui seducti erant ab illis. Acerbior enim poena ustulationis per ignem poena gladii.

CAP. XX.

Describuntur, ut mihi quidem videtur, laetissima religionis christianae et regni Messiani in his terris fata, post idololatriam in plerisque orbis regionibus extirpatam, et errorum graviorum vim fractam ante mundi finem instantia, quae parva quidem, sed iucundissima pictura more suo repraesentat Ioannes.

1. Καὶ εἶδον — χειρὰ αὐτοῦ) Τὴν κλεῖδα τῆς ἀβύσσου, *clavem profundi carceris*, Tartari, sensu paululum diverso a significatu vocis ἀβύσσου, quem habuimus supra c. IX, 1. 2. Tenebat angelus in manu ἅλυσιν μεγάλην, *catenam magnam*, quia sontes vinciri solent, ut in carcerem ducantur, ne elabi possint.

2. Καὶ ἐκράτησε — Σατανᾶς) Ἐκράτησε, *comprehendit*. Per τὸν δράκοντα etc. quid intelligat, vide supra XII, 3. 9. et statim explicatur verbis: ὅς ἐστι διάβολος κ. τ. λ.

3. Καὶ ἔδησεν — ἔκλεισεν) Transpositio et simul hebraea locutio, pro: καὶ δεθέντα αὐτὸν καὶ βληθέντα εἰς τὴν ἄβυσσον ἔκλεισεν εἰς χίλια ἔτη. Hanc imaginem facile intelligit, qui meminerit, Satanam ex usu loquendi Scriptoribus N. T. recepto esse auctorem primarium omnium errorum, omnis superstitionis et scelerum inde enascentium. Cf. notata ad cap. XII. huius libri. Itaque monstratur laetior regni Messiani facies, quum Satanas per satis longum tempus privabitur sua vi et potestate spargendi perniciosos errores, et saeviendi in Christianos. Hoc enim incarceratione Satanae indicatur. *Mille anni* bene longum temporis spatium indicant, nec proprie sunt intelligendi; nam in picturis longius et breve temporis spatium non aliter nisi numeris exprimi potest, ut monuimus supra ad cap. XI, 2. Millenario autem numero usus est Ioannes, quia is numerus est mysticus apud Iudaeos. *Tanchuma* f. 255. 1. *Messiae tempora sunt mille anni.* Multa alia loca ex Rabbinorum Scriptis invenies apud Wetstenium. καὶ ἐσφράγισεν — χίλια ἔτη) Ἐσφράγισεν ἐπάνω αὐτοῦ, car-

cerem obsignavit, ne quis aperiret. Ἵνα μὴ πλανήσῃ τὰ ἔθνη ἔτι, ne postea homines ad perniciosos errores, superstitionem, scelera alliciat. Qui mille annos proprio sensu intelligunt, eosque a Constantino M. numerant, ii videant, quomodo hanc suam sententiam cum ipsa rerum in ecclesia christiana gestarum historia concilient. Nemo nescit, quae superstitio, ignorantia et turpitudo ab eo tempore rem christianam invaserit atque foedaverit. Sed cuinam aetati eorum hominum, qui ante nos vixerunt, haec quae vaticinatur Ioannes, accommodari poterunt? Nulli, ut opinor. Erit itaque adhuc expectandum felix illud aevum, cuius iucundissimam faciem hic depingit Ioannes. Sed cave hoc ita intelligas, quasi futurum sit tempus, quo ab omnibus plane erroribus et vitiis libera futura sit respublica christiana. Maior tantum promittitur religionis christianae puritas, florentior conditio quoad doctrinam et mores. Nec vana spes est, tandem aliquando ex tenebris lucem emersuram, si boni et veritatis amantes viri ex omnibus sectis vires suas coniungant, et abiectis figmentis humanis religionem puriorem, prout in Sacris litteris traditur, diligenter commendent. Vide *Ierusalemi Betracht.* Part. II, p. 743. sqq. et *Doederlini Fragmenta et Antifragm.* Part. II. pag. 238. seqq. edit. prim. καὶ μετὰ—χρόνον) *Sed post haec oportet illum solvi ad breve tempus.* Hoc uberius describitur infra com. 7. seqq.

4. Καὶ εἶδον—αὐτοῖς) *Vidi autem thronos, quibus insidentes iudicium exercebant.* Hac imagine dignitas et honor Christianorum describitur. καὶ τὰς ψυχὰς — χεῖρα αὐτῶν) Christianos puritate vitae et innocentia

similes illis priscis veritatis testibus designat haec visio, ut ex statim sequentibus apparet. Τῶν πεπελεκισμένων, *decollatorum*. Species frequentior posita vice generis. Frequentissimum enim apud Romanos securis supplicium: ideo magistratus incedebat cum securibus. Sequentia repetita sunt ex cap. XIV, 9. XIII, 16. Describuntur pii homines, qui non tantum doctrinam Christi sparserunt, quam latissime poterant, sed et abstinuerunt ab omnibus vitiis, quae cum ea doctrina pugnarent. καὶ ἔζησαν — χίλια ἔτη) Hoc non ita intelligendum, quasi ipsi illi pii Martyres, qui olim pro Christi religione supplicia sustinuerant, essent revicturi, et regnaturi cum Christo. Sed figurate et in imagine quadam exprimitur florens conditio reipublicae christianae, quae tanta erit, ac si prisci Martyres e sepulcris revocati, hisce in terris tranquille iterum viverent. *Cum Christo regnare* significat magnam felicitatem in regno Christi in his terris. Et intelligendum hoc est de Ecclesia ipsa, non de singulis eius membris. Itaque hoc vult Ioannes, ecclesiam, quae diu vitiata et corrupta erat in suis membris, ita fore comparatam, quasi excitata fuerit e mortuis, ac denuo revixerit. Alii existimant, vatem haec proprie sumsisse, atque Iudaeorum de regno Messiae millenario opiniones transtulisse ad rem christianam. Qua de re cf. *Ewaldus* p. 297. s.

5. Οἱ δὲ λοιποὶ — χίλια ἔτη) Οἱ λοιποὶ τῶν νεκρῶν, de quibus supra XIX, 21. Mali et impii οὐκ ἔζησαν, non recuperarunt vires nocendi, similes erant mortuis. Significatur, ecclesiam per id spatium temporis liberam fore ab hominibus tranquillitatem turbantibus, et suis perniciosis erroribus Christianorum inno-

centiam corrumpentibus. αὕτη ἡ ἀνάστασις ἡ πρώτη) Quid sit *resurrectio prima*, ex hactenus dictis satis clare patet. Intelligitur nempe status ecclesiae tranquillus et felix. Cf. annotata ad Rom. XI, 15.

6. Μακάριος — τῇ πρώτῃ) *Beatus et omni veneratione dignus, qui particeps fuerit huius felicitatis.* Ἅγιος, inviolabilis, expers calamitatis, vel honore dignus, venerandus, quo sensu Deus saepe vocatur ἅγιος. *Prima resurrectio* hic sumitur eodem sensu, quo modo Vs. 5. habuimus. De resurrectione corporum particulari, universalem praecedente minime est sermo. (Talem intellexisse vatem ostendit *Ewaldus*, qui optime hanc rem explicavit l. c. p. 302. coll. 294. sq.) ἐπὶ τούτων — ἐξουσίαν) i. e. *morti aeternae non addicentur.* Vide notata supra ad II, 11. ἀλλ' ἔσονται — χίλια ἔτη) Libertatibus et honore sacerdotum fruentur. Ubique in terris publice honorabuntur ut reges.

7. Καὶ ὅταν — φυλακῆς αὐτοῦ) Tranquillum istum et felicem ecclesiae statum excipient tempora alia, quibus Satanas quasi vires suas resumet, novosque errores et superstitiones sparget. φυλακὴν vocat, quod ante ἄβυσσον.

8. Καὶ ἐξελεύσεται — μαγώγ) Τὰ ἔθνη τὰ ἐν ταῖς τέσσαρσι γωνίαις τῆς γῆς, gentes in quatuor extremis mundi partibus. Nomina *Gog et Magog* desumta sunt ex Ezech. XXXVIII. XXXIX. Frustra quaeritur, quaenam gentes in hoc Apocalypseos loco intelligantur; Ioannes enim utitur nominibus ex Ezechiele aliisque locis V. T. notis, ad designandas gen-

tes in ultimis orbis regionibus habitantes. Iudaei etiam simile quid in traditione habent: statuunt enim magno consensu, Gogum et Magogum a Messia debellatum iri: per eos autem intelligunt omnes in universum Dei hostes, aut LXX. nationes mundi, aut Romanos aut Turcas. *Targum Hierosol.* in Levit. XXVI, 44. regnum Edom et dies Gog opponuntur. In Num. XI, 27. Eldad et Medad, ambo isti prophetarunt simul, et dixerunt: in fine extremitatis dierum Gog et Magog et exercitus eorum ascendent Hierosolyma, et per manus Regis Messiae ipsi cadent, et VII. annos dierum ardebunt filii Israelis ex armis eorum. *Sanhedrin* f. 94. 1. Quaesivit Deus S. B. facere Ezechiam Messiam, et Senacheribum Gog et Magog. Plura habet Wetstenius. συναγαγεῖν — θαλάσσης) Εἰς πόλεμον, nempe contra pios Dei et Christi cultores. Cf. 2 Petr. III, 3. 2 Thess. II, 8. Exercitus autem eorum dicuntur fore *sicut arena maris*, i. e. ingentes, nam quod ingentis numeri est, comparatur arenae, ut Gen. XXII, 17. XXXII, 13.

9. Καὶ ἀνέβησαν — ἠγαπημένην) Ἀνέβησαν Praeteritum pro futuro, sed quasi praesenti. Ἡ παρεμβολὴ τῶν ἁγίων *castra Sanctorum.* Intellige ecclesiam Christi in his terris; quae statim vocatur *urbs dilecta*, facta allusione ad Hierosolymorum urbem, sedem olim Sacrorum et cultus divini. Hanc Dei ecclesiam hostilibus armis aggredientur impii illi religionis et pietatis adversarii. Vid. not. ad XI, 13. καὶ κατέβη — κατέφαγεν αὐτούς) Sumtum ex Ezech. XXXVIII, 22. XXXIX, 6. Significatur improvisum auxilium, quod laturus est Deus Suis. Quum iam actum visum fuerit de verae religionis piis cultoribus, Deus mirabili modo coelitus quasi hostes pessumdabit, et pios tuebitur.

10. Καὶ ὁ διάβολος — ψευδοπροφήτης) Ὁ πλανῶν αὐτοὺς, qui illos veritatis et religionis hostes contra Christianos incitaverat. Ἐβλήθη εἰς τὴν λίμνην τοῦ πυρὸς καὶ θείου, *coniicietur in stagnum ignis et sulphuris.* Praeteritum pro futuro. Non iam vinculis coërcebitur eius potestas, sed plane auferetur, nullis manentibus reliquiis. Ὅπου καὶ τὸ θηρίον καὶ ὁ ψευδοπροφήτης, c. XIX, 20. Quo ministeria eius praecesserant, ibit ipse. καὶ βασανισθήσονται — αἰώνων) Poenas sentient perpetuas, aeternas. Sic irrisores Dei et legis aeterna sensuros supplicia, aiunt Hebraei.

11. Καὶ εἶδον—ἐπ' αὐτοῦ) A comm. 11. huius cap. usque ad cap. XXII, 5. describitur vitae futurae felicitas aeternum duratura, quam praecedit mortuorum resuscitatio, et receptio hominum proborum in numerum civium reipublicae coelestis, Vs. 11—14. Θρόνον λευκὸν hic intellige thronum splendidum cum maiestate. Τὸν καθήμενον ἐπ' αὐτοῦ, nempe *Christum.* Iudicium describitur extremum phrasibus et figuris de more iudiciorum humanorum sumtis. Cf. Matth. XXV, 31. sqq. οὗ ἀπὸ προσώπου—εὑρέθη αὐτοῖς) Abiit haec vetus rerum conditio. 2 Petr. III, 7.

12. Καὶ εἶδον — ἐνώπιον τοῦ θρόνου) Iudicandos nempe, Matth. XXV, 32. καὶ βιβλία ἠνεῴχθησαν) Libri dictorum et factorum cuiusque, ut patet ex iis quae sequuntur. Sumtum hoc ex Daniele VII, 10. Sicut reges commentarios habere solebant rerum gestarum, ita Christo iudici omnia hominum cogitata, dicta, facta plane sunt perspecta, quasi scripta libris. καὶ βιβλίον ἄλλο—ἔργα αὐτῶν) *Liber vitae*, catalogus quasi eorum,

qui felicitati aeternae sunt destinati, sive matricula civium regni coelestis, unde nomina legentur eorum, qui ad mortem usque in ea matricula scripti permanserint. Deletorum nulla habebitur ratio, quia ius quod habuerant, amisere. Οἱ νεκροὶ, *qui mortui fuerant*, nunc autem e mortuis resuscitati. Ἐκ τῶν γεγραμμένων ἐν τοῖς βιβλίοις, convenienter illis, quae scripta erant in his libris; nam in iis dicta et facta hominum consignata erant.

13. Καὶ ἔδωκεν — ἐν αὐτοῖς νεκροὺς) *Reddiderat enim mare mortuos, qui in eo fuerant* etc. Ἔδωκεν est Plusquamperfectum, ut ex ipso contextu patet. Omnes partes naturae sua deposita exhibebunt; nempe per προσωποποιΐαν ostenduntur mare, mors, ἅδης, quasi debitores depositi. Homines in mari submersi distinguuntur ab aliis, quorum umbrae in orcum migraverant, quia Veteres sibi persuadebant, animas hominum mari absorptorum non deferri ad sedes inferorum, sed aquis supervolitare. Ὁ θάνατος, qui morbo erunt mortui. Ὁ ἅδης ceteros omnes mortuos complectitur, qui aut violento fato aut senectute obierint.

14. Καὶ ὁ θάνατος — τοῦ πυρὸς) Pertexit προσωποποιΐαν, et significat, post iudicium extremum non amplius morituros homines iudicatos. Persimilis locus est 1 Cor. XV, 26. 54. Possunt etiam ὁ θάνατος καὶ ὁ ἅδης esse ii, qui veros Dei et Christi cultores morti tradiderunt, eosque interfecerunt. οὗτός ἐστιν ὁ δεύτερος θάνατος) *Haec poena ignis*, qua impii Christianorum persecutores afficientur, *est secunda mors*. Ex Eichhornii sententia ingeniose et acute dictum est hoc

Quum nempe plane non intelligatur, quomodo *mors* mori possit, poeta notionem *alterius mortis* in usum suum ita convertit, ut illa mortem interimat.

15. Καὶ εἴ τις—λίμνην τοῦ πυρός) Cf. Vs. 12. Non sufficit fuisse aliquando Christianum; opus est ut perduremus ad finem vitae usque.

CAP. XXI.

1. Καὶ εἶδον—καινήν) Vide persimilem locum 2 Petr. III, 13. Sedes beatorum in coelis variis imaginibus describitur, et ante lectorum oculos ponitur. c. XXI—XXII, 20. Nam nec ordo, quo haec a Ioanne narrantur, nec res ipsa permittit, ut haec intelligamus de florenti conditione ecclesiae in his terris. ὁ γὰρ πρῶτος—οὐκ ἔστιν ἔτι) Prior facies rerum plane fuit immutata. Παρῆλθε, *praeterierat, transierat.* Supra XX, 11.

2. Καὶ τὴν πόλιν—ἀνδρὶ αὐτῆς) Eandem imaginem habes Hebr. XII, 22. ubi notata vide. Imperii Messiani sedem comparat Ioannes cum urbe Hierosolymitana, quae olim Dei sedes fuerat, et a Iudaeis in coelum translata, omni splendore ita exornabatur, ut et sedes Deo digna fieret, et splendor ipse beatitatis divinae notionem animis hominum infunderet. Sed comparatur etiam hic ecclesia sponsae ad sponsum suum deductae, ob puritatem et innocentiam, qua splendebit. Ad hanc cum sponsa comparationem ducebatur Poëta eo, quod urbes translate dici solerent *virgines.* Descendentem e coelo eam vidit Ioannes, nempe ἐν ἐκστάσει, animo monstratam.

3. Ἰδοὺ ἡ σκηνὴ—μετ' αὐτῶν) Ezech. XXXVII, 27. Familiarissima quasi consuetudine cum Deo fruentur beati. Magnifica fuit Dei habitatio in tabernaculo per Mosen structo, Levit. XXVI, 11. at multo haec magnificentior. Deus semper ipsis erit intime praesens. καὶ αὐτοὶ—θεὸς αὐτῶν) Exod. XIX, 6. Erunt populus Dei peculiaris sensu eminentissimo, et Deus eos tutabitur.

4. Καὶ ἐξαλείψει—ὀφθαλμῶν αὐτῶν) Supra VII, 17. Efficiet, ut prae felicitate illa facile obliviscantur veterum malorum. Ipse Deus eos nunc solabitur. καὶ ὁ θάνατος—ἀπῆλθον) *Mors ultra non erit;* nam conjecta fuit in stagnum ignis; supra XX, 14. Πένθος, *luctus* ob mortem eorum, qui nobis fuerunt cari. Κραυγὴ, *clamor dissidentium*, *seditio*. Πόνος, *dolor*. Τὰ πρῶτα ἀπῆλθον, transiere illa tempora calamitosa.

5. Καινὰ πάντα ποιῶ) Ies. XLIII, 19. ubi de populo agitur reduce ex Babylon. Plane alia erit rerum facies. γράψον—πιστοί εἰσι) Γράψον, ut supra XIX, 9. Res magna est, et bene retinenda. Dicuntur haec sincera fide, atque certissime ita evenient.

6. Γέγονε) Tam vera haec sunt, ac si iam evenissent. ἐγώ εἰμι—τέλος) Repetit dicta supra I, 8. *Aeternus ille*, qui promissa sua semper implere potest. ἐγὼ τῷ—δωρεὰν) Τῷ διψῶντι, *sitienti*, i. e. avide cupienti felicitatem et vitam aeternam. Ὕδωρ τῆς ζωῆς, *aqua viva*, מַי הַחַיִּים, i. e. *fontana*, perennis, apud gentes orientales, aquae penuria laborantes, est emblema magnae felicitatis, et aquam e fonte ad bibendum alicui porrigere in magno beneficio habetur (Ies. XLI,

17.); quum autem gratis propinatur, summae liberalitatis argumentum est. Ies. LV, 1. Hoc loco significat vitam ipsam aeternam, quia nunquam desinit. Δωρεὰν, *gratis*. Nihil Deus pro maxima illa felicitate stipulabitur.

7. Ὁ νικῶν κληρονομήσει ταῦτα) Ὁ νικῶν, qui nec metu nec voluptate vinci se patietur. Supra II, 7. 11. 17. 26. Ταῦτα est constructio rem magis respiciens, quam verba, quia in vita illa aeterna multa pariter intelliguntur bona. καὶ ἔσομαι—ὁ υἱός) *Ero illi Deus*, i. e. perpetuo ei benefaciam. Vid. Matth. XXII, 32. *Ipse erit mihi filius*, i. e. filii loco eum diligam; vel ipse ut Patrem me colet.

8. Τοῖς δὲ δειλοῖς — ὁ θάνατος ὁ δεύτερος) Δειλὸς proprie dicitur de milite timido, et stationem deserente; deinde transfertur ad omnem malum, qui officium non facit. Hic δειλοὶ sunt illi, qui incommodorum metu religionem christianam deseruerunt. Post ἀπίστοις addunt καὶ ἁμαρτωλοῖς nonnulli codices, quibus consentiunt nonnullae antiquae Versiones cum Patribus quibusdam. Ἐβδελυγμένοι, *abominabiles*, quales ἀρσενοκοῖται et μαλακοὶ 1 Cor. VI, 6. Graeci interpretes pro hebr. שקוצים habent ἐβδελυγμένοι, *execrabiles*. Φαρμακοὶ vocari solent non tantum venefici, sed et qui magicas artes exercent. Τὸ μέρος αὐτῶν, i. e. τηρεῖται. Ad reliqua huius commatis confer dicta supra c. XIX, 20. II, 11.

9. Τὴν νύμφην τοῦ ἀρνίου τὴν γυναῖκα) *Sponsam* aliquando *uxorem* dici, patet ex Matth. I, 20. et Genes. XXIX, 21., non quod uxor sit revera, sed quod

uxoris loco habeatur; und qui rem habet cum tali, adulterium committit. Sic h. l. vocatur coetus beatorum in coelis, quorum habitatio mox ostenditur Ioanni sub forma urbis monti impositae, unde longe lateque conspici possit.

10. Ἐπ' ὄρος μέγα καὶ ὑψηλὸν) Nempe ut Ioannes urbem non eminus sed prope, non extra tantum, sed et intus conspiceret. Conspiciebatur urbs in aequali montis planitie. καὶ ἔδειξε — ἀπὸ τοῦ θεοῦ) Hebr. XII, 22. Urbem cuius conditor ipse Deus, Hebr. XI, 10.

11. Τὴν δόξαν τοῦ θεοῦ) כבוד יהוה, splendorem, quem Deus ei procuraverat, vice solis et lunae; infra Vs. 23. In arca foederis conspiciebatur gloria Dei. Sed multo illustrior conspicietur in urbe illa coelesti. ὁ φωστὴρ αὐτῆς — κρυσταλλίζοντι) *Lumen eius* (urbis) *simile lapidi pretiosissimo, instar crystalli splendenti.* Pulcerrimum gratissimumque est lumen illud coeleste, splendore atque pulcritudine longissime superat lumen hoc solis, quod terrae nostrae lucet. Cumulantur in describenda regia illa coelesti omnia, quae ex opinione hominum sunt magnifica et sublimia, ut ostendatur, nihil in terris comparari vel aequiparari posse sedi beatorum angelorum et hominum.

12. Ἔχουσάν τε τεῖχος — υἱῶν Ἰσραήλ) Haec omnia pertinent ad magnitudinem et magnificentiam urbis describendam. Duodecim portae ad numerum tribuum Israelitarum ita dispositae sunt, ut in cuiuslibet portae vicinia una tribus habitet, et quaelibet suum habeat custodem. Incolae urbis sunt Israelitae, h. e. ex symbo-

lico nominis sensu *populus Deus carus*. Imago sumta ex Ezech. XLVIII, 31. sqq. Praeterea inexpugnabilem, et ab omnibus tutam fore urbem indicatur.

13. Ἀπ' ἀνατολῶν — τρεῖς) Indicatur, urbem coelestem ad perfectam συμμετρίαν exstructam esse. Pertinet hoc ad ornatum; nec est in hac descriptione quaerendus sensus mysticus.

14. Καὶ τὸ τεῖχος — τοῦ ἀρνίου) *Christi* civitas erit, condita per Apostolos, quorum nomina inscripta lapidibus fundamenti loco positis. Numerus *duodenarius* in tota hac descriptione saepe occurrens, respicit ad duodecim tribus Israelis.

15. Κάλαμον χρυσοῦν) Est adpositio, sensus: Habebat perticam auream, quae erat mensorium instrumentum. Vide supra XI, 1. Ezech. XL, 3. Est praeterea κατάχρησις. Pertica enim illa calamus dicitur, quia plerumque perticae erant ex arundine. Describitur nunc *urbis amplitudo*, quae tanta est, ut Ioannes ad eam dimetiendam ope angeli indiguerit.

16. Καὶ ἡ πόλις τετράγωνος κεῖται) Figura quadrangularis perfectionem significat. Sic Roma a Romulo condita quadrata, et in Ezechielis structura multa quadrata. XLI, 21. XLII, 20. XLIII, 16. 17. XLV, 2. Improprie haec omnia esse sumenda, dubio caret. Nonnisi Symbola sunt et imagines. ἐπὶ σταδίους δώδεκα χιλιάδων) Sensus est 12000. stadia singulorum esse laterum urbis, non totius circuitus. Nam ἐπὶ h. l. habet vim distributivam, ut in tacticis, ἐφ' ἑνὸς, ἐπὶ τεττά-

ρων, ἐπ' ὀκτώ, *singuli, quaterni, octoni.* Stupenda itaque urbis magnitudo describitur. Alexandria XXX stadiorum longitudinem, non minus X stadiorum latitudinem habuisse dicitur apud Iosephum. Hierosolymorum circuitus apud eundem XXXIII stadiis; Thebarum apud Dicaearchum XLIII stadiis; Ninives apud Diodorum Siculum CCCC stadiis definitur. τὸ ὕψος αὐτῆς) Intellige non altitudinem aedificiorum, quae non erant altiora muro urbis, Vs. 17. sed distantiam urbis a terrae planitie.

17. Καὶ ἐμέτρησε — ἀγγέλου) Τὸ τεῖχος, muri altitudinem. Numero 144,000 respicitur aut ad duodecim tribus Israelis, aut ad numerum Apostolorum; nam duodecim sumta duodecies efficiunt 144. μέτρον ἀνθρώπου, ὅ ἐστιν ἀγγέλου) Angelum nempe mensorem Ioannes ἀνθρωποειδῶς ἐθεάρησε, *humana specie vidit;* ut Andreas Caesareensis loquitur. Erat itaque illa pertica tanta, quanta erat forma staturae humanae, in qua angelus apparebat; ac proinde ad eum modum etiam cubiti.

18. Καὶ ἦν — ἴασπις) Ἐνδόμησις, quod fundamento superstructum est, *structura.* Ἡ ἐνδόμησις τοῦ τείχους pro τὸ τεῖχος. De Iaspide vide supra IV, 3. Erat invictum opus. καὶ ἡ πόλις — καθαρῷ) Color quidem auri, sed ipsa materia transparens ad modum vitri.

19. Καὶ οἱ θεμέλιοι — κεκοσμεμένοι) Παντὶ λίθῳ τιμίῳ, omnibus lapidum pretiosissimorum generibus, ut patet ex sequentibus. ὁ θεμέλιος — σμάραγδος) Pleraque haec lapidum nomina habet Exod. XXVIII, 17. 18. XXXIX, 10. sqq. et in pectorali pontificio. Cf. Ies.

LIV, 12. Σάπφειρος, coelo concolor. *Arethas:* Σάπφειρος, οὗτος τοῦ καλαΐνου χρώματος καλουμένου, ὅ τινες Βένετον φάσι, τῷ οὐρανίῳ ἀπεικάζεται χρῶματι. Memoratur etiam veteribus Sapphirus aspersa pulvere aureo, i. e. quibusdam punctis aureis, instar pulveris notata, Iob. XXVIII, 6. Hodie vocatur *lapis lazuli.* Vid. *Eichhorn.* ad h. l. Χαλκηδὼν, respondet ἄνθρακι in Exodo. Est enim species ἄνθρακος, quae reperiri solebat apud Chalcedonem; unde Chalcedonium hic dixit Latinus. Plinius Hist. Nat. XXXVII, 30. *morientibus arboribus similes.* De Smaragdo vide supra IV, 3.

20. Σαρδόνυξ — ἀμέθυστος) *Sardonyx,* eodem nomine et hodie celebris, habuit ex Sarda ruborem et Onyche alborem, adeoque naturam quasi compositam, colorem unguis humani referentem. Plinius Hist. Nat. XXXVII, 23. *Sardonyches olim, ut ex nomine ipso apparet, intelligebantur candore in Sarda, hoc est, velut carnibus ungue hominis imposito et utroque translucido.* Solinus 33. *Superficies eius probatur, si meracius rubeat: arguitur, si fuerit faeculentior. Medietas circumitur limite candicante: optima est, si nec colorem suum spargat in proximum, nec ipse ex altero mutuetur: reliqua nigro finiuntur.* De *Sardio* supra IV, 3. *Chrysolithus* est gemma tota aurea; hodie Topazius. Plinius: (Lib. 37. c. 9.) *Chrysolithus gemma est aureo colore translucens.* Βήρυλλος est glauci coloris. Dionysius III, 9. ἤπου βηρύλλου γλαύκην λίθον etc. Plinius H. N. XXXVII, 20. *viriditatem puri maris imitantur.* De *Topazio*, gemma *viridi* Plinius: (Lib. 38. c. 8.) *egregia etiam nunc topazio gloria est, suo virenti genere.* Sed Epiphanius:

τοπάζιον, ἐρυθρὸς τῷ εἴδει ὑπὲρ τὸν ἄνθρακα· γίνεται δὲ ἐν Τοπάζῃ πόλει τῆς Ἰνδίκης. Psellus: ὑέλῳ παρεμφερής. Χρυσόπρασος est austeri coloris, Plinius XXXVII, 20. *Vicinum genus huic* (beryllo) *est pallidius, et a quibusdam proprii generis existimatur, vocaturque chrysoprasus.* Ὑάκινθος, aërei coloris. Solinus 30. *nitore caeruleo hyacinthus invenitur, lapis pretiosus, siquidem inculpabilis invenitur.* *Amethystus* eodem hodie nomine veniens, est lapis *violacei* coloris. Plinius: (Lib. XXXVII, 9.) *caussam nominis afferunt, quod usque ad vini colorem accedens prius quam eum degustet, in violam desinat, fulgor quidem in illa purpura non ex toto igneus, sed in vini colorem deficiens. Perlucent omnes violaceo colore, scalpturis faciles.* De omnibus his gemmis vid. *E. F. C. Rosenmülleri bibl. Naturgeschichte.* Lips. 1830. P. I, p. 28. sqq.

21. Καὶ οἱ δώδεκα—ἑνὸς μαργαρίτου) Singulae portae erant ex singulis margaritis. Ἀνὰ εἷς, *singuli*; est enim ἀνὰ distributivum. Ies. LIV, 12. καὶ ἡ πλατεῖα — ὕαλος διαυγής) Πλατεῖα, i. e. *plateae urbis*, singularis pro plurali. Erant plateae ex auro puro, similes vitro pellucido. Sunt haec omnia Symbola perpetuae durationis, pulcritudinis et splendoris.

22. Καὶ ναὸν — τὸ ἀρνίον) Non amplius opus erit templo, quia Deus omnibus coelicolis intime erit praesens, magis quam iis qui frequentabant templum Hierosolymitanum. Beati non colent Deum externis ritibus; non opus erit iis doctore; ipsi perfectissime Deum cognoscent.

23. Καὶ ἡ πόλις — τὸ ἀρνίον) Ex Ies. LX, 19. 20. XXIV, 23. Midras Tillin XXXXVI, 2. Neque in mundo futuro necesse habebunt lumen solis interdiu; aut lunae noctu S. D. Ies. LX, 19.

24. Καὶ περιπατήσουσι τὰ ἔθνη διὰ τοῦ φωτὸς αὐτῆς) Haec lectio, quam praeter codices multos exhibent plurimae versiones antiquae et Patres haud pauci, praeferenda est vulgari: τὰ ἔθνη τῶν σωζομένων ἐν τῷ φωτὶ αὐτῆς περιπατήσουσι. Ex Ies LX, 3. Διὰ τοῦ φωτὸς idem, quod apud Iesaiam in Graeco: τῷ φωτί σου. Sensus est: Gentes huius felicitatis participes fieri cupient. καὶ οἱ βασιλεῖς—εἰς αὐτήν) *Reges totius orbis inferent divitias suas et dignitatem suam in illam.* Sensus depromtus ex Ies. XLIX, 23. LX, 10. 16. Quicquid unquam cogitari potuit splendidum et pulcrum, in urbe illa erit conspiciendum. Δόξα, hebr. כבוד saepe denotat *opes et divitias*, ut patet ex Ies. LXI, 6. LXVI, 22. XXXI, 1. XLV, 13.

25. Καὶ οἱ πυλῶνες — ἔσται ἐκεῖ) Ex Ies. LX, 11. Diem hic sume pro spatio horarum viginti et quatuor. Nocte solent claudi urbium portae; in hac urbe nunquam nox est. Semper eo patebit aditus.

26. Καὶ οἴσουσι — εἰς αὐτήν) Καὶ h. l. valet *ut*. *Ut inferre possint gentes* etc. Sensus idem, qui com. 24.

27. Καὶ οὐ μὴ — τοῦ ἀρνίου) Illud οὐ μὴ εἰσέλθῃ est modi δυνητικοῦ. Non possunt intrare flagitiosi. Κοινὸν et ποιοῦν sunt neutra pro masculinis, sive communibus; quod frequens Ioanni. Ποιοῦν βδέλυγμα

eos denotat, qui idololatriam exercent; nam βδέλυγμα, שִׁקּוּץ, modo est idolum, modo actus idololatrici. Per ποιοῦν ψεῦδος intellige eos, qui in pactis et contractibus iniusti sunt. Εἰ μή, non est excipientis h. l. sed adversantis. De libro vitae agni vide supra XIII, 8.

CAP. XXII.

1. Καὶ ἔδειξε—τοῦ ἀρνίου) Eximia et ineffabilis felicitas beatorum in coelo symbolice describitur. Ὕδατος ζωῆς, *aquae perennis*. Comparatur sedes beatorum paradiso. Hoc commate respicitur ad fluvios Paradisi Gen. II. et ad fluvium qui promanabat ex templo, Ezech. XLVII, 1. 12. *Aqua viva* est Symbolum refrigerii, et tranquillitatis post exantlatos labores, et perpessas molestias.

2. Ἐν μέσῳ — τῶν ἐθνῶν) Τῆς πλατείας i. e. platearum eius, ut supra XXI, 21. Ἐντεῦθεν καὶ ἐντεῦθεν, *ex utraque parte*. Ξύλον ζωῆς, Enallage singul. pro plur. Nam ex *utraque parte* plateae et fluminis arbores fuisse dicuntur. *Arbor vitae* in Paradiso Gen. II, 9. sine dubio praedita erat vi conservandae vitae humanae. Ad hanc arborem respicitur hoc loco. Vide supra II, 7. Καρποὺς δώδεκα, *fructus duodenos*. Hoc vult dicere: Duodecies in anno sive quotannis fructus feret. Secundum numerum duodecim tribuum. Εἰς θεραπείαν sc. conservandam. Nunquam morientur beati.

3. Καὶ πᾶν κατάθεμα οὐκ ἔσται ἔτι) Κατάθεμα vera est lectio, non κατανάθεμα. Sic καταθεματί-

ζειν legitur Matth. XXVI, 74. Κατάθεμα, *homo maledictus*, abstr. pro concreto. καὶ ὁ θρόνος—λατρεύσουσιν αὐτῷ) Ἔσται, semper scilicet. Non auferetur, ut alia imperia. Λατρεύσουσιν αὐτῷ, nempe in illa urbe.

4. Καὶ ὄψονται—αὐτοῦ) Sunt ministri Dei, et quidem intimae admissionis, quos Deus consiliorum suorum participes facit. 2 Reg. XXV, 19. Καὶ τὸ ὄνομα—μετώπων αὐτῶν) Supra III, 12. XIV, 1. Tam aperte Deum agnoscent Dominum suum, quam servi, qui nomen herile in fronte scriptum gerant.

6. A versu 6. usque ad finem capitis est totius libri Epilogus. Primo angelus rerum omnium praenuntiatarum veritatem confirmat; deinde ipse Iesus Christus omnia praedicta certissime eventura esse spondet; tandemque Ioannes adhortatur lectores, ut oraculo obsequium praestent. Καὶ εἶπέ μοι, sc. ὁ ἄγγελος c. XXI, 9. ὁ θεὸς τῶν πνευμάτων τῶν προφητῶν) Legendum πνευμάτων τῶν pro eo quod alii habent ἁγίων. Deus, a quo omnia dona prophetica ortum habent. Proxime sequentia repetita sunt ex libri huius initio.

7. Καὶ ἰδοὺ — τούτου) Illud καὶ ante ἰδοὺ addunt codices, versiones, Andr. et Arethas. Est autem supplendum: λέγει Ἰησοῦς Χριστός. Huius enim sunt verba quae sequuntur. Ἔρχομαι ταχύ, *veniam subito, ex improviso*, nempe ad implenda promissa et liberandos pios. Sequentia verba repetita sunt ex c. I, 3.

8. Καὶ ἐγὼ Ἰωάννης, ὁ ἀκούων καὶ βλέπων ταῦτα) Ita legendum pro: Βλέπων ταῦτα καὶ ἀκούων, ut alii

habent. Subauditur *sum*, ut saepe apud Hebraeos: et Praesens pro Praeterito proximo.

9. Καὶ ἀδελφῶν σου τῶν προφητῶν) Sc. *conservus sum*, quod repetendum ἀπὸ κοινοῦ ex praecedentibus. Eadem quae supra XIX, 10. nisi quod deest ibi τῶν προφητῶν, et pro τηρούντων τοὺς λόγους τοῦ βιβλίου τούτου est τῶν ἐχόντων τὴν μαρτυρίαν Ἰησοῦ.

10. Καὶ λέγει — ἐγγύς ἐστιν) Λέγει, nempe Iesus, ut patet ex Vs. 12. et sequentibus. Sequitur dialogus inter Dominum Iesum et Ioannem, non adpositis personarum nominibus, sed quae facile ex verbis subintelliguntur. Μὴ σφραγίσῃς etc. non reponas hunc librum in vase testaceo, ut Ieremias c. XXXII, 14. Dan. VIII, 26. XII, 9. Ὁ καιρὸς ἐγγύς ἐστιν, i. e. brevi multa evenient, ut de rebus Iudaicis: ideoque in promtu debet esse liber, ut cum eventibus comparetur.

11. Ὁ ἀδικῶν—ῥυπαρὸς ῥυπαρευθήτω ἔτι) Sic enim legendum. Verba sunt non iubentis, sed sinentis. Philippus in Sallustii fragmentis, contra Lepidum: *Quando talis es, maneas in sententia.* Arrianus IV, 19. ad probum irreclamabilem; ποίει ἃ ποιεῖς. Ὁ ῥυπαρὸς ῥυπαρευθήτω ἔτι, *qui sordidus est, in sordibus iaceat suis.* Tale Christi Matth. XV, 14. illud ἄφετε αὐτούς. Cf. 1 Cor. XIV, 38. καὶ ὁ δίκαιος—ἁγιασθήτω ἔτι) Pro δικαιωθήτω omnino legendum δικαιοσύνην ποιησάτω. Sic enim praeter codices multos habent versiones nonnullae et multi Patres. Idem sensus Gal. VI, 9. et 2 Thess. III, 13.

12. Ἔρχομαι—μετ' ἐμοῦ) Ἔρχομαι ταχύ, nempe tum ad liberandos Christianos, tum ad puniendos malos. Vide supra Vs. 7. Ὁ μισθός μου μετ' ἐμοῦ, *mecum fero mercedem.* Ex Ies. XL, 10. et LXII, 11.

13. Ἐγὼ — ἔσχατος) Supra I, 8. 18. XXI, 6.

14. Μακάριοι — εἰς τὴν πόλιν) Τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ, sc. *Christi*, vel etiam monita huius libri. *Nam ius habebunt fruendi arbore vitae*, i. e. ius aeternae felicitatis. Supra Vs. 2. Habent etiam tales *ius civitatis* in urbe illa coelesti.

15. Ἔξω οἱ κύνες — ψεῦδος) Κύνες h. l. eodem sensu sume, quo Matth. VII, 6. ubi dicta vide. Ἔξω, est: *Procul ite profani.* Reliqua huius commatis repetita sunt ex iis, quae supra XXI, 8. *Qui amant et faciunt mendacia* sunt hoc quidem loco, *iniusti fraudulenti*, praecipue in contractibus emendi et vendendi.

16. Ἐγὼ Ἰησοῦς — ὁ πρωϊνὸς) Ὑμῖν, i. e. Ioanni, et per Ioannem aliis Christianis. Ἐπὶ ταῖς ἐκκλησίαις, *de ecclesiis*, i. e. de fatis ecclesiarum. Ἐπὶ hic sumitur ut Matth. XIII, 14. XVIII, 3. et aliis locis. In verbis ἡ ῥίζα καὶ τὸ γένος τοῦ Δαβὶδ illud καὶ est ἐξηγητικόν, qui genus ducit a Davide. Ἡ ῥίζα, metonymice: *surculus ex* Davide tanquam *radice protrusus.* Τὸ γένος, iterum metonymice: ἐκ γένους. Ὁ ἀστὴρ ὁ λαμπρὸς ὁ πρωϊνὸς, i. e. stirpis regiae decus et ornamentum. *Rex illustris*, (veluti Salomo) dicebatur נֵר *lucerna*, Ps. CXXXII, 17. 2 Sam. XXI, 17. Hic autem pro lucerna exquisite dicitur ἀστὴρ. Vide supra V, 5. De voce πρωϊνὸς vide supra II, 28.

17. Καὶ τὸ πνεῦμα — εἰπάτω ἔρχου) Τὸ πνεῦμα, *qui Spiritus dona habent*, Prophetae et Apostoli. Ἡ νύμφη, i. e. ecclesia. Ἔρχου, nempe ad nos liberandos ab omnibus malis, et in coelestem patriam perducendos. Ὁ ἀκούων εἰπάτω ἔρχου, i. e. omnes qui per alios haec intelligent, precibus faveant. καὶ ὁ διψῶν ἐρχέσθω — δωρεάν) Ἐρχέσθω est legendum pro ἐλθέτω, sicut in praecedentibus ἔρχου pro ἐλθέ. Iam nunc veniat et discat, qui scientiae rerum divinarum atque solatii est cupidus. Habet hic, quo sitim restinguat. Sicut nempe aqua perennis in aestu reficit viatorem; ita haec prophetia aestuantes sub adversis.

18. Μαρτυρῶ ἐγὼ — βιβλίῳ τούτῳ) Ἐάν τις ἐπιθῇ ἐπ' αὐτά, si quis temere addiderit illis, quae scripta sunt in hoc Apocalypseos libro, afficiet eum Deus poenis, quae dictatae sunt in hoc libro impiis. Intelligendum est hoc de minis et promissionibus. Si quis paululum vel addidisset vel abstulisset, poterat aut Christianos ad seditionem incitare, aut eos apud Principes ethnicos suspectos invisosque reddere, aut Iudaeos irritare, aut saltem efficere, ut praedictio, qua ecclesia de imminentibus periculis monebatur, nulli esset usui. Iosephus c. Apion. I, 8. δῆλον δ' ἐστὶν ἔργῳ, πῶς ἡμεῖς τοῖς ἰδίοις γράμμασι πεπιστεύκαμεν· τοσούτου γὰρ αἰῶνος παρῳχηκότος οὔτε προσθεῖναί τις οὐδὲν, οὔτε ἀφελεῖν, οὔτε μεταθεῖναι τετόλμηκεν. Ex Eichhornii sententia Ioannes lectores monet, ut carminis argumento potius obsequium praestent, quam de eo vel ornando vel in compendium redigendo cogitent; in quo imitatus sit Mosen Deut. IV, 2. XII, 32.

19. Ἀφελεῖ ὁ θεὸς — βιβλίῳ τούτῳ) Faciet Deus, ne is particeps fiat felicitatis aeternae, ne sit civis urbis illius coelestis, nec fruatur commodis, quae in hoc libro promissa sunt piis et fidelibus Christianis.

20. Λέγει ὁ μαρτυρῶν — κύριε Ἰησοῦ) Ὁ μαρτυρῶν ταῦτα, Iesus, qui haec Ioannem docuit per angelos. Ἔρχομαι ταχύ, brevi haec implebo. Respondet Ioannes: ἔρχου, nempe ταχύ, fac hoc quamprimum.


DATE DUE
GAYLORD
PRINTED IN U.S.A.

BS2335 .R815 1815 v.5
Scholia in Novum Testamentum...
Princeton Theological Seminary–Speer Library
1 1012 00052 7616